BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
110
I
27
NAPOLI

110
I
27.

83
Q
27.

AVLI PERSII FLACCI SATYRAE,

Cum antiquiſſimis commentariis qui CORNVTO *tribuuntur, collatis cum veteribus membranis, & auctis.*
ELIÆ VINETI *Præfatio & Annotationes in eaſdem.*
IOA. BRITANNICI *Eruditiſſima Interpretatio.*
P. BEROALDI *Oratio habita in enarratione Perſij.*
ANGELI POLITIANI *V.C. Prælectio in eundem.*
P. PITHOEI *IC. var. lect. & notę ad vet. gloſſas.*
THEODORI MARCILII *Profeſſoris Eloquentiæ Regij Emendationes & Commentarius.*

Acceſſerunt INDICES rerum & verborum quæ in ſatyris & commentariis.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

LVTETIÆ,
Apud IOANNEM ORRY, via Iocobæa ad inſigne Samaritanæ.

M. DC. XIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

TESTIMONIA VETERVM SCRIPTORVM DE PERSIO.

M. Fab. Quintil. ex lib. x. Inſtit. Orat.

Multum & veræ gloriæ quamuis vno libro Perſius meruit.

M. Valer. Martialis ex lib. 1. Epigr.

Sæpius in libro memoratur Perſius vno,
Quam leuis in tota Marſus Amazonide.

Hieronymi in Chron.

Anno Imp. Tit. xxxij. Olympiade ccij. Perſius Flaccus poëta Volaterris naſcitur, & Olymp. ccx. moritur: cuius præceptor Cornutus Philoſophus à Nerone poſtea in exilium pulſus eſt.

Caſsiodori in Faſtis.

Gallo & Noniano Coss. Perſius Flaccus Satyricus poëta Volaterris naſcitur.

ã ij

Diomedis ex lib. III. Gramm.

Satyra dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum, & ad carpenda hominum vitia archææ comediæ charactere compoſitum, quales ſcripſerunt Lucillius & Horatius, & Perſius: ſed olim carmen, quod ex variis poematibus conſtabat, Satyra vocabatur, quales ſcripſerunt Pacuuius & Ennius.

AVLI PERSII FLACCI SATYRÆ.

NEC fonte labra prolui Caballino:
Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo
Memini, vt repẽte ſic poëta prodirem.
Heliconiadaſque, pallidãque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lãbunt
Hederæ ſequaces: ipſe ſemipaganus
Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.
Quis expediuit pſittaco ſuum XAIPE,
Picaſque docuit verba noſtra conari?
Magiſter artis, ingenĳque largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.
Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,
Coruos poëtas, & poëtridas picas
Cantare credas Pegaſeium melos.

I.

O Curas hominum! ô quantum eſt in rebus inane!
Quis leget hæc? min' tu iſtud ais? nemo Hercule. nemo?
Vel duo, vel nemo. turpe & miſerabile. quare?

Ne mihi Polydamas, & Troiades Labeonem
Prætulerint nugæ. non, ſi quid turbida Roma
Eleuet, accedas, examénue improbum in illa
Caſtiges trutina: nec te quæſiueris extra.
Nam Romæ eſt quis non? ac, ſi fas dicere: ſed fas
Tunc, cum ad caniciem, & noſtrum iſtud viuere triſte
Aſpexi, & nucibus facimus quæcumque relictis,
Cum ſapimus patruos: tunc, tunc. Ignoſcite, nolo:
Quid faciam? ſed ſum petulanti ſplene cachinno.
Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet:
Scilicet hæc, populo pexúſque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum ſardoniche albus,
Sede legens celſa, liquido cum plaſmate guttur
Mobile conlueris, patranti fractus ocello:
Tunc neque more probo videas, neque voce ſerena
Ingentes trepidare Titos, cum carmina lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur vbi intima verſu.
Tun' vetule auriculis alienis colligis eſcas?
Auriculis, quibus & dicas cute perditus: ohe,
Quo didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quæ ſemel intus
Innata eſt, rupto iecore exierit caprificus?
En pallor, ſeniúmque, ô mores! vſque adeóne
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?
At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier, hic eſt.
Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendes? ecce inter pocula quærunt
Romulidæ ſaturi, quid dia poëmata narrent.

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthia lana eſt,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypſipylas, vatum & plorabile ſi quid,
Eliquat, & tenero ſupplantat verba palato.
Aſſenſere viri. nunc non cinis ille poëtæ
Felix? non leuior cippus nunc imprimit oſſa?
Laudant conuiuæ. nunc non è manibus illis,
Nunc non è tumulo, fortunatáque fauilla,
Naſcentur violæ? rides, ait, & nimis vncis
Naribus indulges. an erit, qni velle recuſet
Os populi meruiſſe: & cedro digna locutus,
Linquere nec ſcombros metuentia carmina, nec thus?
Quiſquis es, ô modo quem ex aduerſo dicere feci,
Non ego, cum ſcribo, ſi fortè, quid aptius exit,
Quando hæc rara auis eſt, ſi quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra eſt:
Sed recti, finémque, extremúmque, eſſe recuſo
Euge tuum, & belle. nam belle hoc, excute totum,
Quid non intus habet? Non hic eſt Ilias Atti
Ebria veratro: non ſi qua elegidia crudi
Dictarunt proceres: non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis. calidum ſcis ponere ſumen:
Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, verum, inquis, amo, verum mihi dicite de me.
Qui pote? vis dicam? nugaris, cum tibi calue
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.
O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,

Nec linguæ, quantum ſitiat canis Apula, tantæ.
Vos ô patricius ſanguis, quos viuere fas eſt
Occipiti cæco, poſticæ occurrite ſannæ.
Quis populi ſermo eſt? quæ enim? niſi carmina molli
Nunc demum numero fluere, vt per lêue ſeueros
Effundat iunctura vngues? ſcit tendere verſum
Non ſecus, ac ſi oculo rubricam dirigat vno:
Siue opus in mores, in luxum, in prandia regum,
Dicere res grandes noſtro dat muſa poëtæ.
Ecce modo heroas ſenſus afferre docemus
Nugari ſolitos Græcè, nec ponere lucum
Artifices, nec rus ſaturum laudare, vbi corbes,
Et focus, & porci, fumoſa Palilia fœno:
Vnde Remus, ſulcóque terens dentalia, Quinti,
Quum trepida ante boues Dictatorem *induit vxor:*
Et tua aratra domum lictor tulit. euge poëta,
Eſt nunc, Briſæi quem venoſus liber Acci,
Sunt quos Pacuuiúſque, & verrucoſa moretur
Antiopa, ærumnis cor luctificabile fulta:
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Cum videas, quæriſne vnde hæc ſartago loquendi
Venerit in linguas? vnde iſtud dedecus, in quo
Troſſulus exultat tibi per ſubſellia lêuis?
Nilne pudet, capiti non poſſe pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, decenter?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina raſis
Librat in antithetis. doctas poſuiſſe figuras
Laudatur. bellum hoc. hoc bellum? an Romule ceues?

men'

Men' moueat quippe, &, cantet ſi naufragus, aſſem
Protulerim? cantas, fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incuruaſſe querela.
Sed numeris decor eſt, & iunctura addita crudis.
Claudere ſic verſum didicit, Berecynthius Atys.
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.
Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.
Arma virum, nonne hoc ſpumoſum & cortice pingui,
Vt ramale vetus prægrandi ſubere coctum?
Quidnam igitur? tenerum, & laxa ceruice legendum,
Torua Mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo
Baſſaris, & lyncem Mænas flexura corymbis
Euion ingeminat: reparabilis adſonat Echo.
Hæc fierent, ſi teſticuli vena vlla paterni
Viueret in nobis? ſumma delumbe ſaliua
Hoc natat in labris: & in vdo eſt Mænas, & Atys:
Nec pluteum cædit, nec demorſos ſapit vngues.
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide ſis ne maiorum tibi forte
Limina frigeſcant: ſonat hic de nare canina
Littera. Per me equidem ſint omnia protinus alba:
Nil moror. euge, omnes, omnes bene miræ eritis res.
Hoc iuuat, hic inquis, veto quiſquam faxit oletum.
Pinge duos angues pueri, ſacer eſt locus, extra
Meijte. diſcedo. ſecuit Lucilius Vrbem,
Te lupe, te Muti, & genuinum fregit in illis:

Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum pręcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo :
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum ſcrobe? nuſquam.
Hic tamen infodiam. Vidi, vidi ipſe, libelle:
Auriculas aſini quis non habet? Hoc ego opertum,
Hoc ridere meum tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci quicunque afflate Cratino,
Iratum Eupolidem pręgrandi cum ſene palles,
Aſpice & hæc, ſi fortè aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferueat aure,
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere geſtit
Sordidus, & luſco qui poſsit dicere luſce,
Séque aliquem credens, Italo quod honore ſupinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas :
Nec qui abaco numeros, & ſecto in puluere metas
Scit riſiſſe vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans Nonaria vellat.
His mane edictum, poſt prandia Calliroen do.

AD PLOTIVM MACRINVM

DE BONA MENTE.

II.

HVnc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos.
Funde merum genio. non tu prece poſcis emaci,

Quæ niſi ſeductis nequeas committere diuis.
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuiuis promptũ eſt, murmúrq; humiléſq; ſuſurros
Tollere de templis, & aperto viuere voto.
Mens bona, fama, fines, hęc clare, & vt audiat hoſpes:
Illa ſibi introrſum, & ſub lingua murmurat: ô ſi
Ebullit patrui pręclarum funus; &, ô ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule! pupillúmue vtinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque eſt ſcabioſus, & acri
Bile tumet. Nerio iam tertia conditur vxor.
Hęc ſanctè vt poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis, térque, & noctem flumine purgas.
Heus age, reſponde, minimum eſt quod ſcire laboro,
De Ioue quid ſentis? eſtne, vt pręponere cures
Hunc cuinam? cuinam? vis Staio? an ſcilicet hęres?
Quis potior iudex, pueríſue quis aptior orbis
Hoc igitur, quo tu Iouis aurem impellere tentas,
Dic age dum Staio: prò Iupiter, o bone, clamet
Iuppiter! at ſeſe non clamet Iuppiter ipſe.
Ignouiſſe putas, quia cum tonat, ocyus ilex
Sulfure diſcutitur ſacro, quam túque, domúſque?
An quia non fibris ouium, Ergennáque iubente,
Triſte iaces lucis, euitandúmque bidental,
Idcirco ſtolidam prabet tibi vellere barbam
Iuppiter? aut quidnam eſt, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas pulmone, & lactibus vnctis?
Ecce auia, aut metuens diuum matertera, cunis

Exemit puerum, frontémque, atque vda labella
Infami digito, & luſtralibus ante ſaliuis
Expiat, vrentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, & ſpem macram ſupplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ędes.
Hunc optent generum rex & regina: puellę
Hunc rapiant: quicquid calcauerit hic, roſa fiat.
Aſt ego nutrici non mando vota: negato
Iuppiter hæc illi, quamuis te albata rogarit.
Poſcis opem neruis, corpúſque fidele ſenectæ:
Eſto, age, ſed grandes patinæ: tucetáque craſſa
Annuere his ſuperos vetuere, Iouémque morantur.
Rem ſtruere exoptas cæſo boue, Mercuriúmque
Arceſſis fibra. da fortunare penates,
Da pecus, & gregibus fœtum. quo, peſſime, pacto,
Tot tibi cum in flammis iunicum omenta liqueſcant?
Et tamen hic extis, & opimo vincere ferto
Intendit. iam creſcit ager, iam creſcit ouile,
Iam dabitur, iamiam, donec deceptus, & exſpes
Ne quicquam fundo ſuſpiret nummus in imo.
Si tibi crateras argenti, incuſáque pingui
Auro dona feram, ſudes, & pectore lato
Excutias guttas, letari pertrepidum cor:
Hinc illud ſubijt, auro ſacras quòd ouato
Perducis facies. nam fratres inter aënos
Somnia pituita qui purgatiſſima mittunt,
Præcipui ſunto, ſitque illis aurea barba.
Aurum, vaſa Numæ, Saturniaque impulit ęra,

Veſtaléſque vrnas, & Tuſcum fictile mutat.
O curuæ in terris animæ, & cæleſtium inanes!
Quid iuuat hoc, templis noſtros immittere mores,
Et bona dijs ex hac ſcelerata ducere pulpa?
Hæc ſibi corrupto caſiam diſſoluit oliuo:
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus:
Hæc baccam conchæ raſiſſe, & ſtringere venas
Feruentis maſſæ crudo de puluere iuſsit.
Peccat & hæc, peccat: vitio tamen vtitur: at vos
Dicite pontifices, in ſancto quid facit aurum?
Nempe hoc, quod Veneri donatæ à virgine puppæ.
Quin damus id ſuperis, de magna quod dare lance
Non poßit magni Meſſalæ lippa propago,
Compoſitum ius, fáſque animo ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto?
Hæc cedo, admoueant templis, & farre litabo.

INCREPATIO DESIDIÆ.

III.

Nempe hac aßidue? Iam clarũ mane feneſtras
Intrat, & anguſtas extendit lumine rimas.
Stertimus indomitũ quod deſpumare Falernũ
Sufficiat, quinta dum linea tangitur vmbra.
En quid agis? ſiccas inſana canicula meſſes
Iamdudum coquit, & patula pecus omne ſub vlmo eſt,
Vnus ait comitum. verúmne? itáne? ocyus adſit

Huc aliquis. nemon'? turgeſcit vitrea bilis:
Findor, vt Arcadiæ pecuaria rudere credas.
Iam liber, & bicolor poſitis membrana capillis,
Inque manus chartæ, nodoſaque venit arundo.
Tunc querimur, craſſus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha,
Dilutas querimur geminet quod fiſtula guttas.
O miſer, ínque dies vltra miſer? huccine rerum
Venimus? aut cur non potius, teneróque columbo,
Et ſimilis regum pueris, pappare minutum
Poſcis, & iratus mammæ lallare recuſas?
An tali ſtudeam calamo? cui verba? quid iſtas
Succinis ambages? tibi luditur: & fluis amens.
Contemnere. ſonat vitium percuſſa, maligne
Reſpondet viridi non cocta fidelia limo.
Vdum, & molle lutũ, es, nunc, nunc properandus, & acri
Fingendus ſine fine rota. ſed rure paterno
Eſt tibi far modicum, purum, & ſine labe ſalinum.
Quid metuas? cultríxque foci ſecura patella eſt:
Hoc ſatis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tuſco ramum milleſime ducis,
Cenſorémue tuum vel quod trabeate ſalutas?
Ad populum phaleras: ego te intus, & in cute noui.
Non pudet ad morem diſcincti viuere Nattæ?
Sed ſtupet hic vitio, & fibris increuit opimum
Pingue: caret culpa: neſcit quid perdat: & alto
Demerſus, ſumma rurſus non bullit in vnda.
Magne pater diuum, ſæuos punire tyrannos

Haud alia ratione velis, cum dira libido.
Mouerit ingenium feruenti tincta veneno,
Virtutem videant, intabeſcántque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra iuuenci,
Et magis auratis pendens laquearibus enſis
Purpureas ſubter ceruices terruit, Imus,
Imus præcipites, quam ſi ſibi dicat, & intus
Palleat infelix, quod proxima neſciat vxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam paruus oliuo,
Grandia ſi nollem morituri verba Catoni
Dicere, non ſano multum laudanda magiſtro,
Quæ pater adductis ſudans audiret amicis.
Iure etenim id ſummum; quid dexter ſenio ferret,
Scire erat in voto: damnoſa canicula quantum
Raderet, anguſtæ collo non fallier orcæ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curuos deprendere mores,
Quæque docet ſapiens braccatis inlita Medis
Porticus inſomnis, quibus & detonſa iuuentus
Inuigilat, ſiliquis, & grandi paſta polenta.
Et tibi quæ Samios deduxit littera ramos,
Surgentem dextro monſtrauit limite callem.
Stertis adhuc, laxúmque caput compage ſoluta
Oſcitat heſternum diſſutis vndique malis.
Eſt aliquid quo tendis, & in quod dirigis arcum?
An paſſim ſequeris coruos, teſtáque, lutóque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore viuis?
Helleborum fruſtra, cum iam cutis ægra tumebit,

Poſcentes videas: venienti occurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Diſcite ô miſeri, & cauſſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæ qua mollis flexus, & vnde:
Quis modus argento, quid fas optare, quid aſper
Vtile nummus habet: patriæ, cariſque propinquis
Quantum elargiri deceat: quem te Deus eſſe
Iuſsit, & humana qua parte locatus es in re.
Diſce, nec inuideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defenſis pinguibus Vmbris,
Et piper, & pernæ, Marſi monumenta clientis:
Mænáque quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircoſa Centurionum
Dicat, quod ſapio, ſatis eſt mihi: non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, ærumnoſique Solones,
Obſtipo capite, & figentes lumine terram,
Murmura cum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes ſomnia, gigni
De nihilo nihilum, in nihilum nil poſſe reuerti.
Hoc eſt, quod palles: cur quis non prandeat, hoc eſt.
His populus ridet, multúmque toroſa iuuentus
Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos.
Inſpice: neſcio quid trepidat mihi pectus, & ægris
Faucibus exſuperat grauis halitus: inſpice ſodes,
Qui dicit medico, iuſſus requieſcere, poſtquam
Tertia compoſitas vidit nox currere venas,

De maiore domo modicè ſitiente lagena
Lenia loturo ſibi Surrentina rogâuit.
Heus bone, tu palles. Nihil eſt. Videas tamen iſtud,
Quicquid id eſt. ſurgit tacitè tibi lutea pellis.
At tu deterius palles: ne ſis mihi tutor:
Iampridem hunc ſepeli: tu reſtas. Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis, atque albo ventre, lauatur,
Gutture ſulfureas lente exhalante Mephites.
Sed tremor inter vina ſubit, calidúmque trientem
Excutit è manibus: dentes crepuere retecti.
Vncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ: tandémque beatulus alto
Compoſitus lecto, craßiſque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Heſterni capite induto, ſubiere Quirites.
Tange miſer venas, & pone in pectore dextram.
Nil calet hic. ſummóſque pedes attinge, manúſque.
Non frigent. viſa eſt ſi forte pecunia, ſiue
Candida vicini ſubriſit molle puella,
Cor tibi rite ſalit. Poſitum eſt algente catino
Durum olus, & populi cribro decuſſa farina.
Tentemus fauces: tenero latet vlcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, cum excuſſit membris timor albus ariſtas:
Nunc face ſuppoſita ferueſcit ſanguis, & ira
Scintillant oculis, dicíſque, facíſque, quod ipſe
Non ſani eſſe hominis, non ſanus iuret Oreſtes.

Quæſieris, Noſtin' Vectidi prædia? cuius?
Diues, arat Curibus quantum non miluus oberret.
Hunc ais? hunc, dijs iratis, genióque ſiniſtro,
Qui quandoque iugum pertuſa ad compita figit,
Seriolæ veterem metuens deradere limum,
Ingemit, Hoc bene ſit: tunicatum cum ſale mordens
Cæpe: & farrata pueris plaudentibus olla,
Pannoſam fæcem morientis ſorbet aceti?
At ſi vnctus ceſſes, & frigas in cute ſolem,
Eſt prope te ignotus, cubito qui tangat, & acre
Deſpuat in mores: penémque arcanáque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vuluas.
Tu cum maxillis balanatum gauſape pectas,
Inguinibus quare detonſus gurgulio extat?
Quinque palæſtritæ licet hęc plantaria vellant,
Elixáſque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen iſta filix vllo manſueſcit aratro.
Cædimus, ínque vicem præbemus crura ſagittis.
Viuitur hoc pacto: ſic nouimus. Ilia ſubter
Cæcum vulnus habes, ſed lato balteus auro
Prætegit: vt mauis, da verba, & decipe neruos,
Si potes. Egregium cum me vicinia dicat,
Non credam? Viſo ſi palles improbe nummo,
Si facis, in penem quicquid tibi venit amarum,
Si puteal multa cautus vibice flagellas.
Ne quicquam populo bibulas donaueris aures.
Reſpue quod non es, tollat ſua munera cerdo.
Tecum habita; noris, quam ſit tibi curta ſupellex.

AD MAGISTRVM EQVITVM CORNVTVM.

V.

VAtibus hic mos eſt, centum ſibi poſcere voces,
Centum ora, & linguas optare in carmina centum,
Fabula ſeu mœſto ponatur hianda tragœdo,
Vulnera ſeu Parthi ducentis ab inguine ferrum:
Quorſum hæc? aut quantas robuſti carminis offas
Ingeris, vt par ſit centeno gutture niti?
Grande locuturi, nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut ſi quibus olla Thieſtæ
Feruebit, ſæpe inſulſo cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum maſſa camino,
Folle premis ventos: nec clauſo murmure raucus
Neſcio quid tecum graue cornicaris inepte,
Nec ſclopo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba Togæ ſequeris: iunctura callidus acri,
Ore teris modico, pallentes radere mores
Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe, quæ dicas: menſáſque relinque Mycenis
Cum capite, & pedibus: plebeiáque prandia noris.
Non equidem hoc ſtudeo, bullatis vt mihi nugis
Pagina turgeſcat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur. tibi nunc hortante camena
Excutienda damus præcordia: quantáque noſtræ

Pars tua ſit Cornute animæ, tibi dulcis amice
Oſtendiſſe iuuat: pulſa dinoſcere cautus,
Quid ſolidum crepet, & pictæ tectoria linguæ.
His ego centenas auſim depoſcere voces,
Vt quantum mihi te ſinuoſo in pectore fixi,
Voce traham pura: totúmque hoc verba reſignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Cum primum pauido cuſtos mihi purpura ceßit,
Bulláque ſubcinctus laribus donata pependit:
Cum blandi comites, totáque impune ſuburra
Permiſit ſparſiſſe oculos iam candidus vmbo:
Cúmque inter ambiguum eſt, & vitæ neſcius error
Deducit trepidas ramoſa in compita mentes,
Me tibi ſuppoſui: teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu, tunc fallere ſolers
Appoſita intortos extendit regula mores:
Et premitur ratione animus, vincíque laborat,
Artificémque tuo ducit ſub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini conſumere ſoles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Vnum opus, & requiem pariter diſponimus ambo,
Atque verecunda laxamus ſeria menſa.
Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Conſentire dies, & ab vno ſidere duci.
Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora libra
Parca tenax veri, ſeu nata fidelibus hora
Diuidit in geminos concordia fata duorum:
Saturnúmque grauem noſtro Ioue frangimus vna.

Neſcio quod certe eſt, quod me tibi temperat, aſtrum.
Mille hominum ſpecies, & rerum diſcolor vſus:
Velle ſuum cuique eſt, nec voto viuitur vno.
Mercibus hic Italis mutat ſub ſole recenti
Rugoſum piper, & pallentis grana cumini.
Hic ſatur, irriguo mauult turgeſcere ſomno.
Hic campo indulget: hunc alea decoquit, ille
In Venerem putret: ſed cum lapidoſa chiragra
Fregerit articulos veteris ramalia fagi,
Tunc craſſos tranſiſſe dies, lucémque paluſtrem,
Et ſibi iam ſeri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis iuuat impalleſcere chartis,
Cultor enim es iuuenum, purgatas inſeris aures
Fruge Cleanthea. petite hinc iuuenéſque ſenéſque
Finem animo certum, miseríſque viatica canis.
Cras hoc fiet: Idem cras fiet. quid. quaſi magnum
Nempe diem donas: ſed cum lux altera venit,
Iam cras heſternum conſumſimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos, & ſemper paulum erit vltra.
Nam quamuis prope te, quamuis temone ſub vno,
Vertentem ſeſe, fruſtra ſectabere canthum,
Cum rota poſterior curras, & in axe ſecundo.
Libertate opus eſt non hac, vt quiſque Velina
Publius emeruit ſcabioſum teſſerula far
Poßidet. Heu ſteriles veri, quibus vna Quiritem
Vertigo facit: hic Dama eſt non treßis agaſo,
Vappa, & lippus, & in tenui farragine mendax.
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit

Marcus Dama. papę! Marco ſpondente, recuſas
Credere tu nummos? Marco ſub iudice palles?
Marcus dixit: ita eſt. adſigna Marce tabellas.
Hæc mera libertas, hoc nobis pilea donant.
An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam
Cui licet, vt voluit? licet, vt volo, viuere: non ſim
Liberior Bruto? Mendoſe colligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc reliquum accipio, licet illud, & vt volo, tolle.
Vindicta, poſtquam meus à prætore receſſi,
Cur mihi non liceat, iuſſit quodcúnque voluntas,
Excepto ſi quid Maſuri rubrica vetauit?
Diſce: ſed ira cadat naſo, rugoſáque ſanna,
Dum veteres auias tibi de pulmone reuello.
Non prætoris erat ſtultis dare tenuia rerum
Officia, atque vſum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citius caloni aptaueris alto.
Stat contra ratio, & ſecretam gannit in aurem,
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum, naturáque continet hoc fas,
Vt teneat vetitos inſcitia debilis actus.
Diluis helleborum certo compeſcere puncto
Neſcius examen: vetat hoc natura medendi.
Nauem ſi poſcat ſibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus. Tibi recto viuere talo
Ars dedit? & veri ſpeciem dinoſcere calles,
Ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro?

Quæque ſequenda forent, quæque euitanda viciſſim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notaſti.
Es modicus voti, preſſo lare, dulcis amicis:
Iam nunc aſtringas, iam nunc granaria laxes:
Inque luto fixum poſſis tranſcendere nummum,
Nec gluto ſorbere ſaliuam Mercurialem.
Hæc mea ſunt, teneo, cum vere dixeris, eſto
Libérque, ac ſapiens, Prætoribus; ac Ioue dextro.
Sin tu, cum fueris noſtræ paulo ante farinæ,
Pelliculam veterem retines, & fronte politus
Aſtutam vapido ſeruas in pectore vulpem:
Quæ dederam ſupra, repeto, funémque reduco.
Nil tibi conceſſit ratio: digitum exere, peccas:
Et quid tam paruum eſt? ſed nullo ture litabis,
Hæreat in ſtultis breuis vt ſemuncia recti.
Hæc miſcere nefas: nec cum ſis cætera foſſor,
Treis tantum ad numeros ſatyri moueare Bathylli.
Liber ego! vnde datum hoc ſumis tot ſubdite rebus?
An dominum ignoras, niſi quem vindicta relaxat?
I puer, & ſtrigiles Criſpini ad Balnea defer.
Si increpuit, Ceſſas nugator? ſeruitium acre
Te nihil impellit? nec quicquam extrinſecus intrat,
Quod neruos agitet? ſed ſi intus, & in iecore ægro
Naſcantur domini, quin tu impūnitior exis,
Atque hic, quem ad ſtrigiles ſcutica, & metus egit herilis?
Mane piger ſtertis: Surge, inquit auaritia: eia
Surge. negas. inſtat, Surge, iuquit. Non queo. Surge.
Et quid agam? Rogitas? ſaperdas aduehe ponto,

Caſtorcum, ſtuppas, hebenum, thus, lubrica Coa
Tolle recens primus piper è ſitiente camelo,
Verte aliquid; iura. Sed Iuppiter audiet. Eheu
Varo, reguſtatum digito terebrare ſalinum
Contentus perages, ſi viuere cum Ioue tendis.
Iam pueris pellem ſuccinctus, & œnophorum aptas
Ocyus ad nauem: nihil obſtat, quin trabe vaſta
Ægæum rapias, niſi ſolers luxuria ante
Seductum moneat, Quo deinde inſane ruis? quo?
Quid tibi vis? calido ſub pectore maſcula bilis
Intumuit, quam non extinxerit vrna cicutæ.
Tun' mare tranſilias? tibi torta cannabe fulto
Cœna ſit in tranſtro, Veientanúmque rubellum
Exhalet vapida læſum pice ſeſſilis obba?
Quid petis, vt nummi, quos hic quincunce modeſto
Nutrieras, peragant auidos ſudare deunces?
Indulge genio, carpamus dulcia: noſtrum eſt,
Quod viuis. cinis, & Manes, & fabula fies.
Viue memor leti: fugit hora: hoc, quod loquor, inde eſt.
En quid agis? duplici in diuerſum ſcinderis hamo:
Hunccine, an hunc ſequeris? ſubeas alternus oportet
Ancipiti obſequio dominos: alternus oberres.
Nec tu, cum obſtiteris ſemel, inſtantique negaris
Parere imperio, Rupi iam vincula, dicas.
Nam & luctata canis nodum arripit: attamen illi
Cum fugit, à collo trahitur pars longa catenæ.
Daue, cito, hoc credas, iubeo, finire dolores
Præteritos meditor: (crudum Chæreſtratus vnguem

Abrodens ait hæc) An ſiccis dedecus obſtem
Cognatis? an rem patriam rumore ſiniſtro
Limen ad obſcœnum frangam, dum Chryſidis vdas
Ebrius ante fores extincta cum face canto?
Euge puer, ſapias. dijs depellentibus agnam
Percute. Sed cenſen', plorabit Daue relicta?
Nugaris. ſolea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque artos rodere caſſes.
Nunc ferus & violens: at ſi vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? ne nunc, cum accerſat, & vltro
Supplicet, accedam? Si totus & integer illinc
Exieras, nec nunc. hic hic, quem quærimus, hic eſt:
Non in feſtuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille ſui palpo quem tollit hiantem
Cretata ambitio? Vigila, & cicer ingere large
Rixanti populo, noſtra vt Floralia poßint
Aprici meminiſſe ſenes: quid pulchrius? at cum
Herodis venere dies, vnctáque feneſtra
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
Portantes violas, rubrúmque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moues tacitus, recutitáque ſabbata palles.
Tunc nigri lemures, ouóque pericula rupto:
Hinc grandes Galli, & cum ſiſtro luſca ſacerdos,
Incuſſere deos inflantes corpora, ſi non
Prædictum ter mane caput guſtaueris alli.
Dixeris hæc inter varicoſos centuriones,
Continuo craſſum ridet Pulfenius ingens,
Et centum Græcos curto centuſſe licetur.

AD CÆSIVM BASSVM

VI.

ADmonuit iam bruma foco te, Baſſe, Sabino?
Iamne lyra, & tritæ viuunt tibi pectine chordæ,
Mire opifex numeris veterum primordia rerum,
Atque marem ſtrepitum fidis intendiſſe Latinæ,
Mox iuuenes agitare iocos, & pollice honeſto
Egregios luſiſſe ſenes? Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernátque meum mare, qua latus ingens
Dant ſcopuli, & multa littus ſe valle receptat.
Lunai pretium eſt operæ cognoſcere ciues.
Cor iubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe
Mæonides Quintus, pauone ex Pythagoreo.
Hic ego ſecurus vulgi, & quid præparet Auſter
Infelix pecori: ſecurus, & angulus ille
Vicini, noſtro quia pinguior: & ſi adeo omnes
Diteſcant orti peioribus, vſque recuſem
Curuus ob id minui ſenio, aut cœnare ſine vncto,
Et ſignum in-vapida naſo tetigiſſe lagena.
Diſcrepet his alius. Geminos horoſcope varo
Producis genio. Solis natalibus, eſt qui
Tingat olus ſiccum muria vafer in calice empta,
Ipſe ſacrum inrorans patinæ piper: hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. vtar ego, vtar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,

Nec tenuem ſolers turdarum noſſe ſaliuam.
Meſſe tenus propria viue: & granaria (fas eſt)
Emole. quid metuas? occa: & ſeges altera in herba eſt.
Aſt vocat officium: trabe rupta, Bruttia ſaxa
Prendit amicus inops: rémque omnem, ſurdáque vota
Condidit Ionio: iacet ipſe in littore, & vna
Ingentes de puppe Dei: *iámque obuia mergis*
Coſta ratis laceræ. nunc & de ceſpite viuo
Frange aliquid: largire inopi, ne pictus oberret
Cęrulea in tabula. Sed *cœnam funeris, heres*
Negliget iratus, quod rem curtaueris: vrnæ
Oſſa inodora dabit: ſeu ſpirent cinnama ſurdum,
Seu ceraſo peccent caſiæ: neſcire paratus.
Túne bona incolumis minuas? Sed Beſtius *vrget*
Doctores Graios. Ita fit, poſtquam ſapere vrbi
Cum pipere, & palmis venit noſtrum hoc, maris expers,
Fœniſecæ craſſo vitiarunt vnguine pultes.
Hæc cinere vlterior, metuas? at tu, meus heres
Quiſquis eris, paulum à turba ſeductior audi.
O bone num ignoras? miſſa eſt à Cæſare laurus
Inſignem ob cladem Germanæ pubis, & aris
Frigidus excutitur cinis: ac iam poſtibus arma.
Iam chlamydes regum, iam lutea gauſapa captis,
Eſſedáque, ingentéſque locat Cæſonia Rhenos:
Dijs igitur, genióque ducis. centum paria, ob res
Egregie geſtas, induco: quis vetat? aude.
Væ, niſi conniues. Oleum, *artocreáſque popello*
Largior: an prohibes? dic clare: Non audeo inquis:
Exoſſatus ager iuxta eſt. Age, ſi mihi nulla

Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, ſterilis matertera vixit,
Déque auia nihilum ſupereſt: accedo Bouillas,
Cliuúmque ad Virbi: præſto eſt mihi Manius heres,
Progenies terræ: quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater, haud promte, dicam tamen. adde etiam vnum,
Vnum etiam, terræ eſt iam filius: & mihi ritu
Manius hic generis prope maior auunculus exit.
Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcas?
Sum tibi Mercurius: venio deus huc ego, vt ille
Pingitur, an renuis? vis tu gaudere relictis?
Deeſt aliquid ſummæ, minui mihi: ſed tibi totum eſt,
Quicquid id eſt. Vbi ſit, fuge quærere, quod mihi quondã
Legarat Tadius, neu dicta oppone paterna.
Fœnoris accedat merces:, hinc exime ſumtus:
Quid reliquum eſt? reliquum? nunc nunc impenſius vnge,
Vnge puer caules. Mihi feſta luce coquatur
Vrtica, & fiſſa ſpumoſum ſinciput aure:
Vt tuus iſte nepos olim ſatur anxeris extis,
Cum moroſa vago ſingultiet inguine vena,
Patriciæ immeiat vuluæ, mihi trama figurę
Sit reliqua, aſt illi tremat omento popa venter.
Vende animam lucro, mercare, atque excute ſolers
Omne latus mundi, ne ſit præſtantior alter,
Cappadocas rigida pingues plauſiſſe cataſta.
Rem duplica. Feci, iam triplex: iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam. Depunge, vbi ſiſtam,
Inuentus, Chryſippe, tui finitor acerui.

FINIS.

INDEX VERBORVM PERSII OMNIVM QVÆCVMQVE in Satyris extant.

Prior numerus Satyram, poſterior verſum Satyræ indicat.

A.

ABacus, 1. 145.
Abdita, 1. 106.
Ablatura, 1. 114.
Accedas 1. 20. accedam 5. 163. accedo 6. 55. accedat 6. 67.
Accerſor 5. 172
Accius 1. 50. 76
Accipio 5. 87
Acerra 2. 5
Acerui 6. 80
Aceti 4. 32. 5. 86
Acre 4. 34. 5. 127
Acri 2. 13. 3. 23. 5. 14
Actus 5. 99
Adde 6. 58
Adductis 3. 47
Adeò 6. 14
Adhuc 3. 58
Admiſſus 1. 131
Admoneam 2. 75. 61
Adnuere 2. 43
Adſit 3. 7
Adſonat 1. 116
Aduehe 5. 134
Aduerſo 1. 58
Aduncâ 4. 40
Ædes 2. 36
Ædilis 1. 144
Ægeum 5. 142
Ægra 3. 63. 3. 88. 5. 129
Ægroti 3. 83
Æquali 5. 47
Aër 2. 59. 3. 39
Ærumnæ 1. 92. ærumnoſique 3. 79
Affero 1. 83. 5. 7
Afflate 1. 137
Agam 5. 97. 134. 154
Agazo 5. 76
Age 2. 17. 42. 6. 52
Agedum 2. 22
Aget 2. 49. 6. 52
Agis 3. 5. 5. 154
Agitaro 5. 129. 6. 5
Agna 5. 167
Ah 1. 22
Ahenos 2. 56
Ais, 1. 16. 54. 99. 3. 7. 4. 27
Alba 1. 30. 124. 3. 115. 5. 183. 159
Albata 2. 40
Albo 3. 98
Alea 5. 57
Algente 3. 111
Alges. 3. 115
Alia 3. 36
Alienis 1. 36
Aliquem, aliquid, aliquis, alius, aliud
alter, altera 1. 31. 5. 67
Alternus 5. 155. 156
Alto. 3. 33. 5. 95.

Amarum 4.48
Ambages 3.20
Ambiguum 5.34
Ambitio 5.177
Ambo 5.43. & 45
Amens 3.20
Amice 5.23. amo, 1.69
Amicis, 1.130. 3.47. 5.109. 6.28.
Amitis 3.104. amita 6.53
Amplexa 5.182
Anceps 5.156. 4.11
Angues 1. 127
Angulus 6.13
Anguſtæ 3.50. & 2
Anhelare 1.28. 5.10
Anima, 1.28. 2.61. 5.23. 6.75
Animus 2.72. 4.7. 5.39. 65
Anne 3.39
Anſer 6.71
Antiopa 1.92
Antitheta 1.100
Anticyre 4.16
Anus 4.19
Apenninus 1.109
Aperte 2.7
Aprici 5.179
Apponere 2.2. 5.38
Appula 1.74
Aptare, 5.95. aptæ, 5.140. aptius, 1.59.60. aptior, 2.20
Aqualiculus 1.71
Arare, arator, aratrum, 1.89. 4.26. 102
Arcadia 3.9
Arcana 4.35. 5.29
Arceſſere 2.45
Archeſilas 3.79
Aretos 5.170
Arcum 3.60
Argentum 2.11. 52. 3.69
Ariſtæ 3.115
Arma 1.110. 6.45
Arreti 1.144
Arripere 5.159
Ars 5.10. 105
Articulos 5.59
Artifex 1.11.71. 5.50
Artocreæ 6.50
Arundo 3.11
Aſini 1.135
Aſper 3.69
Aſpicere 1.24. 125
Aſſem 1.102
Aſſenſere 1.50
Aſſidue 3.1. 4.81
Aſſigna 5.81
Aſtringas 5.110
Aſtrum 5.51
Aſtutam 5.117
Attinge 3.108
Atys 1.107. 119
Auaritia 5.132
Audere 6.49. 51
Audire 1.98. 139. 2.8. 3.47. 5.137 6.42
Auia, auias 2.31. 6.55
Auidos 5.150
Auio 1.160
Auratis 3.40
Aures 1.140. 2.21. 4.50. 5.63. 96 6.70
Auriculæ, 1.73. 124. 135. 3.23. 30 122.
Aurum, 2.53. 55. 59. 69. 4.44. 5.106.
Auſin 5.26
Auſter 6.12
Auunculus 6.60
Axis 5.72

B.

Balanatum 4.37
Balba 1.47

Balnea 5.126
Balteus 4.44
Barba 1.147.2.28
Barbatum hoc crede magiſtrum dicere 4.1
Baſſaris 1.115
Baſſe 6.1
Bathylli 5.123
Baucis 4.21
Beatulus 3.103
Belle 1.73
Bellum 1.101
Benè 1.125.4.22.30
Berecynthius 1.106
Beſtius 6.37
Beta 3.114
Bibulos 4.50
Bicipiti 1.2
Bicolor 3.10
Bidental 2.22
Bilis 2.14.46.3.8.5.144
Bis 2.16
Blandi 4.15.5.32
Bombis 1.113
Bona 2.5.8.63.6.21.37
Bone 2.22.3.94.6.43
Boni 4.17
Boue, 2.144. boues 1.98
Bouillas 6.55
Braccatis 3.53
Breuis 5.121
Briſei 1.90
Bruma 6.1
Bruta 6.27
Bruto 5.85
Buccas 5.13
Bulláque 5.31. bullatis, 5.19
Bullit 3.34
Buxum 3.51

C

Caballino fonte 1.1
Cachinno 1.26
Cachinnos 3.87
Cadere 3.102.5.91
Cæcus 1.76.4.44
Cædimus 4.42. cædit, 1.120
Cœleſtum 2.61
Cæpe 4.31
Cærulea 6.33. Cæruleum, 1.108
Cæſare 6.43
Cæſo 2.44
Cæſonia 6.47
Cætera 5.122
Calabrum 2.65
Calamus 3.12.19
Calcauerit 2.37
Calces 3.105
Calet 3.108
Calice 6.20
Calidæ, 4.7. calido, 1.47.3.100 5.144
Callem 3.57.4.5.105
Callidior 3.51. callidus, 1.132.5.14.
Callirhoen do 1.148
Calloni aptaueris 5.95
Calue 1.70
Camelo 5.136
Camino 5.10
Camæna 5.21
Campo 5.57. campos, 2.36
Candelæ 5.163
Candida 3.110. candidus, 2.2.5 33.4.20
Canicula 3.5.49
Canina 1.123
Canis 1.74.5.65.159
Canitiem 1.23
Cannabe 5.146
Cano 1.97

E

Cantare 1.14.102.103. 4.22. 5. 166
Canthus 5.71
Capilli 3.10
Capite, 3.80.106.5.18. capiti, 1. 97
Cappadocas. 6.77
Caprificus 1.39
Captis 6.46
Caput 1.114. 2.16.3.58.5.188. vide capiti.
Carbone 5.108
Carere 3.33
Carmen 1.7.34.77.4.3.5.2.5
Carpamus 5.151
Caſia 2.64.6.36
Caſſes 5.170
Caſtiges 1.21
Caſtoreum 5.135
Cataſta 6.77
Catenæ 5.160
Catino 3.111
Catinum 5.182
Catanis 3.45
Cauda 4.15.5.183
Caules 6.69
Cauſas 3.66
Cautus 4.49.5.24
Cedo 2.75
Cedro 1.56
Celſa 1.131
Cenſen 5.168
Cenſorémne.
Centenas 5.26
Centeno 5.6
Centum 1.43. 2.191.5.1.6.48
Centum centuriones 3.77.5. 189
Ceraſo 6.36
Cerdo 4.51
Certe 5.51. certo 5.45.65. 100
Ceruice, ceruices, 1.112.3. 41
Ceſpite 6.31
Ceſſas 5.127
Ceſſit 5.30
Chæreſtratus 5.162
χαῖρε 1.8
Chariſque 3.70
Chartæ 3.11.5.62
Chiragra 5.58
Chlamydas 6.46
Chordæ 6.2
Chryſidis 5.165
Chryſippo 6.80
Cicer 5.177
Ciconia 1.72
Cicutæ 4.2.5.145
Cinere 1.50.5.152.6.41.45
Cinnama 6.35
Cippus 1.51
Cirratorum 1.43
Circum 1.46.131
Citius 5.95
Cito 5.161
Citreis 1.47
Ciues 6.9
Cladem 6.44
Clam 1.133
Clamet 2.22.23
Clare 2.8.6.51. clarum, 3. 1.
Claudere 1.107. clauſo. 5.11
Cleanthea 5.64
Clientis 3.75
Cliuúmque 6.59
Coa 5.135
Cocta 1.111.3.22
Cœna 5.147.6.33

Cœnanda, cœnare 5.9.6.16
Cognatis 5.164
Cognoſcere 3.66.6.9
Colligis 1.36.5.85
Collo 3.50.5.160
Coluerit 1.32
Columba 3.16
Compage 3.58
Comitem 1.68. comites 5.32
Comitum 3.7. committere 2.4
Commotam 4.6
Compeſcere 5.100
Compita 4.28.5.35
Compoſitas, compoſitum, compoſitus 2.73.3.91.104
Conari 1.9
Conceſſit 5.119
Conche 2.66
Concordia 5.49
Condidit 6.29. condita 2.14
Conniues 6.52
Conſentire 5.46
Conſumere 5.41
Conſumpſimus 5.68
Contemnere 3.21
Contentus 5.139
Continet 5.98
Continuo 5.190
Conuiuæ 1.52
Coqui 3.6.5.10.6.69
Cocta 1.112.6.31
Cor 1.92.2.54.3.111.6.10
Corbes 1.85
Cornea 1.61
Cornicaris 5.1.2
Cornua 1.113
Cornute 5.23.37
Corpora 2.41.5.187
Corrupto 2.64
Cortice 1.110
Coruos 1.13.3.61
Corymbis 1.115
Coxit 2.65
Cras 5.66.68
Craſſa 2.42
Craſſi 2.26.3.114.5.60
Craſſis 3.12.5.190.6.40
Crateras 2.52
Cratere 3.65
Cratino 1.137
Credam 1.14.4.1.47.5.161. credere credas 1.143.5.80
Crepet 2.11.5.25
Crepidas 1.141
Crepuere 3.101
Creta 5.108
Cretata ambitio 5.177
Creſce 2.49
Cribo 3.122
Crimina 1.99
Criſpante 3.87
Criſpini 5.126
Crudi 1.65.106.2.67.5.162
Crura 4.42
Cubito 4.34
Cui 1.46.3.19.5.84
Cuius 4.25
Cuinam 2.19
Cuique 5.53. cuiuis. 2.6
Culpa 3.33.5.16
Cultor 5.63
Cultrixque 3.26
Cum 1.23.25.30.31.34.59
Cumini 5.55
Cunæ 2.31
Cur 3.16.83.5.89.6.61
Curas 1.15
Curata 4.18
Cures 2.18.3.78.91.5.72
Curgulio 4.38
Curibus 4.26
Curta 4.52.6.34.5.191

Curua 4.12. curuæ viæ. 1.61
Curuos curuus 3.52. 6.16
Cuſtos 5.30
Cute 1.37. 3.30. 63. 4.35.
Curicula 4.18
Cynico 1.147

D

DAre, 1. 82. 2. 45. 46. 50. 71. 4. 45. 5. 20. 93. 6. 35. 81.
Dama 5.76.79
Damnoſa 3.49
Datum, datus 3.68. 5.124
Daue 5.161.168
De præpoſitio infinitis locis 1.47. 69. 123. 2. 7. 18. 67. 71. 3. 77. 84. 91. 104. 6. 30 31
Debilis 5.99
Decenter 1.98
Deceptus 2.50
Decerpere 5.42
Decies 6.79
Decipe 4.45
Decoctus 1.139
Decoqui 5.57
Decor 1.106
Decorus 4.14
Decurſa 6.61
Decuſſa 3.112
Dedecus 1.95. 5.163
Dederam 5.105.118
Deducit 5.35
Deeſt 6.64
Defecerit 3.76
Defenſis 3.74
Defer 5.126
Defigere 5.16
Dei 6.30
Deinde 4.8. 5.143
Delumbe 1.118
Delphin 1.108
Demerſus 3.34
Demorſos 1.120
Demum 1.78
Denique 1.66
Dentalia 1.87
Dentes 3.101. 6.21
Deorum 2.29. deos 5.187
Depellentibus 5.67
Depinge 6.79
Depoſcere 1.26
Deprendere 3.52
Déque 6.55
Deradere 4.29
Deſcendere 4.23
Deſinis 4.16
Deſpuat 4.35
Deſpumare 3.3
Deſtertuit 6.10
Deterius 3.96. 4.21
Detonſus 4.38
Deunces 5.150
Dexter 2.11. 3.48. 57. 5.114
Deus 3.71. 6.62
Dextra 3.107
Dia 1.45
Dic 2.22. 4.3. 6.51
Dicam 1.70. 6.58. dicas, 1.37 49. 3. 42. 78. 4. 46. 5. 17. 158. 171. dicere, 1. 22. 58. 82. 142. 3. 90. 4. 2. 5. 81. 113. 189.
Dicendáque calles 4.5
Dicier hic eſt 1.42
dicíſque 3.117
Dicito Pontifices, 2. 69. dicito, 1. 69
Dicta 6.66
Dictarunt 1.66. dictata 1.43
Dictatorem 1.88
Didiciſſe, didicit 1.38.88
Diducit 3.56
Dies 2. 1. 3. 15. 5. 46. 60. 67. 180.

Digitus, 1. 42. 2. 33. ſ. 119. 138
Digna cedro loqui 1. ſ6
Dignoſcere ſ. 24. 10ſ
Diis 2. 63. 4. 27. ſ. 167. 6. 48
Diluis ſ. 100. dilutas, 3. 14
Dinomaches 4. 20
Dira 4. 2
Dirigat 1. 80. 3. 60
Dirimebat 1. 108
Diſcere 3. 73. ſ. 91. 3. 46
Diſcedo 1. 128
Diſcitéque ô miſeri 3. 66
Diſcernis 4. 11
Diſcincti 3. 31. 4. 22
Diſcolor vſus ſ. ſ2
Diſcrepet 6. 18
Diſcutit 2. 27
Diſponimus diſpoſitæ ſ. 43. 181
Diſſoluit 2. 64
Diſſutis 3. ſ9
Diteſcant 6. 1ſ
Diues 4. 26
Diuerſum ſ. 1ſ4
Diuidit ſ. 49
Diuis, 2. 4. diuum 2. 31. 3. 3ſ
Do 1. 148
Docet 1. 9. 3. ſ3
Doctus 1. 100. ſ. 16
Doctores 6. 38
Dolores ſ. 161
Doloſus nummus 1. 12
Domini ſ. 78. 12ſ. 130. 1ſ6
Domos 1. 89. 2. 2ſ. 3. 92
Dona 2. ſ3
Donare 1. 68. 4. ſ0. ſ. 77. 82
Donata, donatæ 2. 70. ſ. 31
Donec 2. ſ0
Dubites ſ. 4ſ
Ducentis ſ. 4
Ducere 2. 63. 3. 28. ſ. 40. 83. 176. 6. 48
Dulces, dulcia ſ. 23. 1ſ1. 109
Dum 3. 4. 4. 21. ſ. 10. 16ſ
Duo 1. 17. 127. ſ. 49
Duplicia 6. 78
Duplici ſ. 1ſ4
Duorum 3. 112

E.

E, 1. ſ2. ſ3. 3. 101. ſ. 136
Ebria 1. 6ſ
Ebrius ſ. 166
Ebuliat funus 2. 10
Ecce 1. 44. 80. 2. 31. ſ. 68
Echo 1. 116
Ecquid 3. 6ſ. ſ. 120. 134
Edictum 1. 134
Effluis 3. 20. effundere, 1. 79
Egeat, egit ſ. 69. 131
Egregiè 6. 49. egregium 4 46
Egregios 6. 6.
Ego 1. ſ9. 13ſ. 2. 38. 3. 30. 78. 4. 20. ſ. 26. 124. 6. 12. 22. 62.
Eheu ſ. 137. eia, ſ. 132
Elargiri 3. 71
Elegeida 1. 6ſ
Eleuet 1. 20
Eliquat 1. 49
Elixáſque 4. 40
Elleborum 3. 63. ſ. 10
Emaci 2. 3
Emere 2. 30. empta 6. 20
Emerit ſ. 74
Emole 6. 26
En 1. 40. 3. ſ. ſ. 134. 1ſ4. 6. 26
Enarrabile ſ. 29
Enim 1. 61. 77. ſ. 63
Enſis 3. 40
Epulis 3. 98, ſ. 42
Equidem 1. 114. ſ. 19. 46
Erat 3. 49. ſ. 93
Ergennáque 2. 26

Ergo 4.6
Eritis 1. 125 Eris 1. 55.5. 69 6, 42
Error 5.34. Es 1. 99. 3. 72. 4. 13. 51. 6. 61
Eſcas 1.36.
Eſſe i. 62. 3. 71. 79. 128. 4. 33. 6. 10
Eſſedáque 6. 47
Et, infinitis locis 1. 13. 17. 18. 23. 24. &c.
Etenim 1. 125. 3. 48. 4. 10. 5. 41
Etiam 6. 58. 59. etſi 6. 14
Euge 1. 60. 89 125. 5. 167
Eum 1. 116. 2. 27
Eupolidem 1. 138
Ex 1. 58. 104. 2. 63
Examen 1. 20. 5. 101
Excepto ſi quid Naſuri &c. 5. 90
Exclama 5. 103
Excuſſit 3. 115
Excuſſo 1. 132
Excutere 1. 63. 2. 64. 3. 101. 5. 22. 6. 45. 75
Exeunt 2. 32
Exero 5. 119
Exhalante 3. 99. 5. 148
Exieris i. 39. 59. 60. 5. 78. 130. 174. 6. 60.
Exoptas 2. 44
Exoſſatas 6. 52
Expecta 4. 19
Expediuit 1. 8
Expers 6. 39
Expes 1. 64
Expiat 2. 34
Exporrecto 3. 82
Expunguam pupillum 2. 13
Extat 1. 71. 4. 38
Extendit 3. 2. 105
Extinxerit 5. 145
Extincta 5. 166
Extis 2. 48. 6. 71
Extra nec te quæſiueris 1. 21. 127
Extremúmque 1. 62
Extrinſecus 5. 128
Exulcerat 3. 89
Exultat 1. 96

F

Fabula 5. 3. 152.
Face, facem 4. 32. 5. 166
Facere 1. 24. 2. 69. 3. 117. 4. 48. 5. 12. 76. 97. 112
Facies 2. 56
Fugi 5. 59
Falernum 3. 3
Fallere 5. 37
Fallier 3. 50
Fallit 4. 12
Fania 2. 8
Far 2. 75. 3. 25. 74
Farina 3. 112. 5. 115
Farragine 5. 77
Farratam 4. 31
Farto 2. 48
Fas 1. 22. 75. 3. 69. 5. 98. 6. 25
Faſce 3. 116
Faſque 2. 73
Fata 5. 49
Fauces 3. 113
Faucibus 3. 88
Fauilla 1. 53
Faxit 1. 126
Fecit 1. 58. 6. 78
Feciſſe 4. 7
Feneſtra 5. 180. 3. 1
Feram ferar 2. 53. 3. 62
Fermentum 1. 38. 3. 48
Ferrum 5. 4. ferre 4. 7
Feruere 1. 140. 4. 66. 5. 9

Feruenti 3.2.62.37
Ferueſcit 3.116
Ferus 5.175
Fiat 2.38
Fibra 1.61.2.45
Fibris 2.26.3.32
Fictile 2.60
Fidele 2.41
Fidelia 3.22.73.5.48.182
Fides 2.8
Fidis 6.4
Fieri 5.66.152
Figas 4.28.32
Figentes 3.8
Figuræ 1.100.6.73
Filius 6.59
Filix 4.41
Finditur 3.9
ine 1.62.3.24.5.65
ingendus 3.24
inire 5.161
initur 6.80
iſſa 6.70
iſtula 3.4
it 6.38
ixi 5.27
ixum 5.111
accus 1.116
agellas 4.48
agello 3.51
ammas 2.47
exura 1.111
exus 3.68
oralia 5.178
uere 1.78
umine 2.15.16
ci 1.86.3.25.61
edere 5.45 49
elix. 1.51.
eniſecæ 5.40
eno 1.86

Fœnoris 6.67
Fœtum 2.46
Folle 5.11
Fonte 1.1
Forcipe 4.40
Forent 5.17
Fores 5.167
Forte 1.60.122.139.3.109
Fortunare 245
Fortunatáque 1.53
Foſſor 5.122
Fractus 1.32
Frangam 1.44.144.5.50.58165. 6.32
Fratres 2.56
Fretus 4.3
Frigent 3.109
Frigeſcant 1.123
Frigidus 6.45
Frons 5.116. frontem pro pudore poſitum 2.32.5.104
Fruſtra 3.63.5.71
Fruge 5.64. fueris 5.115
Fuge 5.153.166.6.65.
Fuiſſe 1.43
Fumus 5.20
Fumoſa 1.86.6.70
Fulta 5.146. fulto 1.92
Funde 2.3.52
Funus 2.10.6.32
Fur 1.99.5.118.

G

GAlli 5.186
GAnnit 5.96
Gaudere 1.146.6.63
Gauſape 4.37.6.46
Gemina 4.10. geminas 5.18
Geminare 3.14
Generis 6.60
Genuerunt 3.39

Generoſo 2. 74
Generum 2. 37
Genus 2. 3. 4. 27. 5. 151
Gente 3. 77
Genuinum 5. 115
Germaniæ 6. 44
Geſtas 6. 49
Geſtis 1. 141
Gigni 3. 68. 88
Gluto 5. 112
Glyconi 5. 9
Græce 1. 84
Græci 5. 191
Graios 1. 41. 6. 38
Grana 5. 55
Granaria 5. 110. 6. 26
Grande ſupercilium 1. 28. 3. 55. 5. 7
Grandes 1. 82. 2. 42. 5. 186
Grandia 3. 45. 6. 22
Graue 5. 12
Grauem 3. 39. 5. 50
Gregibus 2. 46
Gurgulio 4. 38
Guſtaueris 5. 182
Guttas 2. 54. 3 14
Guttur 1. 31. 3. 99. 5. 60

H

HAbere 1. 64. 135. 3. 70. 4. 44. 5. 76.
Habita 4. 52
Hac 2. 63. 5. 73
Hæc 1. 16. 29. 60. 94. 117. 139. 2. 8. 15. 40. 64. 65. 66. 68. 4. 19. 39. 5. 5. 82. 87. 108. 113. 122. 189. 6. 41.
Hæreat 5. 121. hæres, 2. 12. 19. 6. 33. 41. 56
Heſternum 5. 68
Halitus 3. 89
Hamo 5. 154
Hanc 5. 82
Haud 2. 6. 3. 36. 52. 114. 4. 19. 5. 71. 6. 58
Hebenum 5. 35
Hedere 1. 6
Helicone 5. 7
Heliconidáſque 1. 4
Heminas 1. 144
Herba 6. 26
Hercule 1. 16. 2. 12
Herilis 5. 131
Heroas 1. 85
Herodis 5. 180
Heſterni 3. 120
Heſternum 3. 59
Heu 2. 17. 3. 94. 5. 75
Hianda 5. 3. hiante, 5. 176
Hic 1. 27. 33. 43. 46. 64. 123. 126. 134. 141.
Hinc 2. 55. 3. 103. 5. 16. 17. 64. 6. 67
Hircoſa 3. 77
Hoc 1. 38. 41. 63. 98. 101. 119. 126. 136. 2. 62. 70. 75. 3. 1. 27. 85. 4. 1. 9. 33. 49. &c.
Hominum 1. 15. 19. 66. 112. 3. 118.
Honeſto 2. 63. 74.
Honore 1. 143
Hora 5. 48. 153
Horoſcopus 6. 18
Horridulum 1. 68
Hortante 5. 21. horti, 6. 15.
Hoſpes 2. 8
Huc 3. 8. 6. 62
Huccine 3. 15
Humana qua parte locatus es in re, 3. 72.
Humero 1. 104. humeros 1. 46
Humiléſque 2. 6.
Humor 3. 12. hunc, 2. 1. 19. 37. 3. 97. 4. 27. 5. 57. 78. 155

Hinccine 5.155
Hiacynthina 1.46
Hybernátque 6.7
Hypſipylas 1.48

I

I, 4.19.5.126
Iaces 2.27.6.29
Iactare 4.15.5.175
Iam 2.14.49.50.3.1.10.63.5.33.48.53.59.61.78.79.110.140.158.6.146
Iamiam 2.50
Iámne 6.2. iampridem 3.97
Iámque 6. iamdudum 3.6
Iane 1.72
Id 2.71.3.48.95.5.97.6.16.65
Idcirco 2.28
Idem 5.66. ideo 6.23
donea 5.20
ecore 1.39.5.129
gitur 1.112.2.21.4.14.5.172.6.48
gnoſcite 1.25
gnoras 5.125.6.43
gnotus 4.34
gnouiſſe 2.24
ex 2.24
ia 4.43
iade 1.64.137
la, ille, illi, illinc, illis
lud 1.5.20.27.50.52.2.8.40.55.3.105.5.57.108.159.173.6.74
nagines 1.5
aitata 1.73
nuerat 6.73
amittere 2.62
nmurmurat 2.9
nò 2.51
apalleſcere 5.62
Impellere 2.13.22.5.128
Impenſiùs 6.68
Imperio 5.158
Implerunt 1.113
Imprimit 1.51
Improbe 4.47. improbum 1.20
Impune 5.32 impunitior 5.130
Imus 3.41.42
In 1.2.20.67.81.100
Inane 1.15. inanes 2.61
Incluſi 1.27
Incoctum 2.74
Incolumis 6.37
Increpui 5.127
Increuit 3.32
Incuruaſſe 1.105
Incuſáque 2.52
Incuſſere 5.187
Inde 1.140.5.153
Indetonſa 3.54
Indomitum 3.3
Induco 6.49
Inducit 1.88
Indulgere 1.55.165.5.57
Induto 3.106
Inepte 5.12. ineptus 5.175
In expertum 3.52
Infami 2.33
Inflantes 5.187
Infodiam 1.134
Infelix 3.43.6.13
Infundere 1.93. infuſa 3.13
Ingeminat 1.116.3.87
Ingemit 4.30.5.61
Ingenium 3.37.4.4
Ingeni largitor venter 1.10
Ingens 5.190.6.7. ingentes 1.54.6.96
Ingenuo 5.16
Ingero 5.177. ingeris 5.6

Inguine inguinis 5. 4. 6. 72. 4. 38
inhibere 2.34
Iniquas 1. 144
Innata 1. 39
Inodora 6. 35
Inopi 6. 28. 32
Iniquis 1. 69. 126. 5. 132. 133. 6. 51
Inſana inſano 3. 5. 46. 5. 143
Inſcitia 5. 99
Inſeris 5. 63
Inſomnis 3. 54
Inſpice 3. 88. 89
Inſtantíque 5. 157
Inſtat 5. 133
Inſulſo 5. 9
Intabeſcántque 3. 38
Integer 5. 173
Intendere 2. 49. 5. 13. 6. 4
Intepet 6. 7
Inter 1. 44. 2. 56. 3. 100. 4. 11. 5. 189
Intima 1. 35
Intortos 5. 38
Intrant 1. 35. 3. 2. 5. 128
Introrſum 2. 9
Intumuit 5. 145
Intus 2. 4. 50. 3. 30. 4. 20. 5. 129
Inuentus 6. 80
Inuideas 3. 73
Inuigilat 3. 55
Iocos 6. 5
Ionio 6. 29
Ioue 2. 18. 21. 43. 5. 50. 114. 139
Ipſe 1. 6. 134. 2. 23. 3. 117. 6. 21. 29
Ira 3. 116. iratus 1. 138. 4. 27
Irriguo 5. 56
Irrorans 6. 21
Is 5. 140
Iſta 4. 41. iſte 6. 71. iſtud 1. 16. 23 95
Ita 3. 7. 5. 81. 91. 6. 38
Italis 5. 54. italo 1. 143
Iter 5. 34
Iubeo 2. 26 62. 3. 72. 5. 89. 161. 6. 10
Iudex 2. 20. 5. 80
Iugum 4. 28
Iunctura 1. 79. 92. 5. 14
Inuicem 2. 47
Iupiter 2. 22. 25. 29. 40. 137
Iura 5. 137. iure 5. 40
Iurare 3. 90
Iuſtum 4. 9. 10
Ius 2. 73. 5. 176
Iuſſus 3. 90
Iuuat 1. 126. 2. 62
Iuuenci 3. 39
Iuuenes 6. 5. 5. 64. 5. 63
Iuuentus 3. 54. 86
Iuxta 6. 52

L

Labe 3. 25
Labefactent 4. 40
Labella 2. 32. labello 3. 82
Labentes 2. 2
Labeo 1. 18
Laborare 2. 17. 5. 39
Labra 1. 1. 119. 3. 102. 5. 184
Lacere 6. 31
Lacerna 1. 68
Lactibus 2. 30
Læna 1. 46
Læſum 5. 148
Lætari 2. 54
Læuis 1. 96. læuo 2. 52
Lagena 3. 92. 6. 17
Lallare 3. 18
Lambunt 1. 5
Lampada 6. 61
Lana 1. 46
Lance 2. 71. 4. 10

Lapidoſa chiragra 5.58
Lapillo 2.2
Laquearibus 3.40
Lare 5.109 laribus 5.31
Large 5.177
Largier 6.32.51
Largitor 1.10
Latet 3.113.5.29
Latinæ 6.4
Lato 4.44
Latus 6.7.76
Lauantur 3.98
Laudare 1.61.85.101
Laudanda 3.46
Laurus 6.43
Laxa 1.112. laxumque 3.58.5.44
Lectis 1.66.140.3.104
Legarat 6.66
Legens, legent 1.16.31.112.5.7
Lemures 5.185
Lenia 3.93
Lente 3.99
Leti 5.153
Leuior 1.51
Lex 5.98
Libabit 2.5
Libelle 1.134. liber 1.27.90.3.10.5.82.124
Libérque 5.114
Liberior 5.85
Libertas 5.73.82
Libertis 6.23
Libido 3.36
Libra 4.11.5.47
Librat 1.100
Liceat 4.39.5.84.87.89.97
Liceтur 5.191
Licini 2.36
Lictor 1.89.5.175
Ligus 6.6
Limen 5.165. limes 3.57
Limina 1.123
Limo 3.22. limum 4.29
Linea 3.4
Lingua 1.74.81.2.9.5.2.25
Linquere 1.57
Lippa 2.72
Lippus 5.77
Liqueſcant 2.47
Liquido 1.31
Litabis 5.120.2.75. litatus 5 104
Littera 1.124.3.56
Littore 6.29. littus 6.8
Locare 6.47. locatus 3.72
Locuplete penu 3.74
Locus 1.127
Locuturi 5.7. locutus 1.47 56
Loqui 1.94.4.8.5.2.153
Loturo 3.93. lotus 5.86
Lubrica 5.135
Luce 6.69.5.60.2.27
Lucernæ 5.181
Luciferi 5.103
Lucilius 1.128
Lucro 6.25
Luctata 5.159
Luctificabile 1.90
Lucus 1.84
Ludere 1.131.141.3.20.6.6
Ludus 5.16
Lumbi 1.34.4.35
Lumen 3.2.60
Lunaï 6.9
Lupe 1.129
Luſca 5.186. luſce 1.142
Luſtralibus 2.33
Lutea 3.96.6.46
Luto 5.111.3.61.3.23
Lux 5.67

Luxum 1.81
Luxuria 5.142
Lyra 6.2
Lympha 5.13
Lyncem 1.115

M

Macrine 2.1
Macrum 2.35
Mænas 1.115.119
Mæonides 6.11
Menáque 1.115.119.3.76
Magis 3.39.40
Magiſter 1.10.3.46.41
Magna 2.71.72.3.35.65.4.3.5.66
Magnanimus 6.22
Maieſtas 4.8
Maior 6.60.3.92
Maiorum 1.122
Male 4.9. maligne 3.21. malis 3.59
Mammæ 3.18
Mando 2.38
Mane 1.148.2.16.3.15.132.188
Mañes 5.152. manet 6.54.
Manibus 1.52.2.35.3.101
Manius 6.56.60
Manſueſcit 4.41
Mantica 4.24
Marcentes 4.36
Marcus 5.79.81
Mare 5.146.6.7
Marem 6.4
Maris 6.39
Marſi 3.75
Maſcula 5.144
Maſſa 2.67.5.10
Maſurî 5.90
Matertera 2.31.6.54
Mauis 4.45.5.5.56
Maxillis 4.37
Me 1.69.115.124.4.46.6.30
Mea 5.113
Medendi 5.101
Medico 3.90
Medis 3.53
Meditantes 3.83. meditari 5.162
Meiite 1.128
Melicerta 5.103
Melior 2.1.4.16
Melos pegaſeium 1.14
Membrana 3.10
Membris 3.115
Memini 1.3.3.44.5.41
Memor 5.153
Memphites 3.99
Men 1.102.133
Mendax 5.77
Mendoſe 5.85
Mendoſum 5.106
Mens 3.8
Menſa 5.44.5.17
Mentes 2.74.5.35
Mera 5.82
Meracas 4.16
Mercare 6.75
Mercede 2.19.6.67
Mercibus 5.54
Mercurialem 5.112
Mercurius 6.62
Mergis 6.30
Meruiſſe 1.56
Merum 2.3
Meſſalæ 2.72
Meſſe tenus propria 6.25
Mete 1.145.3.68
Metuam 1.61.3.26.6.26.41
Metuentia 1.57
Metus 5.131
Meus, a, um 1.136.5.88.6.7.

Menſa 5.44.5.17

Mille 5.52
Milleſime 3.28
Miluus. 4.26
Mimalloneis 1.113
Min 1.16
Minimum 2.17
Minui 6.16.37.64
Minutum 3.17
Mire 6.3
Miſcere 5.22
Miſer 3.13.66.107.5.65
Miſerabile 1.17
Miſſa 6.43
Mittere 2.36.57
Mobile 1.32.73
Modeſtò 5.149
Modice 3.92. modicum 3.25
Modicus 5.109
Modo 1.58.83
Modus 3.69
Mœſto 5.3
Molle 1.77.3.23.68.110
Momento 5.78
Mònitus 1.93
Monſtrari 1.42.3.57
Montes 3.65
Monumenta 3.75
Mora 5.171
Morari 1.91.125.2.43
Morbus 3.64
Mordaci 1.121.5.86
Mordens 4.30
More, morem, mores 1.40.81. 2.62.3.31.52.4.35.5.1.15.19. 38
Morientis, morituri 3.45.4.32
Moroſa 6.72. mos 5.1
Moueare 1.102.3.37.5.123.143. 184
Mox 5.108
Multa 3.73.4.49.6.8
Mundi 6.76
Munera 4.51
Muria 6.20
Murice 2.65
Murmura 3.81.5.11.26.
Muſa 1.82
Mutare 2.60.5.54
Muti 1.129
Mutire 1.133
Mycenis 5.17

N

NAm 1.22.63.2.13.56.5.70 159
Nare 1.47.123. naribus 1.55
Narrent dia poëmata 1.45
Naſo, 1.132.3.81.5.91.6.17
Naſci 1.54.5.130
Natalibus 6.19
Natalitia 1.30
Nata 5.48
Natat 1.119.5.183
Nates 4.40
Natræ 3.31
Natura 5.98.101
Nauem 5.141
Naufragus 1.102
Nauim 5.102
Nebula 5.7.18
Nec 1.1
Nefas 1.133.5.122
Negaris 2.38.5.133.157
Nepos 6.71
Nequaquam 2.51
Nequeas 2.4
Nequicquam 4.14.50
Nerea, Nerio 1.108.2.14
Nerui 2.41.4.45.5.129
Neſcire 3.43.88.5.12.51.6.36
Neſcius 5.34.101.

Neu 6.66
Nigri 5.1.85. nigrum 4.13
Nihil 1.41.3.84.94.5.128. 141
Nihilne 1.67
Nihilo 1.44.3.84
Nihilum 6.55
Nil 1.124.136.3.84.108.5.119
Nimis 1.54
Niti 5.6
Nocte noctes 1.104.2.16.5.42
Nocturnis 5.62
Nodoſáque 3.11
Nodum 5.159
Nollem 1.25.3.45
Nonaria 1.147
Nondum 3.76
Nonne 1.110
Noris 4.52.5.18. noſce 4.25.6.24
Noſter 1.9.2.62.5.22.47.50.115 178.6.14.39
Notaſti 5.108
Noui 3.30.4.43
Nox 3.91
Nucibus relictis 1.24
Nugæ 1.19.5.19
Nugari 1.70.84.183
Nugator 5.127
Nullus 1.72.136.5.120.6.52.53.54
Numæ 2.59
Numera 2.1.
Numeris 1.27.78.106.145.5.12.6.3
Nummi doloſi ſpes 1.26.2.51.3.70.4.47.5.80.111.149
Nuſquam 1.133
Nutrici 2.38
Nutrieras 5.150

O

O, 1.15.40.58.72.75.2.9.10.22.61.3.15.43.66.67
Obba 5.148
Oberres 4.26.5.156.6.32
Obiurgabere 5.169
Obſcœnum 5.165
Obſequio 5.156
Obſtat 5.141.157.163
Obſtipo capite 3.80
Obuia 6.30
Occa 6.26
Occipiti 1.76
Occurrite 1.76.3.64
Ocello 1.32
Oculi 1.80.2.34.3.44.117.5.33
Ocyma 4.22
Ocyus 2.24.3.7.5.141
Oenophorum 5.140
Offas 5.5
Officia 5.94. officium 6.27
Ohe 1.37
Oletum 1.126
Oleum 6.50
Olim 6.71
Oliuo 2.64.3.44
Olla 4.31.5.8
Olus 3.112.6.20
Omenta 2.47.6.74
Opem 2.41
Operæ 6.9
Opertum 1.135
Opifex 6.3
Opimo 2.48
Opimum 3.32
Oportet 5.155
Optare 1.98.2.37.3.69.5.2
Opus 1.81.121.3.65.5.43.73
Ora 5.2.6.6

Orbis 2.20
Orca 3.50.76
Ordo 3.67
Ore 3.113.5.15
Oreſtes 3.118
Os 1.56. vide ore
Oſcitat 3.59
Oſſa 1.51. 6.35
Oſtendere 5.24.38
Ouato 2.55
Ouile 2.49
Ouium 2.26
Ouóque 5.185

P

PActo 2.46.4.43
Pacuuiúſque 1.91
Pagina 5.20.
Palæſtritæ 4.39
Palatum 1.49
Palilia 1.86
Pallere 2.138.3.43.85.94.96.4.47 5.50
Pallentes 5.15.55
Pallidámque pirenen, 1.4
Pallor 1.40
Palmis 6.39
Palpo 5.176
Paluſtrem 5.60
Pandere 4.36
Pannoſam 4.32
Panmucia 4.29
Papæ 5.79
Pappare 3.17
Par 5.6
Paratum 1.104.146.6.36
Parca 5.48
Parere 5.158
Paria 6.48
Pariter 5.43
Parnaſſo 1.2
Pars 2.5.3.72.5.23.160
Parthi 5.4
Paruum 3.44.5.120
Paſſim 3.61
Paſta 3.55
Patellæ 3.26.4.17
Pater 3.35.47.6.58
Patres 1.93
Paterna 6.66
Paterni 1.117.3.24
Patinæ 2.42.6.21
Patranti 1.32
Patriæ 3.70
Patriam 5.164
Patritiæ 6.73
Patricius 1.75
Patruelis 6.53
Patrui 2.10.6.54
Patruos 1.25
Patula 3.6
Pauida 5.30
Pauiſſe 6.77
Paulò 5.115. paulum 5.69.6.42
Pauo 6.11
Peccare 2.68.5.119.6.36
Pecori 6.13
Pectus 4.37
Pectine 6.2
Pectore 2.53.74.3.88.107.117. 149
Pecuaria 3.9
Pecunia 3.109
Pecus 2.46.3.6
Pede 1.27.4.12. pedes 3.108
Pedius 1.99
Pegaſeium melos 1.14
Peioribus 6.15
Pellere 1.98
Pellicula 5.116
Pellis 3.95,4.14.5.140
Penates 2.45

Pendas 1.44
Pendere 3.12.40
Penu 3.74
pependit 5.31
Peragatur 5.139.150.6.22
Percuſſa 3.21. percute 5.168
Perdere 3.33
Perditus 1.37
Perducis 2.56
Perge 3.97
Pericli 4.3
Pericula 1.97.5.185
Periſſe 5.103
Perita 2.34
Perleue 1.78
Permittere 5.33.94
Pernæ 3.75
Peronatus 5.102
Pertrepidum cor 2.54
Pertuſa 4.28
Pes 3.61. vide pedes
Peſſime 2.46
Petere 5.64.149
Petulans 1.147. petulanti 1.26
Pexúſque 1.29
Phaleras 3.30
Phillidas 1.48
Picas 1.13. picaſque 1.10
Pice 5.148
Pictæ 5.15 pictum 1.103.6.32
Piger 5.132
Pilea 5.82
Pilos 4.5
Pinge 1.127.6.63
Pingue 3.33
Pinguis 1.71.110.3.74.5.181.6.77
Pinſit. 1.72
Piper 3.75.5.55.136.6.21.39
Pituita 2.57
Plantaria 4.39
Plaſmate 1.31
Plaudentibus 4.31
Plebecula 4.6
Plebeia 3.114.5.18
Plorabit 1.105.5.168
Plorabile 1.48
Pluteum 1.120
Pocula 1.44
Poëmata 1.45
Poëta 1.3.13.50.82.89
Poëtridas picas 1.13
Polenta 3.55
Politus 5.116
Pollice 5.40.6.5.
Polydamas 1.18
Ponatur 1.67.84.3.107.5.3.6.23
Pondus 5.20
Pontifices 2.69
Ponto 5.134
Popa 6.74
Popello 4.15.6.50
Populi 1.29.56.77.132.3.30.86.112.4.1.36.50.5.178
Porci 1.86
Portam 3.105
Portantes 5.182
Portes 1.104
Porticus 3.54
Portum 6.9
Poſcas, poſcere 2.15.3.18.41.64.5.102.6.61
Poſitis 3.10. poſitum 3.111
Poſſe 1.97.142.2.72.3.84.5.111.178
Poſſidet 5.75
Poſt 1.148
Poſterior 5.72

Poſtibus 6.45
Poſticæ 1.76
Poſtquam 3.9.5.88.6.10.38
Poſuiſſe 1.100
Pote 1.70
Potes 4.46
Potior 2.20
Potius 3.16
Potis 4.13
Præbere 2.28.4.42
Præcedenti 4.24
Præcipites 3.42
Præcipui 2.58
Præclarum funus 2.10
Præcordia 1.131.5.22
Prædia 4.25
Prædictum 5.188
Præfigere 4.13
Prægrandi 1.138
Prælargus 1.28
Præparet 6.12
Præponere 2.18
Præſtantior 6.76
Prȩſto 6.56
Præteritos 5.162
Prætore 5.88.93.114
Prætulerint 1.19
Prandeat 3.85
Prandia 1.81.148.5.18
Prece 2.3
Premere 5.11.5.39
Prendit 6.28
Preſſo 5.109
Prima 3.76.5.30.42.136
Primas 5.42
Prior 6.61
Prius 5.108
Pro 1.44.2.22
Probo 1.33
Procedens 1.66
Procerum 2.5
Prodirem 1.3
Producis 6.19
Progenies 6.57
Prognes 5.8
Prohibes 6.51
Prolui 1.1
Promittere 3.65
Prompte 6.58
Proneptis 6.53
Propago 2.72
Prope 4.34.5.70.6.60
Propenſi 1.71
Properandus 3.23
Propinquis 3.70
Propria 6.25
Protegit 4.45
Protinus 1.124
Protulerim 1.103
Proxima 3.43. proximus heres 2.12.
Prudentia 4.4
Pſittaceo quis expediuit ſuum χαῖρε, 1.8
Pubis 6.44
Publica 5.98
Publius 5.74
Pudet 1.97.3.31
Puella 2.37.3.110
Puer 5.126.140.167.169.6.9.22
Pueri 1.93.127.3.17.4.31
Pulcrius 5.179
Pulcrum 1.42
Pulmentaria 3.102
Pulmo 1.28.2.30.3.27.5.92
Pulpa 2.63
Pulſa 5.24
Pultes 6.40
Puluere 1.145.2.67.

Puncto 5. 106
Punire 3. 53
Pupæ 2. 70
Puppe 6. 30
Pupillus 5. 28
Purgas 2. 16
Purgatas 5. 63
Purgatiſſima 2. 52
Purpura 5. 30
Purpureas 3. 41
Purum 3. 25
Putare 2. 24. 3. 73. 4. 9
Puteal 4. 49
Putre 3. 114. 5. 58
Pyrene 1. 4
Pythagoreo 6. 11

Q

QVà 6. 7
Qua 1. 65. 2. 29. 3. 72. 5. 72
Quæcunque 1. 24. 3. 47. 53. 56. 4. 17
Quærere 5. 174. 6. 57. 65
Quando 1. 60. 4. 28
Quamuis 2. 40. 5. 70
Quaſi 5. 66
Quatit 2. 35
Queo 5. 133
Querela 91
Querimur 3. 12. 14
Querere 1. 94
Qui 1. 55. 70. 105. 108
Quicquam 5. 128
Quicquid 1. 66 2. 37
Quin 1. 98. 2. 71. 4. 14
Quicunce 5. 149
Quinque 4. 39
Quippe 1. 102
Quiritem 3. 106. 4. 8. 5. 75
Quiſquam 1. 126. 5. 85
Quiſque 5. 73
Quondam 6. 65
Quorſum 5. 5

R

RAbioſa 3. 81
Radere 1. 121. 3. 50. 114. 5. 15
Ramale 1. 111. ramalia 5. 59
Ramos 3. 56
Ramoſa 5. 35
Ramum 3. 28
Rancidulum
Rapere 2. 37. 5. 142
Rapidæ 5. 94
Raptum 1. 114
Rara 1. 60
Raſis 1. 99
Raſiſſe 2. 66
Raſtro 2. 11
Ratio 3. 36. 5. 39. 96. 119
Ratis 6. 31
Raucus 5. 11
Re 3. 72
Recens 1. 29. 5. 54. 136
Receptat 6. 8
Receſſi 5. 88
Receſſus 2. 73
Recti 1. 62. 4. 11. 5. 17. 104
Rectius 4. 9
Recuſare 1. 55. 3. 18. 5. 70. 6. 15
Recutita ſabbata 5. 184
Redit 6. 79
Reduco 5. 118
Refulſerit 1. 12
Regina 2. 37
Reges 1. 81. 3. 17. 6. 46
Regula 4. 12. 5. 38.
Reguſtatum 5. 38
Relaxat 5. 125
Relicta 1. 24. 3. 38. 5. 168. 6. 63
Relinquo 1. 5. 5. 17
Reliqua 5. 87. 6. 53. 74

Reliquum 6.68.
Rem 2.44. 4.1. 5. 104. 6. 28. 34. 74
Remus 1.87
Renuis 6.63
Reparabilis 1.116
Repente 1.3.
Repeto 5.118
Repono 6.66
Requies 5.43
Requieſcere 3.90
Res 1.82.125.3.15.66. 4. 4. 5. 52. 93.6.48
Reſignent 5.28
Reſpice 4.51
Reſponde 2.17.3.22.4.19
Reſtas 3.97
Retecti 3.101
Retines 5.116
Reuello 5.92
Reuerti 3.84
Rex 2.37
Rhenos 6.47
Rhombos 6.23
Ridenti 1.130. ridere, 1.54.136. 146 3.6.5.190
Rigida 6.77 rigidos
Rima 3.2
Rite 3.111
Ritu 6.59
Robuſti 5.5.
Rodere 3.81.5.5
Rogare 2.40.3.93
Rogita 5.134
Roma 1.19.22
Romulæ 1.101
Romulidæ 1.45
Roſa 2.37
Rubellum 5.147
Rubra 5.169
Rubrica 1.80.5.90
Rubrúmque 5.182
Rudere 3.9
Rudis 5.103
Rugam 6.79
Rugoſáque 5.91
Rugoſum 5.55
Ruis 5.143
Rumore 5.164
Rumpere 3.27.5.13
Runcantem 4.36
Rupi 5.158
Rupta 1.39.5.185.6.27
Rure 3.24
Rurſus 3.4
Rus 1.85

S

Sabatta recutita 5.184
Sabino 6.1
Sacer 1.127
Sacerdos 5.186
Sacra 1.7
Sacras 2.55
Sacrum 2.26.69.6.21
Sæpe 3.44.5.9
Sæuos 3.35
Sagittis 4.42
Sale mordens 4.30
Salinum 3.25.5.138
Salit 3.111
Saliua 1.118.2.33.5.112. 6.24
Salutas 3.29
Sambucam 5.95
Samos 3.56
Sancte 2.15.2.73
Sanguis 1.75.3.116
Sani, ſanus 3.118
Sanna, ſannæ 1.76.5.91
Saperda 5.134
Sapere 1.35.120.3.78.4.21.5.167 6.38

Sapiens 3.53. 5.114
Sardonyche 1.30
Sartago loquendi 1.94
Satis 3.27.78
Satur 5.56.6.71
Saturi 1.45
Saturniáque 2.59
Saturnios 1.85
Satyri 5.128
Saxa 6.27
Scabioſus 2.13
Scabroſum 5.74
Scalpuntur 1.35
Scelerata 2.13
Scire 1. 41.67. 68. 79.146. 2. 27. 3. 49. 5. 4
Scilicet 1.29. 2. 19
Scinderis 5.154
Scintillam 3. 117
Scloppo 5. 13
Scombros 1.57
Scopuli 6. 8
Scribere 1.27. 59.67
Scutica 5. 131
Se 6.8
Secretam aurem 5. 96
Sectabere 5.71
Secuit Lucilius vrbem 1. 128
Secum 3.81
Secundo 5.72
Secura 3. 26
Securus 3.62. 6. 12. 13
Secus 1. 80
Sede 1.31
Seductior 6. 42
Seductus 2. 4
Seges 6. 26
Semel 1.38
ſemipaganus 1. 6
Semper 4.18. 5. 69
Semuncia 5.121
Sene 1.138
Senectæ 2. 41
Senes 5.64. 76. 169
Senior 1. 40. 3. 486. 16
Senſus 1.83
Sentis 2. 18
Sepeli 3. 97
Sepia 3. 13
Sequaces 1. 6
Sequenda 5. 101
Sequi 1. 11. 3. 61. 5. 14. 155
Serena 1. 33
Seri 5. 61
Seria 2. 11. 5. 44
Seriolæ 4. 29
Sermo 1.77
Seruas 5. 117
Seruitum 5. 127
Seſe 1. 143. 2. 23
Seſquipede 1. 71
Seſſilis 5. 153
Seu 5. 34. 48. 6. 36
Seueros 1.78
Siccas 3. 5. 5. 163. 6. 20
Siculi 3. 39
Signum 6. 17
Silentia 3. 47. 81
Siliquis 3. 55
Similis 3. 17
Sinciput 6. 70
Sine 1. 81. 3. 24. 25. 109. 6. 15
Singultiet 6. 72
Siniſtro 4. 27. 5. 164
Sinu 5. 37
Sinuoſo 5. 27
Sis 3. 96. 5. 122
Siſtro 5. 186
Sit 4. 30
Sitiente 3. 92. 5. 136
Socra ico 5. 37
Sodes 3. 89

Sole 4.18.33. 5. 54. 6. 19
Solea 5.169
Solers 5.37.142. 6. 22. 75
Solidum 5.25
Solitas 1.84
Solones 3.79
Soluta 3.58
Somnia 2. 57. 3. 83
Somniaſſe 1. 2
Somnis 5.56
Sonat 1.123.21
Sorbere 4.16. 5. 112. 4. 32
Sorbitio 4.2
Sordidus 1.142
Sparſiſſe 5.33
Species 5.52. 5.105
Spectati 4.42
Spes 1.13 ſpem 2. 35
Spirant 3.5
Splene 1.26
Spondent 5.79
Spumoſum 1.110
Stadius 5.66
Staio 2.19.22
Stat 5.101
Stemmate 3.28
Steriles 5.75.6.54
Stertimus 3.3.58. 5.132
Stoïcus 5.86. Stolidum 2.28
Strepitum 6.4
Strigiles 5.126.131
Stringere 2.66
Struere 2.44
Studeam 3.19. 5. 19
Stultus 5.93.121
Stupas 5.135
Stupet 3.32
Sua 4.51
Subærato 5.106
Subdite 5.124
Subduximus 1.109
Subeas 1.169
Subere 1.111
Subijce 2.55. 3. 100. 4.12
Subriſit 3.110
Subſellia 1.96
Subter 3.41. 4.43
Subura 5.32
Succinctis 3.31
Succinctus 3.20
Sudans 3.47. 5. 150
Sudes 2.53
Sufficiat 3.4
Suffla 4.20
Sui 3.176
Sulphure 2.25
Sumis 5.129
Summa 1.118.3.34
Summum 33.48
Sumptus 3.67
Superbo 1.114
Supereſt 6.55
Superis 2.43.71
Supinus 1.143
Supellex 4.52
Supplantat 1.39
Supplice 2.35
Supplicet 5.173
Suppoſita 3.116
Suppoſui 5.36
Supra 1.132
Surdáque 6.35.128
Surge 3.57. 5. 132.135
Surrentina 3.93
Suſcipis 5.36
Suſpendere 1.132. 4. 10. 5. 54
Suſpiret nummus in imo 2.17
Suſurros 2.6
Suum 1.8. 5.53
Sydere 5.46

T

Tabellas 5.81

Trutinantur 3.82
Tua 1.89.5.23
Tuba 3.103
Tucetáque 2.42
Tulit 89
Tum 5.60
Tumebit 2.14.3.63.5.183
Tumidus 5.13
Tumulo 1.53
Tunc 1.23.25.2.35
Tunicatum 4.30
Turba 4.7.6.42
Turbida Roma 1.19
Turbinis 5.78
Turdorum 6.24
Turgeſcit 3.8.5.20.56
Turgidus 3.96
Tyberyno 2.15
Tyrannos 3.35

V.

Væ 6.56
Vafer 1.129.146
Vago 6.72
Vallo 6.8
Vaneſcat 3.13
Vapida 5.117.148.6.17
Vaporatas 1.140
Vappa 5.77
Varicoſas 5.189
Varo 4.12.6.18
Vaſa 2.59
Vaſta 5.141
Vatibus hic mos eſt 5.1
Vatum ſacra, 1.7.48
Vbi 1.35.85.4.6.11.665.79
Vda 2.32
Vectidi 4.25
Vegrandi 1.111
Velina 5.73
Velis 3.36.5.170
Velant 1.147.2.28.4.39
Velle 1.55.5.53
Vellus 2.65
Velox 4.4
Vena 1.117.2.66.3.91.6.72
Vende 1.136 6.75
Veneno 3.37
Venenoſus 1.90
Venere 2.70.5.58.180
Venerit 1.95
Venire 3.11.16.62.64.4.5.
Venter 1.11.3.98.6.74
Ventis 3.27.5.11
Veratro 1.65
Verba 9.49.3.19.45
Vere 5.113
Verecunda 5.44
Veri 5.48.75.105
Vernæ 4.22
Vero 1.121
Verrucoſa 1.91
Vertigo 5.76
Veſtales 2.60
Vetare 5.90.101.6.49
Veteres 3.83.4.29.59.63.5.91.116
Vetitos 5.99
Vetule 1.36
Vetus 1 111
Viatica 5.65.
Vilice 4.49
Vicem 4.49.
Vicini 3.110.6.14
Vicinia 4.46
Viciſſim 5.107
Victuri 3.67
Videre 1.33.83.94.121.134.3.4.38
Vina 3.100

Vincere	2. 48	Vncta	3. 103. 4. 17. 5. 180
Vincíque	5. 39	Vnda	3. 34. 68
Vincula	5. 158	Vndique	3. 59
Vindicta	5. 88. 125	Vnge	6. 68. 69
Violæ	1. 55. 5. 182	Vnguine	6. 40
Vino	5. 183	Vocat	5. 171. 6. 27
Virgine	2. 70	Voce	1. 33. 5. 28. 6. 3.
Viri	1. 50. 110	Voces	1. 11. 5. 1. 26
Viridi	3. 22	Volet	1. 105. 5. 84. 87
Virtutem	3. 38	Voluntas	5. 89
Vis	1. 70. 2. 19. 5. 144	Vomuere	5. 181
Viſa	3. 109	Vota	2. 7. 35. 38. 3. 49. 5. 109 6. 28
Viſo	4. 47		
Vitæ	5. 34 61. 63. 94	Vrbem	1. 128. 6. 38
Vitanda	5. 107	Vrget	6. 37
Vitiarunt	2. 65. 5. 97. 6. 40	Vrna	2. 60. 5. 149. 6. 34
Vitio	2. 32. 68. 4. 13	Vrtica	6. 70
Vitium	1. 130 3. 21	Vſqueadeo	1. 40
Vitrea	3. 8	Vſum	5. 52. 94
Vitulo	1. 114	Vtar	2. 68. 6. 22
Viue 1. 23. 75. 118. 2. 7. 3. 31. 5. 84. 87. 104. 139. 6. 2.		Vtile	3. 70
		Vtinam	2. 12
Viuitur	4. 43. 5. 53	Vulgi	6. 12
Viuo	6. 31	Vulnera	4. 44. 5. 40
Vixiſſe	4. 17. 6. 54	Vulpem	5. 117
Vlcus	3. 13	Vulpenus	5. 196
Vlla	1. 117	Vultum	5. 40
Vlterior	6. 41	Vuluæ	6. 73
Vmbra	3. 4. 3. 74	Vuluas	4. 36
Vncis	1. 54	Vxor	1. 88. 2. 14. 3. 43

FINIS.

AVLI
PERSII FLACCI
SATYRARVM LIBER.

Ad hunc emendationes, & Commentarius, plu-res, & auctior, quàm priore editione,
THEODORI MARCILII
Profeſſoris eloquentiæ Regij.



PARISIIS,

Apud IOANNEM ORRY, via Iacobæa ad inſigne Samaritanæ.

---

cIↄ. Iↄc. XIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

ILLVSTRISSIMO D. REGINALDO BELNÆO

Patriarchæ & Archiepiſcopo Biturigum, Primati Aquitaniæ, magno Franciæ Eleemoſynario, deſignato Senonenſium Archiepiſcopo, ſacri conſiſtorij Conſiliario.

PALLIATVS quidam flori principum delibato Auguſto, εἰ πλέον εἶχον, πλέον ἐδίδουν, inquit, *Si maior copia mihi, liberalitas maior eſſet*: ego item tibi præſulum gemmæ, Patriarcha & primas inluſtriſſime, dixero, ſi quid meliùs & te dignius de ingenij mei officina exiret, tibi vni offerrem. Sic ampliſſima tua in rem huius regni florentiſſimam, in Muſarum ciuitatem Academiam Pariſienſem, in

Iuo Carnutenſis, & Fulbertus in epiſtolis.

omnes communiter quos ſemel Muſæ *naſcentes placido lumine viderunt*, beneficia merentur. Quæ cum recogito, vereor ſubinde ne tam diſpar munus tibi offerens, parũ aut ingenij mei tenuitatem, aut fortunæ tuæ & dignitatis amplitudinem ſcire videar: ſed tuorum in omnes copia & magnitudo meritorũ ſpem mihi certam facit, fore vt conatus hic meus tibi gratias agendi, & de iuuentute quæ ad Muſarum ſigna frequens eſt, bene merendi voluntas, grata tibi acceptaque ſit. Scio quanta Eccleſiæ, Regis Regníq. negociorũ cura diſtrictus viuas, quàm *nullũ* à ſalutari hoc *labore, te reclinet ociũ*, tamen ſi pateris narro fabellã tibi, qua rei Romanæ dominum rhetor ille olim & criticus oblectauit. Vellem vt ille potuit μελιχρᾷ τῇ φωνῇ ἀπαγγέλλειν, itẽ ego ſcriptione mellita exſequi poſſem Bœotijs ſtatum & ſollenne ſacrum Herculi erat. Inſtabat dies, victima Herculi aries, hunc qui ducebant in-

Jul. Pollux. lib. 1.

terclusit Aſopus fluuius, qui aqua cæleſti creuerat. Bœotij ne dies ſacrificij ſtatus effluéret, tali ingenio victimam ſimulauere. Pomo ſpecie & magnitudine eximia feſtucas ſuppoſuere, hi pedes arieti. duas item ad latus pomi feſtucas infixere, hæc arieti cornua. Tum ſimulatione ſacris ſolita, *Hercules,* inquiunt, *Promache, mactus hoc pomo ariete eſto.* Delectatus fertur illa ſacrificij indole Deus, ſupra quā ſi ariete feciſſent. Opto & ſpero non diſſimilem à te mihi benignitatis euentum, fore vt pro munere aliquo tibi hę cum meis notationibus Perſij Satyræ ſint. Et hæ quidem vultum præſulis tanti & Primatis ſubire fortè non indignæ ſunt, ſiquidem & in D. Chryſoſtomi manu & ſub ceruicali Ariſtophanes: at meis opus commendatione fuit, quibus niſi & à Poëta quem explicant, & à benignitate tua pretium acceſſerit, iacent.

Hæc in meam Perſij donationem

paucula præfatus,tibi præſul & Primas inluſtriſſime, Deũ Opt. Max. veneror, vt eccleſiæ,regi,regnoq. Academiæ, & Muſarum militiæ, florentem ſeruet, quam fauẽtiam prope eſt cum plenius exſequar, regiam eloquentiæ profeſſionem ordiens, cuius iam nunc ſpecimen exſtaret, ni curæ interueniſſent. Vale præſulum decus. Lutetiæ,a. d. x. Calend. Iunij cIↃ. IↃcI.

Ampliſſimæ tuæ dignitati nexu et mancipio.

THEODORUS MARCILIUS.

A· PERSII FLACCI
PROLOGVS.

GLOSSÆ veteres, ſiue is Cornutus eſt, iunxere prologum hoc Satyræ primæ; at non eſſe partem Satyræ vel cæcus perſpexerit. Neque autem Cornuto illi peruiſa mens huius antelogij. Nam poëtam hoc velle ait, ſcripta ſibi hæc fame cogente & vt ſalarium, ſiue diei vnius victum mereretur. Apage commentum hoc. Aliud longè Perſius tinnit. Nempe. Satis epicorum, lyricorum, anathematicorum & omne genus poetarum eſſe: ſibi Satyram cordi eſſe ex qua Reipubl. major vtilitas, quia pugnat Satyra corruptelæ morum. Ea vero tunc Romæ ſumma principe Nerone. Ego, inquit, ſemipaganus ſiue Satyricus ſum. Aliúſmodi poetas non moror qui nunc Romæ ὅσα ψάμαθός τε κόνις τε, & inter hos Nero ipſe. Plures etiam futuri,

Aliqua ſi doloſi ſpes refulſerit nummi,

ſi exſtiterint Mæcenates.

NEC FONTE.

Heſiodum hic notari ait quiqui eſt vetus ille interpres. At Heſiodus nihil vſquam de tali potione. Forte an autem olim tale commentum in Theogonia, anteriùs verſu illo Καί με χέλον ——— &c.

Indicio Aſclepiades Antholog. lib. iiij. Epigr. in imaginem Heſiodi. Facta enim laurei ſurculi mentione ſubiungit

Δῶκαν δέ κρήνης ἑλικωνίδος ἔνθεον ὕδωρ. &c.

Et dederunt laticem ſacrum mi Heliconidis vnda.

Quod expreſſum carmen videtur, vt & ſequens, ex Aſcræi verbis. At de Q. Ennio illud tritum Propertij eſt eleg. ij. lib. iij.

Vnde pater ſitiens Ennius ante bibit.

CABALLINO.

Infractus numerus vt eſſet σκάζων, & aptior Satyræ & conuicio. Plin. epiſt. xj. lib. v.

NEC IN BICIPITI.

Bene hic vetus interpres de Q. Ennio. Duplex vero Q. Ennij ſomnium, vt indicio Tullius in Lucullo. Vnum de his ſomniis narrauerat Q. Ennius in Epicharmo ſuo verſib. trochaicis: alterum in primo annali verſibus hexametris. De his ſomnijs Lucret. lib. j. Propert. eleg. ij. lib. iij. Horat. epiſt. ad Auguſt. Tertyll. c. xv. de anima.

MEMINI.

Verbo ipſo Ennij vſus, quod & Tertyllianus loco anted. tangens. *Pauum*, inquit, *ſe meminit Homerus Ennio ſomniante.* Ennij verbum profert Cariſius lib. j.

Commemini fieri me pauum. —— Rectiùs

Tum memini fieri me pauum. ——

Tum nempe poſtquam ex aliis in alia corpora migraui. Nam ex multis aliis Homerus in pauum, ex pauo deinde in Q. Ennium. vt infra dicere occaſio ad Sat. vj. Verbis itaq. traiectis apud Donatum eſt ad Andr. Act. ij. Sc. v. & Phorm. Act. j. Sc. ij.

Memini me tum fieri pauum,

VT REPENTE SIC POETA PRODIREM.

Vt repẽte poeta Æſchylus. De quo Pauſan. lib. j. c. xix. Ἔφη δὲ Αἰσχύλος μειράκιον ὂν καθεύδειν ἐν ἀγρῷ φυλάσσων σταφυλάς, καὶ οἱ Διόνυσον ἐπιστάντα, κελεῦσαι τραγῳδίαν ποιεῖν. ὡς δὲ ἦν ἡμέρα (πείθεσθαι γὰρ ἐθέλειν) ῥᾷστα ἤδη πειρώμενος ποιεῖν. Facio Latinũ. *Ait verò Æſchylus, adoleſcentulum ſe, cum eſſet cuſtos vuis adpoſitus obdormiſſe, in agro, & Liberum patrem ſibi ſuperſtantem præcepiſſe vt tragœdiam faceret. Cum autem diluxiſſet, ac viſo illi obtemperare vellet, experienti ſibi iam id factu facillimum fuiſſe.*

QVORVM IMAGINES HEDERAE SEQVACES.

Quorum dedicatæ imagines in bibliotheca Apollinis Palatini & hedera coronatæ. Iuuenal. Sat. vij.

Vt dignus venias hederis & imagine macra.

L. Seneca c. ix. lib. j. de tranquill. *Iſta exquiſita & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum.* Sueton. Caij c. xiv. *Sed & Virgilij & T. Liuij ſcripta & imagines paullum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amouerit.* Idem Tiberij. cap. lxx. Plin. cap. ij. lib. xxxv. & iunior Plinius epiſt. xxiix. lib. iv. Martial. prologio lib. ix.

Eæ imagines pleræque coronatæ ex hedera, quia & ipſi ante Poëtæ ſic coronati victores in commiſſionib. vt Horat. epiſt. iv.

Prima feres hederæ victricis præmia. ——

Et Od. j. lib. j.

—— *Doctarum hederæ præmia frontium.*

Propert. eleg. iv. lib. ij.

Cuius non hederæ circumiere caput.

Hinc iocus Polliani in Florum malum Poetam.

Χαίρω νὴ τὸν κλῆρον ὃν εὐκληρήσας ἐν ἄθλοις,

Ὡς περὶ χρείας τοῦ στεφάνου μεῤῥίδος.

Tam quod agone aliqua eſt, quàm ſi tibi nulla corona
Gaudeo, per ſortes, ſorte beate tua.

Lego ζῶδ στεφάνου. Et aculeus eſt in nomine χρείας. Tam optabile corona prorſus carere, quàm ſic parere vt tibi parta eſt, nempe in merentiſſimo, vt apud Petronium, eiuſcemodi *coronas etiam ad imperitos deferre gratia ſolet*. Et interduco, ὡς περὶ χρείας; & μεῤῥίδα ſortem accipio. Dixi *plere*. Nam & lauru coronati aliqui & myrto. Lauru vt Oda ij. lib. iv. Et vlt. lib. iij. Valer. Flaccus lib. j.

———*ſi laurea digna*
Fronte viret———

Varro Atacinus.

En quibus indicas vt crinem frondea Phœbi
Succingant, hederáue comas anguſtius ornent.

Myrto vt Ouid. principio v. Faſt. Amor. eleg. j. & vlt. lib. j. Coronati nempe hedera quoniam Bacchi tutela eſt, lauru quia Phœbi, myrto quia Veneris. Eorundem numinum tutelæ, & Poetæ. Bacchi quoniam potæ, & συμποτικοὶ. Apollinis quia vates. Veneris quoniam amaſiones. Latiſſimus hic campus, ſed alia eius decurrendi occaſio.

De commiſſionibus quidem ſiue certaminibus Poeticis. Sueton. Auguſti c. xxcix. Caij liij. Domitiani iv, Horat. epiſt. ij. lib. ij. Sat. x. lib. j.

————*hæc ego ludo*
Quæ nec in æde ſonent certantia iudice Tarpa.

Veniebant ad commiſſiones illas coronati. Sic illud cape Horatianum epiſt. ij. lib. ij.

Mox etiam ſi forte vacat ſequere, & procul audi,
Quid ferat, & quare ſibi nectat vterque coronam.

Qui commiſſione ſiue agone victus is detractam ſibi coronam dabat vincenti. Quo Flaccus ludens Sat. vlt. lib. j. de ſe & Lucilio quem carpſerat, dixit

———*neque ego illi detrahere auſim*
Herentem capiti multa cum laude coronam.

Hæc pœna ignaui Poetæ principe Auguſto. Caius autem poſtmodo commiſſione Lugdunenſi hoc amplius, *victi vt victoribus præmia conferrent* voluit, *& eorundẽ laudes componerent. Eos autẽ qui maxime diſplicuiſſent ſcripta ſua, ſpongia linguáue delere iuſſit, niſi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluiſſent.* Sueton. c. xx. *Spongia linguáue*, non vt diſplicuorum eſſet optio illa, ſed Caij.

Neque ſemper tamen ſic combinati & quaſi paribus compoſiti in agonibus illis, ſed ſæpe corona propoſita, quam de multis vnus auferret, vt Suetonij Domitiano c. xiij. Palfurius Sura *coronatus de oratoribus*. Et eiuſdem c. xij. Neronis ſuis Claudius ille, *orationis carminiſque Latini coronam, de qua honeſtiſſimus quiſque contenderat, ipſorum conſenſu con-*

ceſſam ſibi recepit. Coronamenta illa ad exemplum Græciæ. Nam ludis Pythiis & *Iſthmicis* agones poetici, & coronati victores. Plutarch. Sympoſiac. problem. ij. lib. v. τὴν ποιητικὴν στεφάνων ἐπινικίων τυγχάνουσαν, &c. *Poeticam coronarum victricium compotem.* ἀποφαινόμενοι relege ἀποφαινομένη. Mentio ibi & de agonibus poetarum Pythiis & Iſthmicis, vt & problem. iv. lib. ij. De Pythico agone poetarum & Pauſanias Phocicis. Et Athenis eiuſmodi coronamenta. Euſebius Chronicis. *Herodotus Athenis libros ſuos in Concilio legiſſet, honoratus eſt.* Repono. *Herodotus Athenis cum in Concilio libros ſuos legiſſet coronatus eſt.* Etiam Maſſiliæ, vt apud Plutarchum in Pompeio.

Datæ vero vincentibus proſa vorſaue oratione coronæ conſenſu iudicum. Vetus inſcriptio Hiſconij.

L. VALERIO L. F.
PVDENTI.

HIC. CVM. ESSET. ANNORVM
XIII. ROMÆ. CERTAMINE SACRO
IOVIS. CAPILOLINI. LVSTRO VI.
CLARITATE. INGENII
CORONATVS. EST. INTER
POETAS. LATINOS. OMNIBVS
SENTENTIIS. IVDICVM
HVIC. PLEBES. VNIVERSA MVNICIPVM
HISCONENSIVM. STATVAM.
AERE. COLLATO. DECREVIT. CVRAT. R. P.

In hac inſcriptione municipali coronant iudices: ſed Romæ coronauit quoq. Cæſar vt Papinij Silua iij. lib. v.

Hinc & κλῆρον εὐκληρῆσαι ἐν ἄθλοις. *Sortiri feliciter* nempe coronã, *in agone* poetico. Polliani epigr. anted. Similiterque in Græcia vt Plutarchi Sympoſiac. problem. ij. lib. v.

LAMBVNT.

Sic Macrob. Saturn. c. xix. lib. I. *Thyrſi mucro hedera lambente protegitur.*

IPSE SEMIPAGANVS.

Satyricus. Nam Satyra, originem ſi ſpectes, ruſtica & paganica eſt. Itaque *agreſtes Satyri* pro Satyra, Horatio ad Piſones:

Et, *ſiluis deducti Fauni.*

In tragœdia nẽpe Satyrica. Tragœdia eſt duplex, mera & mixta ſiue Satyrica. In mera perſonæ tragicæ, in mixta etiã Satyri ad delectationẽ & riſum. Horat. ad Piſones. Vitruuius c. iix. li. v. Orig. l. vii. cõtra Celſum vbi inquit, τὰ Σατυρικὰ δράματα ἐμποιεῖ γέλωτας. *Satyrica fabula riſum mouent.* &c. Iſacius prolegomenis ad Lycophronem. Laërtius in Bione. Ἔνατος πμηντὶς τραγῳδίας τῶν Ταρπικῶν λεγομένων. Corrige τῶν Σατυρικῶν λεγομένων. Male in aduerſariis c. iix. lib. xxj. reponitur

τῶν θαρσικῶν.

A Satyris itaque origo Satyræ, & Ixionius Grammaticis labor eſt, alias huius nominis originationes quærere. Fruſtra verò illi ſunt qui *ſemipaganum* interpretati, *inchoatum poetam*, ſiue ſemipoetam, niſi acceperint, Satyricum, eóq. ipſo ſemipoetam.

AD SACRA VATVM.

Pſeudocornutus interpres. *Ad ſacra vatum. Ad numerum Poetarum.* A quo non abit longè alius in aduerſariis c. vj. lib. xxi. At nihil liquidius, quàm *ad ſacra vatum adferre* carmen, qui adfert in ædem Apollinis Palatini recitaturus, vt nunc Perſius πλάσει Poetica, tanquam recitaturus. Ædes Apollinis Capitolini ſiue Athenæum. recitabulum Poetis Latinis, & commiſſionum quaſi arena, vt ædes Mineruæ ſiue Athenæū Græcis. Horat. epiſt. ij. lib. ij. Sat. x. lib. j. Dio in Didio Iuliano.

Quo pacto, inquies, ædes Apollinis Athenæum ſiue Mineruium eſt? Quia ibi Poetæ recitarent Romani, vt in Athenæo Græculi: ſiue quia vſus idem ædis vtriuſque. Sic Suidam cape interpretantem, Αθήναιον, ὅπ Απολλώνιον βεαχέως, τὸ ἱερὸν τοῦ Απόλλωνος. Lege Αθlώαιον, κατ' Απολλώνιον βαχέως, &c. Βεαχέως correptè, accentu in penultima. Syllaba correpta quæ ſine accentu, longa cui accentus. A. Gell. c. xxiv. lib. x. Interpr. Terentij ad Eunuch. Act. iii. Sc. iv. alij. In Athenæo illo ſacra vatum ſiue recitationes. Iul. Capitolin. Pertinace. *Cū Pertinax eo die proceſſionem quam ad Athenæum parauerat vt audiret Poetam, ob ſacrificij præſagium diſtuliſſet.* Æl. Lamprid. Alexandro: *Ad Athenæum, audiendorum & Græcorum & Latinorum rhetorum vel Poetarū cauſa, frequēter proceſſit.* Iul. Capitolin. in Gordianis. *Poſtea vbi adoleuit in Athenæo cōtrouerſiis declamauit, audiētibus etiā imperatoribus ſuis.* &c. Lege, *Cōtrouerſias.* D. Hieronymus De obitu Paullinæ ad Panmachium. *Quando omne Athenæum ſcholaſticorum vocibus perſonabat,* &c.

QVIS EXPEDIVIT PSITTACO SVVM XAIPE?

vt apud Martial. epigr. lxxiij. Pſittaci vox. *Cæſar aue.*

Benè verò Perſij membranæ literis Latinis chære. vox enim eſt Græcula ſed facta iuris Romanici. Similiter & apud ſcribam illum Philomelæ,

> *Pſittacus humanas depromit voce loquelas,*
> *Atque ſuo domino chære valéque ſonat.*

Philoſtrat. Apollonij lib. j. Τὸ γὰρ χαῖρε, καὶ τὸ εὖ πρᾶττε, καὶ τὸ ζεὺς ἵλεως, καὶ τὰ τοιαῦτα αἱ ὄρνιθες εὔχονται. Scilicet μαθοῦσαι παρ' ἀνθρώπων. *Nam chære, & bene rem gere, et Iupiter propitius, hæc aliáque aues hominibus vouent. doctæ ab his,* ſcilicet. *Hoc* Pſittaci *ingenium,* inquit Iul. Solin. c. lv. *ita Romanæ deliciæ miratæ ſunt, vt barbari Pſittacos mercem fecerint.* Facilè hic Solino fides. Nam & Varronis Terentij ſæculo iam Pſittaci promercales. Varro Virgula diuina, Marcellus in *Limen. Ad quos cū volucris venti vt eos vſque ad limina nitidabilis.* & in *Vile. At abos cum volucres venit, apud illos vſque ad limina indica vilis.* Comparemus

loci vtriuſque mendas, & vera lectio eluceſcet, *Pſittacus cum volucris venit apud illos, vſque à limine Indico vilis*. Pſittacum eis nempe voluptariis vilem ſiue non carum videri, quanquam venit ſiue venumdatur delatus Romam à limine Indico, eóque carior. Sic P. Ouid. Amor. eleg. vj. lib. ij.

Pſittacus ales imitatrix ab Indis.

VERBA NOSTRA CONARI.

Auium enim eſt *conari* magis quàm *eloqui*, vt de Pſittaco Apuleius Florida ij. *Eloqui* Pſittacum aut picam dixerit audiens, *conari*, videns. vt Martialis epigr. lxxvj. lib. vlt. Pica,

Si me non videas eſſe negabis auem.

Elegans Pauſaniæ in Arcadicis narratiuncula, de pica ſic vagitum imitata infantis, vt Herculi quoq; ſimilitudine imponeret.

VENTER ARTIFEX.

Seruius profert in illud I. Georg.

——— *& duris vrgens in rebus egeſtas.*

Horatius epiſt. poſter. lib. ij.

——— *paupertas impulit audax*
Vt verſus facerem ———

L. Seneca epiſt. xv. *Quos noua artificia fames docuit.*

CORVOS POETAS.

Etiam qui quæúe ingenio Poëtico non ſunt, ſiue carmen arte non natura ſcribunt, tamen dulciter canent. Natura poetæ vt aquilæ, arte vt corui. Pindar. Olymp. Oda ij.

PEGASEIVM MELOS.

Aliqui legunt, *Pegaſeium nectar*, vt & Pſeudocornutus, & Politianus Miſcellan. alij

Cantare Pegaſeium melos credas.

vt in aduerſ. c. xiii. lib. x. Sed ita numerus ille deſtructiſſimus. Bene in membranis eſt; *Pegaſeium melos*. Putes facere illud Q. Ennij annali xiii.

Matronæ melos complent ſpectare fauentes. apud Iun. Philargyr. ad iv. Georg. Sed facilis coniectura Ennium ſcripſiſſe. *Matronæ mœros complent*. Enimuerò nihil opus accerſitis longè auxiliis. Nota enim res Grãmaticorum pueris, longari ſyllabas liquidis λ. μ. ν. ρ. Sæpe hoc Iſacius literator inculcauit ad Alexandram ſuam Lycophronis, & vtrò quia res proletaria eſt, etiam iraſcitur inſcientibus.

AD SATYRAM I.

SATYRICO ſuo ſale perfricaturus corruptos Quiritium mores, quaſi ἀφ᾽ ἑστίας ſiue à lare ipſo, à ſuis conforaneis, ſiue eiuſdem Muſæ æmulis, Poetis nempe orditur. In his multa notat, vt j. ſcribillandi prurriginem, *Scribimus indocti*. &c. ii. Pompam recitationis. *Scilicet hæc,*

&c. *Hic aliquis*.&c. iii. Glorias inanes. *Quid didiciſſe*. &c. iv. Verborum & ſententiarum ἀτεχνίας ſiue inertias. *Ecce modo heroas ſenſus*.&c. v. φιλεριστίαν & vindictæ cupiditatem. *Sed quid opus teneras*.&c. Strictim & auditores ipſos tangit, vt. *Hic neque more probo*,&c.

Principium autem Satyræ quaſi deliberationem habet, An vtilis & honeſta ſcriptio Satyræ? Deliberatio illa perſonas habet Poetæ & Monitoris, vt Horatij Conſultatio perſonam ipſius, & A. Trebatij legiſperiti, Sat. j. lib. ii.

O CVRAS HOMINVM.

Imitatus Lucretium ex principio lib.ii.

O miſeras hominum menteis, ô pectora cæca. &c.

QVANTVM INANE.

Inanitatem ſiue inaniam in rebus ſiue rerum ſiue negociorum accipit generatim, non ſolum laudis adpetitum, vt eſt in aduerſar. cap. i. lib. x.

QVIS LEGET HAEC.

Satyras meas. Satyris eius nomen à principio illo & quaſi limine. *O curas hominum*. vt poſt paullò. *Arma virum*—pro Æneide. vbi hæc notatio plenior. Admonent gloſſæ veteres, hunc verſum eſſe tranſlatum ex primo Satyrarum Lucilij.

MIN' TV ISTVD AIS?

Monitoris hoc, pro Men' rogas? vt Plauti Menæchm. Ridiculè autem hoc à monitoris perſona in Poetæ perſonam noui nouitij interpretes.

NEMO?

Admirans Perſius hoc interrogat, monitorem, qui dixerat. *Nemo Herculè*.

VEL DVO VEL NEMO.

Reſpondet monitor Atticè *Vel duo vel nemo*. ἤ τις ἢ οὐδεὶς hoc eſt, pauciſſimi. Xenophon Pædiæ vii. τούτων δὲ τῶν περιεστηκότων ἤ τινα ἢ οὐδένα οἶδα. *Horum circumſtantium perpaucos noui*. Dio lib. xlvij. ἤ τις ἢ οὐδεὶς εἰς ἔχθραν ἀπ' ἰδίας τινὸς αἰτίας ἐκείνῳ ἐληλύθει. *Pauciſſimi eis ex cauſa priuata odio fuere*. Idem Caracallo. ἐδίκαζε μὲν οὖν ἤ τι ἢ οὐδέν. *Rarenter ius dixit*. Sic in formula vocantis ad commiſſionem, φησί τις, ἢ οὐδείς. *Ariſtophanes Veſpis*.

TVRPE ET MISERABILE.

Hoc Perſius. Etenim Poetæ aliiſque ſcribis turpe, non legi. Itaque lectorum copia eis vita eſt, & triumphus, vt Martiali epigr. xxcvii. lib. vii. Item aliis. Male cenſores mei, tribuunt verbum hoc monitori, vt & alia Satyræ huiuſce diuerbia, turbauere, non adtendentes Perſii eſſe dubitationes, monitoris conſilia. Perſium eſſe quaſi concupiſcentem & iraſcentem animi partem: monitorem verò tanquam rationem rectam. Perſio autem illi conſilia ſana tribuunt, quid ergo eſt opus monitore?

QVARE?

Monitor. Quare hoc tibi tam turpe? Potes enim *paucis contentus eſſe lectoribus*, vt Horatius Sat. vlt. lib. i.

NE MIHI POLYDAMAS.

Perſius. Vereor enim ne à Nerone & fece Romuli anteponatur mihi Labeo peſſimus Poetarum. Vera nempe Menandri vox.

> Ὄνον γενέσθαι κρεῖττον, ἢ τοὺς χείρονας
> Ὁρᾶν ἑαυτοῦ ζῶντας διαπρεπέστερον.
> *Satiu' ſt aſellum naſcier, quàm cernere*
> *Deteriores ſi beati prænitent.*

Polydamas autem Doricè Πωλυδάμας aut Πουλυδάμας Ionicè. Homer. Iliade xxii.

> Πουλυδάμας μοι πρῶτον ἐλεγχείην ἀναθήσει.
> *Polydamas labem atque notam mihi primus inuret.*

Quem Perſius in animo nunc verſum habuit. Polydamantis notam veretur Hector vt viri fortis: Neque rectè eſt Propertij eleg. i. lib. iii.

> ——— *et Polydamanta ſine armis*, aut vt alij
> ——— *& Polydamantas in armis.*

Paruulo interductu ſana lectio erit,

> ——— *& Polydamanta, ſine armis*
> *Qualemcunque Parin vix ſua noſſet humus.*

Parin ſine armis ſiue inermum, & qualemcunque. *&c.* Sic de Polydamante vt bellicoſo & pugnaci capiendus Silij verſus lib. xii. *Polydamanteis iuuenis Pedianus in armis.* Neque obſtat C. Plinius c. xlix. lib. vii. qui Hectorem & Polydamantem vocat *tam diuerſæ ſortis viros.* Neque enim hoc intelligi vult, Hectorem fortem fuiſſe, Polydamantem ignauum: ſed vtrumq. fortem, Verùm illi virtutem prudentiæ & conſilij vim defuiſſe: huic ſuperfuiſſe.

Polydamas autem hic Perſij, Nero πασχητικῶς. Satis hoc planè Cornutus.

ET TROÏADES.

Molles ac delicatuli Romani. vt Iliade ij. Ἀχαιΐδες pro Achæis. Et Æneide ix. Phrygiæ pro Phrygibus. Et Catulli Galliambo Gallæ pro Gallis Cybelæ. Tullij ij. de Orat. Egilia pro Egilio. Horat. Sat. iix. lib. j. *Fragilis Pediacia*, pro Pediacio. Et ſignificanter dictum. *Fragilis.* Gloſſæ ἀσθένεια φύσεως, ἐς γυναῖκας Fragilitas. *Filiola Curionis.* Tull. epiſt. xiv. lib. j. ad Att. Aimilius Lepidus orat. contra L. Sullam. *Fufidius ancilla turpis*, pro ſeruo. Pomponius apud Cariſium lib. j. *Mimatius ebria*, pro Mimatio ebrio. Neque rectè Cariſius hinc elici voluit ebriam dici à Pomponio genere virili. Sic M. Antonius apud Ciceron. Philipp. xiij. D. Iun. Brutum Albinum *veneficam* vocauit pro venefico.

In animo Perſij forte & ille Homeri verſus Iliade vi.

> Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας. &c.
> *Troianos vereórque & Troiadas* ———

LABEONEM PRAETVLERINT.

Pingit hunc Labeonem Cornutus, & illum ex eius Iliade verſum profert.

Crudum manduces Priamum Priamiquè piſinnos.

Ridiculè tranſlatum ex Homerico illo Iliadis ij.

Ὠμὸν βεβρώθοις Πρίαμον, Πριάμοιό τε παῖδας.

Piſinnos dixit pro liberis. *Piſinni*, liberi Iſidor. lib. x. Idem hic Attius Labeo de quo Perſius poſt paullò

———*non eſt hic Ilias Atti*

Ebria veratro?———

NVGAE.

Monitor. Male hic nauſcarunt, pro monitore, Perſium.

EXAMEN'VE IMPROBVM.

Iniquum. vt contra Æneide vlt.

———*duas aquato examine lances.*

NEC TE QVAESIVERIS EXTRA.

L. Seneca epiſt. vii. Introrſum bona tua ſpectent. Decretum hoc Stoïcum. Sapientem ex ſeſe aptum eſſe.

NAM ROMAE QVIS NON?

Κατ' ἔλλειψιν. Nam Romæ quis non auriculas Midæ ſiue aſini habet? vt poſt paullò

Auriculas aſini quis non habet?

AH SI FAS DICERE.

Monitor. *Si fas dicere*, hoc tam acerbum. Videlicet. Neminem eſſe Romæ ſine auriculis aſini.

SED FAS.

Perſius. Immo enim fas dicere. Atque hinc deinceps Satyra fluit, ſine monitore.

TVNC CVM AD CANICIEM.

Tunc fas hoc dicere, cum reſpiciò ad ſeniores. Nam hi omnes auriculis Midæ, multo itaque magis iuniores. Ergo ſic auriti omnes.

NOSTRVM ISTVD VIVERE TRISTE.

Ὀξυμώρως. Noſtram illam vitam triſtem. Vitam intus voluptariam & iuuenalem: extrorſum triſtem & ſenilem viuere, bellè viuere & voluptariè. Quod & benè viuere dixerunt. Sic voluptariis mortuis elogium Terentij Hecyra,

———*vixit, dum vixit, benè.* Nota & vetus inſcriptio: *Amici dum viuimus viuamus*. Et illud in ore vulgi, apud Tertyll. c. iii. De reſurrectione. *Viue dum viuis.* Græcis duplex ea in re verbum. Viuere quoquo modo βιοῦν: viuere iucundè ζῆν. Itaq. Similis præfectus prætorio Adriani tale ſibi mortuus elogium ſcribi voluit. Σίμιλις ἐνταῦθα κεῖται, βιοὺς μὲν ἔτη τόσα, ζήσας δὲ ἔτη ἑπτά. *Similis hic ſitus eſt, qui vixit annos tot, benè vixit annos ſeptem.* Ne rectè vertcris vt alij. *Cuius ætas multorum annorum fuit.* &c. Dio in Hadriano. Tali quoq. differentia vetus inſcriptio illa vinæ depoſitoriæ. ἡδὺς ὁ βίος, τὸ

ζῆν γλυκὺ τὸ θανεῖν ἀποψία.

Profert vero hunc Perſij locum Fabius c. iij. lib. ix.

NVCIBVS RELICTIS.

Nuces pro ſtudiis pueritiæ. Pueris nuces in deliciis. Hinc Ferentini inſcriptio vetus A. Quinc. Tilij die natali ſuo legantis annuam *pueris plebeis, ſine diſtinctione libertatis, nucum ſparſionem*, &c.

CVM SAPIMVS PATRVOS.

Supercilio cenſorio ſumus, & obiurgatores. Catull. in Gellium.

——Patruum obiurgare ſolere. &c.

Apuleius Flor. iij. *Patruus obiurgator.* &c. Tullius pro Cælio. Suetonius Caio c. ix.

TVNC TVNC IGNOSCITE.

Tali ætate vos reſpiciens auriculis aſini eſſe, ignoſcite ſi dico, nepotes Romuli omnes ſic eſſe auritos, auriculis Midæ.

NOLO.

Scripſerat ſi forte Perſius, *nolunt*, vt Horatij Sat. j. membranæ.

Quid ſtatis? nolunt. Hinc itaque natum, *nolo* in vulgatis. Nolunt illi ſic viuentes in ſpecie triſtitiæ & ſeueritatis, ignoſcere ſi quis eos Midæ aut Arcadicæ pecudis geminos germanos dixerit.

QVID FACIAM?

Quid faciam ergo? Anne omitto ſcriptionem Satyræ?

SED SVM.

Non omitto. Sum enim cachinno, ſiue natus Satyræ. Cachinnus & riſus ſiue inriſio conuenit Satyræ. Hinc Satyri *dicaces, riſores, proterui*, Horatio ad Piſones. Perſius ipſe fine huius Satyræ cum dixiſſet,

Auriculas aſini quis non habet? ſubiungit.

Hoc ridere meum. Hanc meam Satyram, qua rideo auriculas Quiritium & maximè Neronis. Tetigi & ante ex Origenis lib. vij. contra Celſum. Scoppa literator coniectaneis c. xij. lib. ij. legit *Siſum.* nullius libri veteris fide, & verò inuita mente Perſij. Deliberat enim Poëta, quia non ignoſcunt, Satyram pergat ſcribere necne? Quid faciam? Scribo an omitto? Sed ſcribam hercle, quia ſum cachinno. &c. Fundus receptæ lectioni & Seruius ad Æneidem xij.

PETVLANTI SPLENE CACHINNO.

Seruius ad illud Æneidis iix. *Atro felle dolor. Quo*, inquit, *iraſcimur ſecundum Phyſicos, vt ſplene ridemus. Perſius. Sed, um petulanti ſplene cachinno.* Refellit hanc de ſplene perſuaſionem vulgi, Alexander Trallianus Problem. cxxxvj. lib. j. Plinius vero in præcordiis locat officinam riſus cap. xiix. lib. xiv. c. xxxvij. lib. xj.

SCRIBIMVS INCLVSI.

Sequitur campus Satyræ ipſe, quem nunc decurrere pergit Poeta.

Incluſos accipe in cællæ Poeticæ gurguſtio tanquam carcere. Iuuenal. Sat. vij.

Qui facis in parua ſublimia carmina cella.

Et apud Horat. ad Piſones, Poetæ

——ſecreta petunt loca—— noti ſeceſſus & antra Poetarum.

NVMEROS ILLE, HIC PEDE LIBER.

Inuitus identidem à veteribus gloſſis abeo, ſed cogit Perſius. Scribæ numerorum in ijs gloſſis Poetæ; libero autem pede, oratores. At enim nulla huic Satyræ oratorum mentio. Fides a Perſio ipſo vbi cis paucos verſus ait ————*cum carmina lumbum intrant*.&c.

Numerorum itaque ſcribæ, & pede liberi, duplex Poetarum genus ſunt. Vnum epicorum, alterum dramaticorum. Epici Poetæ numeris adſtricti & pedibus certis: dramaticis maxima libertas aut vt meliùs dixero licentia eſt, Latinis duntaxat. Latinorum dramatis ſiue tragœdiis & comœdiis ſumma pedum licentia ex reſolutione ſpondei. Itaque Horatio ad Piſones hæc *inmodulata poemata*. Sic Comœdiarum *numeri innumeri* epitaphio Plauti apud A. Gellium. c.xxiv.lib.j. Aliter *innumeros numeros* Auſon. dixit in Protreptico ad Nepotem, neque rectè, qui eiuſdem modi eſſe opinati, vt aliàs dicendi campus. Nunc quidem numerorum ſcriptores accipio epicos, pedis liberi tragicos. Itaque ſequitur, *Grande aliquid*, &c. Epos aut tragœdiam.

QVOD PVLMO ANIMAE PRAELARGVS.

Anhelitus ex pulmone. Q. Cornufic. iv. ad Herenn. *Anhelans ex imis pulmonibus præ cura ſpiritus ducebatur*. Nunc itaq. *quod pulmo anhelet*, quod magno anhelitu recitetur. vt Ariſtophani Ranis πνευμάτων πολὺς πόνος. *Pulmonum plurimus labor*, de contentione vocis.

SCILICET HAEC POPVLO.

Hæc, grandia, epos tragœdiam. Pergit porrò pingere ſcænam recitationis, & proponere vt in tabella, quam operæpretium eſt articulatim quaſi radio intento præire. Hanc præitionem meam, quæ luci data eſt anno CIↃ. IↃCI. ſi ſecutus non eſt Iuſtus Lipſius ne præiuit quidem cum poſterior tempore ſit, edita anno CIↃ. IↃCII.

Recitabant ſcribę ſiue ſcriptores omnimodi. Eaq. de re Dio Romanus in Diogene. vt *Poetæ & hiſtorici*. Iuuenal. Sat.vij. Plinius epiſt. xxvij.lib.ix.xvij.lib.vij. *philoſophi*, L.Seneca epiſt.vij. Arrianus Epicteti cap.xvi.lib.ii.cap.xxiii.lib.iij. *Rhetores* item actiones ſuas ſiue orationes quas habuiſſent ad iudicē, poſt recitauere & amicis. M.Seneca procœmio lib.iv.Controuerſ. Plin. epiſt. xvij. lib. vij. epiſt. xix. lib.ij. Martial. epigr.lxx. lib. x. Etiam *literatores* ſiue *Grammatici*. Martial. loco quem dixi.

Sed propriiſſimè quidem Poetarum recitationes, vt eiuſdem epigr. xxciix.lib.ij. Plinij epiſt.xvij.lib. vij. Et de hoc genere ſermo hic nobis maximè.

Recitabant Poetæ in Mineruio ſiue Athenæo vt dixi ad procœmium. Subinde & in ædibus à rege aliquo ſiue diuite commodatis. Honori enim hoc regis ſui tribuebant quaſi potioris Mineruæ, & cœtu Apollinis. Iuuenal. Sat. vij. aut & alia de cauſa, quam mox dico.

domum mutuati vbi recitarent. Auctor dial. de oratorib. agens de Poeta recitaturo. *Nam*, inquit, *& domum mutuatur, & auditorium exſtruit.* &c. Arrian. Epicteti c.xxiii. lib.iii. Ἄκουσόν μου σήμερον διαλεγομένου ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ Κοδράτου. *Audi me diſſerentem hodie, in ædib. Quadrati.* Martial. epigr. vi. lib. iv.

In Stellæ recitat domo libellos.

Et Plinij epiſt. xii. lib. iix. *Titinnius Capito, domum ſuam recitantibus præbet.* Et in ædib. Frontonis auditorium, Iuuenalis Sat. j.

Domus cum Poetæ inuenta vbi recitaret, tum auditorium ſibi exſtruebat, pulpitum, & ſubſellia, impenſis ſuis ſcilicet. Auctor dialogi de oratoribus. *Et domum mutuatur, & auditorium exſtruit., & ſubſellia conducit, & libellos diſpergit.* Arrianus Epicteti c. xxiij. lib. iii. Δεῖ τεθῆναι χίλια βάθρα, καὶ παρακληθῆναι τοὺς ἀκουσομένους, καὶ σὲ ἐν κομψῷ στολίῳ ἢ τριβωνίῳ ἀναβάντα ἐπὶ πούλβινον διαγράφειν πῶς Ἀχιλλεὺς ἀπέθανε. *Diſponere oportet mille ſubſellia, & vocare audituros, & te in togula aut palliolo nitido, in puluinum eſcendere, et pingere quemadmodum occubuerit Achilles.* &c. *In puluinum* nempe ſiue pulpitum, quod tu impenſa tua exſtruxiſti. Vt ante dialogus de Oratoribus dixit, *Auditorium exſtruxit.* Auditorij pars potiſſima Puluinus ſiue pulpitum. Sic & Iuuenal. Sat. vii. Poetæ recitantis auditorium deſcribit,

Nemo dabit regum quanti ſubſellia conſtent,
Et quæ conducto pendent anabathra tigillo,
Quæque reportandis poſita eſt orcheſtra cathedris.

Pulpitum illud ſiue pluteus quaſi *orcheſtra*, *anabathra* illa tanquam gradus theatri. In pulpito ſiue puluino ſedes Poetæ altior ceteris. Perſius poſt paullò.

Sede leget celſa ——— ——— &c.

His autem paratis facta deinde inuitatio amicorum, & auditorum corrogatio. Inuitati amici per codicillos, & libellos, aut tali denunciatione, *ſi commodum ipſis venire.* Plinius epiſt. xiix. lib. iii. Sic auctor dialogi anted. à recitaturo *libellos diſpergi*, quibus nempe aduocet ſibi amicos & auditores. Et tamen libellis & codicillis inuitati, & multo ante rogati, & ſæpius ſiue identidē admoniti, ſæpe aut non veniebāt, aut planè inuiti veniebāt. Plin. epiſt. xiii. lib. i. Neq; dubites à pleriſq. ne rubori eis infrequēs auditoriū eſſet, emtos ſæpe auditores, vt ternis denariis redimūt cauſidici, Plin. epiſt. xiv. lib. ij. Hinc enim celebritas cauſidicis, quæ & laudi eis & lucro. Honorariū enim maius celebri patrono quàm ignobili vt hodierno iure l. 1. §. Si cui D. De extraordin. cognit. Sed olim ſportulæ patronis & ſine lege, aut & contra legē: hodie honoraria legitima. Recitatores quidem vt captarent auditorij frequentiam diuitis alicuius ſiue regis ædes requirebant, cuius liberti & comites frequentiā eis facerent. Iuuenal. Sat. vii. de diuite ędes commodante.

Scit dare libertos, extrema in parte ſedentes
Ordinis, & magnas comitum diſponere voces. Sic etiam apud

Laertium Protagoras recitat in ædib. Euripidi, aut vt alij, Megaclidi, aut

vt alij in Lyceo.

Cœnis quoque & ſportulis & munuſculis vt togula trita ſiue decote, redemtos auditores à recitaturis fidem facit mox Perſius ipſe.

———calidum ſcis ponere ſumen
Scis comitem horridulam trita donare lacerna.

Horat. ad Piſones.

Vt præco ad merces turbam qui cogit emendas,
Adſentatores iubet ad lucrum ire Poeta
Diues agris. &c.

Et negat ſe hoc facere Q. Horatius epiſt. xix.

Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor
Impenſis cœnarum, et tritæ munere veſtis.

Tangit & Martial. epigr. xxvij. lib. ij.

Paratum iam auditorium; ſequuntur ipſius recitaturi ornamenta. Præter illa quæ noſter hic recenſet, ſunt & alia, quæ paucis præmitto.

I. Focalia, id eſt, vellera ſiue lanæ quibus lector ille fauces ſuas foueret, ne in recitatione longa rauceſcerent. Hæc Martiali *lana* epigr. xlj. lib. vj.

Qui recitat lana fauces & colla reuinctus.

ſiue *Vellera*, epigr. xlj. lib. iv.

Quid recitaturus circumdas vellera collo?

Malè ibi focalia interpretati, *aurium ligamina*, vt & epig. cxlij. lib. vlt. Vbi cucurbita illa adpicta eſt. *Focal ſiue focale tegmen capitis aurium tenus demiſſum.* Haud vidi magis. Scilicet Fabius neſciuit focal quid eſſet cap. vlt. lib. xj. *diſtinguens focalia & aurium ligamenta*? Vbi & palliolum ante recenſuit. Palliolum capitis, focal faucium, ligamen aurium. Pallio velare caput magnarum deliciarum fuit, ſiue hominis voluptarij, vt Męcenas *pallio velatus caput*, L. Sen. epiſt. cxiv. & Trimalcio Petronianus *pallio coccino adraſũ incluſerat caput*. Et Demetrius Cn. Pōpeij Libertus apud Plutarchũ in Pōpeio. Benè itaq; palliolum & focal iunxit L. Seneca fine lib. ix. Natural. quæſt. *Videbis*, inquit, *quoſdam graciles, et palliolo focalique circumdatos, pallentes & ægros.* Idémque *malacum pallium*. Plauti Bacchid. Valdiſſimè caligant quibus de pallio humeris iniecto, ſiue amictu togæ oppoſito ibi aliquid in mentem eſt. Etenim palliolum ſpeciatim tegumen capiti. Duplex Romanis caput tegendi ritus, popularis, togæ lacinia: voluptarius, palliolo, idémque & inualidis. Alius hęc nobis dicendi campus. Pictura illius pallioli patet commentariolo de reb. bellicis adiuncto vtriuſque imperij notitiæ. Palliola nempe iſta quaſi mappæ, aut mantilia. Quocirca etiam cetera quibus quaſi mantellis aut mantilibus aliquid velatur, nominauêre pallia. Hinc ergo in ritib. eccleſiaſticis, mantellum, quo læua diaconorum manus velatur, *pallium linoſtimum* dixêre, vt apud Rabanum Maurum. De inſtitut. clericor. c. vij. lib. j. Platinam in Siluêſtro j. & Zoſimô j. Sic apud Petroniũ *Trimalcio*, ſiue alpha omnium *Malcionum tergetur non linteis, ſed pal-*

lijs ex molliſſima lana factis.&c. Et quia velari ſolitæ res talibus palliis ſiue mantellis, Plautus Captiu. Sc. iix. mantellum pro velamento dixit. *Nec mendaciis mihi vſquam mantellum meis. Mantellum*, pro mantili, ſiue mantelio. Seruius ad iv. Georg. Eademq. Iunius Philargyrius. Gloſſæ χειρόμακτρον. *Mantela.* Atque huic noſtra quoque pallia, aut ſagula potius, loquelariter *mantella.* manteaux. Forte an igitur & palliola poetis pleriſque, focalia quidem certe vt dixi, ne rauceſcerent: forte an & vox eis cæça raucáua ſi eſſet naturâ, vt diſſimularent focali, tanquam caſu hoc vitium eis, vnde & præfationes interdum Poetis ante lectionem, vt Martial. epigr. xiix. lib. iij. Sic & ad angiuam focal A. Gellij. c. ix. lib. xj. vbi Demoſthenes *Lana multa collum ceruiceſque circumuolutus.* Neque ad rauim tantum aut anginam focal, verum & deliciis datum, vt Horatij Sat. iij. lib. ij. Et Trimalcionis Petroniani *oneratas veſte ceruices*, accipe focali, vbi & focal circumdatum *laticlania mappa, fimbriis hinc atque illinc pendentibus.* Dixi faucium eſſe focal non aurium: putes obſtare Martialem epigr. cxlij. lib. vlt. & epigr. xlj. lib. vj. Fruſtra putes. Non enim auribus ibi Martialis focal vt proprium tribuit, ſed vrbanè & ioco in libri mali recitatione auditorum auribus magis focali eſſe opus, quàm faucibus poetæ.

II. Aliud inſtrumentum lectionis, *aurium ligamenta* ſiue ἀμφωτίδες. ne aures delicatulo recitatori ſtrepitus aliquis conuulneraret.

III. Neque dubitem aliquos & *ſpleniatos* ad ſpeciem & delicias prodiſſe in pulpitum, quaſi oculis adſidua lectione & ſcriptione imbecillis. Sic enim & ſpleniatus cauſidicus Regulus. Plinij epiſt. ii. lib. vi. Splenia illa impoſita ſuperciliis vt Plinij loco quem dixi. Hinc & Martiali epigr. xxxiij. lib. iix. *ſplenia lunata frontis. Lunata frons*, pars frontis vbi ſupercilia, nam hæc tanquam lunulæ. Itaque & ſupercilia, mulierum præſertim ſacra Iunoni Lucinæ. Varro iv. de ling. Lat. Feſtus in *Supercilia.* Lucina vero non alia quàm Luna. Varro eodem. Horat. Carmine ſæculari. Alij. Splenia verò & in deliciis fuiſſe liquet epigr. xxix. lib. ij.

IV. etiam *pexi* recitatores. Perſius nunc ———*pexúſque*.&c. ἐκτενισμένας, κτενισθείς. Atque hoc ipſum quoque in deliciis, vt Martial. epigr. cix. lib. v. epigr. xxxvj. lib. ij. Tullij Catilin. ij. Horatij Oda xv. lib. ij. Fruſtra in Electis eſt c. xiij. lib. j. pexum Perſio nunc pexatum eſſe. Ineptiret hoc ita ponens Perſius, ſequitur enim

———*togáque recenti.* Si toga recens etiam pexa illa. Differre autem pexos & flexos capillos alij verbis meis docuere ad epigr. xxxvi. lib. ii. Martial. Itaque Horatius epiſt. i. lib. i. *ſubuculam pexam* oppoſuit tunicæ tritæ. Et Martial. epigr. liix. lib. ii. *pexa & trita.* Alia eſt in Gloſſis Philoxeni *Proſa—pexa tunica* πιζὸν ἱμάτιον. Peccant qui corrigunt, *Proſa, pexa tunica.* Etenim pexa tunica, vel recta eſt, eaque *proſa pexa*: vel vniuerſa ſiue auerſa, eaque pexa qui-

dem, ſed non prorſa, verum auerſa, vt ſi dixeris *Verſa pexam*, & ſint pexarum tunicarum ſpecies duæ, *proſapexa* & *verſapexa*.

V. lectionis inſtrumentum *toga recens & candida*. Perſius ipſe
——*togáque recenti* *Albus*—— Arrianus Epicteti c. xxiii. lib. iii. recitaturum proponit ἐν κομψῷ ςολίῳ, ἢ τριβωνίῳ. *In nitida togula, aut palliolo*. Et tangere velle dixerim diſcrimen. Si Latina recitarent togatos fuiſſe: ſi Græca palliatos.

VI. *Anulus*. Perſius nunc. *Et natalitia tandem cum ſardoniche*——
Tandem, ſiue ne longum faciam, etiam lector hic manu ſardonychata vt Martial. loquitur epigr. xxix. lib. ii. ſiue anulum habens gemmatum ſardonyche. Anulus Poetis inſtrumentum recitationis, vt equites ſe declararent. Sic de Paride hiſtrione Iuuenal. Sat. vii.

Semenſtri vatum digitos circumligat auro.

Sic & cauſidicis anulus in actione lenocinium. Iuuenal. Sat. eod.

——*niſi fulſerit anulus ingens.*

——*conducta Paullus agebat*

Sardonyche———— Eaque in re ſic nimij vt plerique digitos omnes anulis onerarent. Fab. c. vlt. lib. xi. *Manus non impleatur anulis*. In huius Perſiani recitatoris anulo, illud quaſi auctarium & mantiſa, quod natalitius ille anulus, ſiue natali die à cliente miſſus, vt rectè vetus interpres. Nam hoc ipſo carior anulus ille & oſtentatio illa duplex, anuli ſimul & clientis. Neque ſummus iuris interpres bene ad l. cxciv. D. de verb. ſignific. qui aliter accepit. Quanto in pretio illi natalitij anuli, & vt cum cura ſeruati, liquet Plauti Curcul. Scæna penult. vbi & inter cetera illud

————*Anulus*

Hic eſt quem ego tibi miſi natali die.

Sic & cariora diſpenſatori Petroniano *veſtimenta cubitoria*, quod *natali miſſa die* à cliente. Non mouet nugonem illum iactura, ſed caritas muneris natalitij. Alia de muneribus natalitiis alij decantauere iam.

VII. *Plaſma*, potio leniendæ voci. Ante recitationem illa, vt Fabij c. xiv. lib. j. Plinij c. vi. lib. xix. De plaſmate hoc aliqui male nunc Perſium interpretati, vbi ait

——*liquido cum plaſmate*, &c.

Hæc de plurimis Poetæ recitaturi ornamentis paucula libaui, nunc & de recitatione ipſa, quia ſemel hoc tanquam circi intermetium ingreſſi, curſim aliqua pergamus. Ea verò multiplex, nam differentiæ ſunt.

I. Recitauere aut ipſi, aut per alium, vt aliquem de amicis. Plinius epiſt. xxxiv. lib. ix. aut aliquem de diſcipulis, vt Protagoras apud Laërtium.

II. Recitauerê aut totum poëma, orationémve, aut electa de opere aliqua. Idem epiſt. xxi. lib. iix.

III. Recitatio duplex. Vna in auditorio ſiue publica: altera inter amicos, vt in Triclinio. Publicam ſiue recitabuli lectionem Flaccus hic noſter iam pingit, à qua & vulgarem ſiue ineptam ſeparemus licet, vt in medio foro, in balneis. Horat. Sat. iv. lib. j. L. Seneca epiſt. lv. De hoc genere & Eumolpus Petronianus recitator *in pinacotheca, in balneo*. De priua autem ſiue inter amicos lectione Perſius poſt paullò

—ecce inter pocula quærunt. &c.

Publicæ lectionis ritus & Græcis & Romanis antiquiſſimus, poetarum maximè: rhetorum autem & cauſidicorum recitationes ortæ Romanis primitùs à Pollione Aſinio. M. Seneca procœmio lib. iv. Controuerſ. Priua item ſiue inter amicos lectio crebra Romæ. Horat. Sat. ead.

Non recito cuiquam, niſi amicis———

Plinius epiſt. xix. lib. ij. epiſt. xvij. lib. vij. Eiuſmodi lectiones ferè in tricliniis & inter conuiuas, vt Ciceronis epiſt. iij. lib. xv. & epiſt. iv. lib. xij. ad Attic. *Lege in Arcano conuiuis tuis.* Plin. epiſt. xxj. lib. ix. *Vt iam nunc adſueſcerem & in triclinio audiri.*

Sed longa iam hæc λόγου ἐκβολή: tempus audire Perſium.

SEDE LEGET CELSA.

Legere, recitare, ἀκρόασιν ποιεῖσθαι apophthegmate Theocriti apud Anton. Meliſſæ Serm. l. lib. j. Vbi malè ποιουμένου pro ποιούμενος. Epicteto Arriani eſt ἀναγινώσκειν ἐπιδεικτικῶς c. xxiij. lib. iij. Peccant libri qui habent. *Sede legens celſa.* Et mox paullo. *Mobile collueris.* Ineptis tamen hæc talia, μέλι κατὰ βρόχθου.

LIQVIDO CVM PLASMATE GVTTVR COLLVERIT.

Cum liquarit vocem leget, ſiue voce liquata, vt voces liquatas Hoſtius poeta dixit, Macrobij Saturn. c. iij. lib. vj. vt & Perſius ipſe mox, *eliquare*. Græcis vox liquida, πεπλασμένη. Plutarchi Cicerone, Fabij c. xj. lib. j.

Liquida autem vox ſiue liquata, eadem & plenior in aures, hinc *deliquare* pro *explanare, aperire, indicare*, Cæcilius Oboloſtate, apud Marcell. in *Delica*.

—ſi linguas decem
Habeam, vix habeam te ſatis qui laudem ache
Jmò verò hic ante ſolitus ſum delicas. Lego.
—Si linguas decem
Habeam, vix habeam qui ſatis rem delicem.
Jmò verò hic ſoli ſumus, iam delica. Antiquè ſcriptum *delicare*, pro *deliquare*. Plaſma verò illud Neronianum, quale apud C. Plinium c. xiv. lib. i. c. vi. lib. xix.

MOBILE.

Mobile guttur quia per id voces mouentur. Itaque dictum à Virgilio Æneide vij. *Vocis iter.*

PATRANTI FRACTVS OCELLO.

Ἀις τὸ αὐτὸ Ocello patranti & fracto. Quis oculus patrans, Seruius interpretatus

interpretatus laudans Perſij hunc locum ad Eclog. iij. Quid patrare interpres Terentij tradit in Hecyram. Iſidor. cap. v. lib. ix. & Gloſſæ.

Patrans oculus libidinoſi: fractus effeminati & parum viri, vt ὄμμα κεκλασμένον. Ariſtoteli Phyſiognom. c. iij.

NEQVE MORE PROBO.

More improbo, improbè, impudenter, libidinoſè. Gloſſæ. Improbus ἀναιδής. Sic definitus à Saluio Iuliano *raptor, fur improbus*. hoc eſt, impudens. l. xiv. §. Qui rem. Quod met. cauſa. l. ij. §. Ceterum. De vi. bonor. raptor. D. Impudens raptor, quia propalam rapit. Plaut. Epid. Sc. j. Sic impudentes hi Titi, quia flagitioſe trepidant propalam.

NEQVE VOCE SERENA.

Voce non ſerena. voce turbida, ſiue gannitu, qualis in libidine, non explicat Pſeudocornutus, *tumultuoſo clamore*. Iuuenal. Sat. vj.

Chironomo Ledam molli ſaltante Bathyllo,
Tuccia v ſicæ non imperat, Appula gannit
Sicut in amplexu ——— ——— Idem,
———*quæ vox ſaltante libidine.*

TREPIDARE.

Trepidare vt in libidine. Sic palpitare. Iuuenal. Sat. iij.

———*donat Caluinæ vel Catienæ*
Vt ſemel atque iterum ſuper illam palpitet——— Itaque ſequitur——*cum carmina lumbum intrant* & laſciua Neronis carmina. Sic equos ex libidine *tremore pertentari*. Maro iij. Georgic. Et, *ſaltare libidinem*. Iuuenal. Sat. ead. Nihil neque hac Satyra, neque ſequentib. intellexere aliqui, *magna profeſſi*.

INGENTES TITOS.

Titos accipe *Auguſtanos* Neronis, ſiue qui Neroni auditorium, & *bombi, imbrices, teſtæ*. Sueton. Nerone c. xx. Hi propriè dicti *Auguſtani*. Suetonius Nerone c. xxv. Dioni Nerone ſunt Αὐγούστειοι. Hi verò auditores & plauſores Neronis dicti nunc à Perſio *ingentes*, quia delecti à Nerone viribus & proceritate inſignes, ſiue vt locutus Suetonius, loco quem dixi, *robuſtiſſimæ iuuentutis*. Cur autem illi Auguſtani, Titi? Quia equites pleríque, ſiue vt inquit Sueton. *adoleſcentes equeſtris ordinis*. C. Tacito annali xiv: *equites Romani, ætate ac robore conſpicui, cognomento Auguſtani*. Titi autem equites à Tito Tatio Sabinorum rege. Alioquin ſum celſi Ramnes Horatio ad Piſones, neque rectè hoc in aduerſar. c. xix. lib. ij. c. xxvj. lib. xxiix. Pſeudocornutus autem miſerè vt naufragus & fluctuans in fragmine, *Titos* interpretatus modo *ſenatores*, mox *equites*, poſt *ſcholaſticos*. Ipſiſſimam chimæram ſcilicet. Hi verò Auguſtani, dicti quoq: *iuuenes*, ad eorumq. exemplum Auguſtani quoque iuuenes in prouinciis poſtea, vt patet inſcriptionibus antiquis, & apud Calliſtratum. l. xxiix, §. Solent. De pœnis. Equites Romani, dicti

iuuenes, Manſores verò illi, equites, ſiue Troſſuli.

Bombos, qui ad Suetonii c. xx. adclamationes fauſtas interpretati, ne iis elucus moleſtus, niſi forte an Suetonio ipſi obſcurum, quales bombi Neroniani. *Qui plauſuum*, inquit Suetonius, *genera condiſcerent; bombos, & imbrices, & teſtas nominabant.* Triplex plauſuum ibi genus, *bombi, imbrices, teſtæ.* Omnibus his nomina ex plaudendi ſono. Grauiore ſonitu bombi, medio imbrices, acuto teſtæ. Bombi vt è cornu, imbrices, quaſi imbricum colliſione, teſtæ, vt teſtarum. Hæc omnia nempe ex complosione manuum ſic imitati, vt & cymbala manibus imitati artificio comploſis, quod penicillo ſuo ſic pingit Ariſtænetus epiſt. x. lib. I. ex Philoſtrati Como. ἡ δεξιὰ τοῖς δακτύλοις ὑπεσταλμένοις, ὑποκειμένην τὴν ἀριστερὰν ἔπληττεν εἰς τὸ κοῖλον, ἵν᾽ ὦσιν αἱ χεῖρες εὔφωνοι συμπληττόμεναι τρόπον κυμβάλων. Dico Latinè: *Dextera digitis iunctis & demiſſis, in manus lenæ cauum pulſabat, & comploſione illa dulciſonæ manus erant inſtar cymbalorum.* &c. Sic Plinianum illud cape epiſt. xiv. lib. II. *Plauſus tantum, a potius cymbala.* De iiſdem plauſibus & Corippum interpretor lib. II.

Emittunt dextras . . . . . pariterq remittunt.

Lego, *Emittunt dextras pariter, pariterque remittunt.*

Et poſt paullò. *Ingeminantque cauos dulci modulamine plauſus.*

Neronianos plauſus tangit & C. Tacitus annali xvi. *Certis modis, plauſuque compoſito.* Modis adclamationum: plauſu manuum. Et adclamabant quidem etiam Auguſtiani illi vt patet Dionis Nerone, ſed nihil adclamationes illæ ad locum Suetonij quem explico.

CVM CARMINA LVMBVM INTRANT.

Iuuenal. Sat. vj. ——— *cum tibia lumbos*

Incitat ——————— Varro apud Marcell. in Virginis. *Quam ſympathiam oculi cum lumbis habeant.*

TREMVLO VERSV.

Pronunciato Neronianè & flagitioſè, & ſic trepidè, vt antedixit *trepidare Titos.* Et moneo. Neronem hæc celox petit, vt magnam partem Satyra j.

TVN' VETVLE.

Dixeris, Nero vetulus nunquam fuit. Sanè, ſed vetulum Perſius Satyricè dixit, pro eo qui vir ætate, mente puer, vt Iuuenal. Sat. xiij.

——— *dic ſenior bulla digniſſime.* Et *vetule*, non ſolum in annos conuicium, ſed in mores quoque vt Ciceronis epiſt. xvi. ad Trebatium: vt infra *ſenex Ariſtophanes*, vt apud Horatium *ſenex Lucilius*, non ætate ſed moribus. Sic ergo *vetulus* contemtim: *ſenex* honeſtè.

AVRICVLIS ALIENIS COLLIGIS ESCAS.

Eſcam, Priſcian. c. iij. lib. uj. *Eſcas auriculis alienis colligis*: poemata condis & recitas quę tanquam pabulum ſint auriculis auditorij tui. Dicta quæ placent, auriculis tanquam eſca ſunt. Plautus Euchionis Sc. xvij.

Nimium libenter edi ſermonem tuum.

Et Patruo. Sc. xiv.

Quàm orationem hanc aures dulcem deuorant;

Et Ciſtell. Sc. ix.

——— *iſtuc mi cibus eſt quod fabulare.*

CVTE PERDITVS.

Intercutitus, quippe Nero, aut improbus ſiue impudens ſiue exhauſti ruboris.

OHE.

Scripſit Perſius, *Euohe*, reſpiciens ad Horatianum *Euohe*, Oda penult. lib. ij.

Euhoe recenti mens trepidat metu.

Tangit Iuuenal. Sat. vij.

—— *ſatur eſt cum dicit Horatius euohe.*

Sic & Nero in dithyrambis ſuis, *euohe*. Et, *quibus dicas euohe*, eſt quibus recites dithyrambos tuos. Exorſus eos Nero ſic videtur: *Euohe.* &c. Itaque à principio *Euohe*, dithyrambos intelligi vult, vt mox *Arma virum* dixit pro Æneide, vbi hæc dicendi meta. Ridiculè autem aliqui ne nihil dicerent dixêre non *euohe* ſed *ohe* melius eſſe. Et placent hæc iſta plebeculæ, laperdæque liguriunt? *O ſeclum*, &c.

QVID DIDICISSE.

Nero. Fruſtra, inquit, ſum poeta, ſi non recito. Et tangit ſi forte Perſius Neronianum illud, *Occultæ Muſicæ nullum eſſe reſpectum.* Sueton. c. xx. Ex Græco veriuerbio, Τῆς λανθανούσης Μουσικῆς οὐδεὶς λόγος. Reſpectus ſiue λόγος pretiũ & honor. Gloſſæ. Reſpectus ἐντροπὴ Martial. epigr. xiix. lib. ix. *Reſpectus amici*, id eſt, ἐντροπὴ, Sic & ille apud L. Senecam epiſt. vij. *Cur ergo iſta didici?* &c.

NISI HOC FERMENTVM.

Hæc ſcientia, ſiue diſciplina, ſiue quod didici, quo inflata mihi mens animi eſt, vt maſſa fermento. Hic Satyrici, fermentum pro ſcientia inflante: alias etiã *fermentum*, ſcientia laudabilis vt cum C. Iulius Solinus epiſt. ad Auitum. Suo *libro*, inquit, *velut fermentum cognitionis magis ineſſe, quàm bracteas eloquentiæ.* &c. alias etiam *fermentum* pro acrimonia, vt Paullini epiſt. iij. ad Auſonium *Fermentare iocos Satyræ mordacis aceto.* alias quoq. aliter. Sed mihi hos lectori centones farcire non lubet.

ET CAPRIFICVS EXIERIT.

Niſi hæc ſcientia ſuper exierit, vt caprificus erumpit ex parietibus, Iſidor. c. vij. lib. xvij. Martial. epig. ij. lib. x.

Marmora Meſſallæ findit caprificus. ———

Et apud Iuuenal. Sat. x. *Saxa cinerum*; id eſt, monimenta, *diſcuti fico ſterili*, ſiue caprifico. Et apud Plin. c. xvij. lib. xvij. Caprifici gaudent *petroſis.* Et in monimentis ac muris apud Propert. eleg. v. lib. iv. Horat. Epoda v. Theodoretum Sermone vj. Et Methodius apud Photium Bibliothecæ p. 486. qui rectè monet, non fieri tantum hoc caprifici, ſed aliarum quoque nonnullarum ſtirpium, hoc ingenium eſſe. Exire autem Capri-

ficum ſcientiæ Perſius intelligi vult ad ingenij oſtentationem, idq. vituperationi eſſe debere, neque ſapientiæ ſed ſtultitiæ radicem illam eſſe, vt recte quoq. L. Seneca epiſt. vij. ſin ad aliorum vt audientium aut legentium vtilitatem & fructum exit, laudi eſt, vt apud L. Senecam epiſt. vj. *In hoc gaudeo aliquid diſcere vt doceam. Nec me vlla res delectabit licet eximia ſit et ſalutaris, quam mihi vni ſciturus ſum.* Neque diſſimiliter eſt Panaretic. xli. *Scientiæ occultæ, & theſauri abſconditi, nullam eſſe vtilitatem.* Et L. Seneca de ſapientia epiſt. vj. *Si cum hac exceptione detur mihi ſapientia.* &c.

RVPTO IECORE.

Iecur ſedes ſcientiæ. Paccuuius Cicer. j. de diuin. *Sapere ex iecore ſuo.* Sed omnia hæc Perſius Satyricè, *fermentum, caprificum, iecur.* Nam fermentum & caprificus etiam vituperationi eſt, & iecur ſedes quoque adpetitus & libidinis, Horat. Oda j. lib. iv. Oda iv. lib. iij. Oda xxv. lib. j. Et epiſt. xiix. Qua de re locus dicendi, & poſt paullò. Fermentum nempe & malitia, & caprificus ſcientia ſterilis. Quantumuis copioſe hoc dicerem, ſi operæ nunc eſſet.

EN PALLOR SENIVMQ.

Pallor et ſenium ex poëtico ſtudio, vt Horatij. epiſt. xiix. *Senium Camœnæ.* Vbi dico de huiuſcemodi ſenio ex literarum ſtudiis contracto. Fruſtra, inquit, palleſcis ſtudio, & inſenuiſti libris, qui tam recitationis, & auræ, & plauſus adpetens.

SCIRE TVVM.

Admonent gloſſæ mutuaticum ex Lucilio eſſe. Lucilij locum illum ſcio vt repoſuerint alij ſed magis eſt vt ita ſcripſerit vetus ille Poeta.

——————— id me
Nolo ſcire, mihi cuius ſim conſciu' ſolus,
Ne damnum faciam. Scire eſt neſcire, niſi id me
Scire, alius ſcierit. ——— Eſtque ornatus hic Perſij locus πλοκῆ, vt Fabius monet c. iii. lib. ix. Vſus quoque hoc Perſij loco eleganter. D. Auguſtin. epiſt. lvi. ad Dioſcorum.

AT PVLCHRVM EST DIGITO MONSTRARI.

Nero. Sic auctor Dial. de oratorib. *Quos vulgus imperitum tranſeuntes nomine vocat, & digito demonſtrat.* In gloſſis verbo vno *Digitare.* Δακτυλοδεικτῶ *Digito.* Lucian. in Gymnaſiis ἆθλον οὐ μικρὸν δείκνυσθαι τῷ δακτύλῳ. &c. *Non paruum laboris præmium digito monſtrari.* &c.

HIC EST.

Vt de Demoſthene Tullius V. Tuſcul. Laërtius in Diogene. Ælian. Var. c. xvij. lib. ix. Plin. epiſt. xxiij. lib. ix. Et Lucianus de Herodoto. in Herodoto.

TEN' CIRRATORVM.

Vt, *cirratorum turba.* Martiali epigr. xxx. lib. ix. &, D. Hieronymo apol. j. in Ruffinum. Et *cirri puerorum* Ammian. Marcellin. lib. xxij. Et

apud Martian. Felicem lib.iij. Grammatica *inter cirratos.* Eoſdem *crinitos.* Martialis epigr. xlix.lib.xij. Et *capillatos*.epigr.lxij.lib.x.

Sic te frequentes audiant capillati,
Et delicatæ diligat chorus menſæ. Non vt aliqui,

Muſæ. Sic, *femina cirro criſpata*, Mæcenas apud L. Senecam epiſt. xciv. Gloſſæ Iſidori. *Cirrus, cirritus, cirritudo.* Diſtinguere velle videtur, nempe vt *cirrus* ſit calamiſter, *cirritus* ipſi anuli qui calamiſtro fiunt. *Comarum anulos* dixit Martial. epig.lxvi.lib.ij. Fabius c.x.lib.xij. *Vndas* Manilius lib.v.

Aut vndis reuocare comas ———

Dixi de cirris & ad Martial. Spectaculor. epigr.iij.

DICTATA FVISSE.

D. Hieronym. epiſt. lj. *Et in tantam venit opinionem eloquentiæ, vt ſoleant dicta eius cirratorum eſſe dictata.*

ECCE INTER POCVLA.

Pergit de recitatione priua ſiue inter amicos & in triclinio. Plin. epiſt. xxj. lib. iix. *Vtque iam nunc adſueſcerem ab otioſis et in triclinio audiri.* Et poſt paullò. *Poſitis ante lectos cathedris amicos collocaui.* &c. Et dixi quoq. ſuperius in hiſtoria de recitatione. Huiuſmodi lectiones odioſæ Martiali vt epigr. xlv. & l. lib. iij. epigr. lxxix. lib. v. epigr. liij. lib.xj. In ventrem quippe legere ille, quàm librum legi mauult. At Carolo Magno principi *legebantur in cœna hiſtoriæ, & antiquorum regum geſta* Eginhartus in vita eius.

HIC ALIQVIS.

Ex hoc iſto loco D. Hieronymi quaſi parodia eſt, epiſt.x.

HIACYNTHINA LÆNA EST.

Sic & D. Hieronymus legit, ad Furiam De viduit. ſeru. & gloſſæ veteres: ſed meliùs membranæ. ——— *& ianthina læna eſt.* Vt l. j. C. Quæ res venire non poſſ. *Læna hiacythina*, ſed in membranis, *Læna ianthina.* Læna ianthina, purpurea violacei coloris. Sic *purpura ianthina* l. lxx. §. vlt. De legat. iij. Et Horatij epiſt. ad Auguſtum.

Læna Tarentino violas imitata colore.

Id eſt, Læna ianthina. Et meliùs ibi. *Læna Tarentino.* &c. Læna nempe ſiue palla mimi. Plin. c. vj. lib. xxj. *Viola purpurea Græco nomine Ia, ab his ianthina veſtis.* Martiali *ianthina* veſtimenta. epigr. xxxix. lib. ij. At Pſeudocornutus legit, *hiacinthina læna*, & interpretatur, *pallam varijs coloribus tinctam.* Nihilo hercle meliùs quam alij in Saturnalib. c. ij. lib. j.

Læna autem purpurea Romanis diuitibus veſtis cœnatoria, Cornelius Nepos. Plin. c. xxxix. lib. ix. *Purpura dibapha, quis non iam triclinia-ria facit?* Iuuenalis. Sat.iij. de diuite qui reuertit à cœna, *Pauper,*

——— *cauet hunc, quem coccina læna*
Vitari iubet, & comitum longiſſimus ordo.

Sic Trimalcionis Petroniani diſpenſator. *Veſtimenta*, inquit, *mea cu-*

bitoria perdidit, Tyria, ſine dubio ſed iam ſemel lota. &c. Corrigunt in Saturnalib. c. ij. lib. j. *Veſtimenta mea accubitoria.* At Petronius *cubitoria* voluit, vt Plauto Aſinaria & identidem *cubare*, pro accubare. *Cubitoria veſtimenta*, vt *cœnatoriæ veſtes*, Capitolin. in Maximino. *Tricliniaria.* Cornel. Nepos loco prædicto. vbi tamen acceperis & de ſtragulis. Sic & coccina læna veſtis cœnatoria. Etiam illud Saturnalia mutant. *Sed haud ſemel lota:* Contra Petronianus ille nugo volt, Tyria quidem eſſe, non tamen dibapha. Et intellige; *Sed iam ſemel lota.* Sed tamen, vt L. Senecæ epiſt. vj. *Intelligo Lucili non emendari me tantùm ſed transfigurari. Nec hoc promitto iam aut ſpero, nihil in me ſupereſſe quod mutandum ſit*, &c. Pro. *Nec hoc promitto tamen.* &c. Extenuat Petronianus ille rem ciuiliter. Itaque & ſequitur. *Quidquid ergo eſt dono vobis.* &c.

Pugnauêre autem aliqui Perſium voluiſſe potius, *Hiacynthina læna eſt.* Sed infeliciter. Nam, *& ianthina*, dictum pro etiam *ianthina*, cum indignatione. Neque tamen non dicuntur etiam *veſtes hiacynthinæ*, vt apud Tertyllian. c. penult. De habitu muliebri *vela hiacynthina.*

RANCIDVLVM QVIDDAM.

Martial epigr. xxxiij. lib. vij.

Non deeſt protinus ecce de malignis,
Qui ſic rancidulo loquatur ore.

Benè iunxit *malignos* & *os rancidulum*, vt enim obſeruat Polemo Phyſiognomicis c. xij. lib. j. ὅσοι ἐν ῥινὶ φθέγγονται, ψευδεῖς, κακοήθεις. φθονεροί, δεινοὶ εἰς βλάβην ἄλλων. Quiqui balba nare loquuntur, ij mendaces, maligni, inuidi, callidi ad nocendum aliis. Eadémque Adamant. Martyrius c. xxix. lib. j.

BALBA DE NARE LOCVTVS.

Ἐν ῥινὶ φθεγγόμενος. Per nares locutus, vt locis antedictis.

PHYLLIDAS HYPSIPYLAS.

Tragœdias. Tragœdiarum eliquator hic Nero: Sueton. Nerone c. x. *Recitauit & carmina non modo domi, ſed in theatro.* &c. De carminum hoc ſtudio Neronis, C. Tacitus annali xiv *Ne tamen ludicra tantùm imperatoris artes noteſcerent, carminum quoque ſtudium adfectauit. contractis quibus aliqua pangendi facultas. Nec dum inſignis ætatis nati, conſidere ſimul, & allatos vel ibidem repertos verſus connectere.* &c. Repono ego. *Ne tamen ludicra tantùm imperatoris artes noteſcerent, carminum quoque ſtudium adfectauit, contractis quib. aliqua pangendi facultas, nec dum inſignis æternitati. Hi conſulere ſimul.* &c. Hoc Tacitus dicit. Non admiſſos à Nerone in ſodalitium illud poetas inſignes æternitati, ſiue ad æternitatem, ſiue poetas qui iam ſcriptis ſuis noti, ne noteſceret vulgo nimus ille compoſitus, & Nero laudem Poeticam in ſe ab aliis transferens. Sic *æternitas fama* C. Taciti xj. oratione Suillij ad Claudium. Alij correxere, *Quibus aliqua pangendi facultas, necdum inſignis erat, Ji*

conſidere ſimul. &c. Alij. *Quibus aliqua pangendi facultas, necdum inſignis. Ij alternatim conſidere ſimul.* &c. Neutri ad mentem Cornelij. non facit autem hac in re cum Tacito Tranquillus. Nam refellit eos qui Neronem aliena pro ſuis edidiſſe putant. c. lij.

VATVM ET PLORABILE QVICQVID.

Plorabilia vatum, explicant, *elegias.* Ego illos, *plorare.* &c.

ELIQVAT.

Liquida voce legit, vt anteriùs —*liquido cum plaſmate guttur colluerit.* Apuleius Florida ij. *Canticum ore tereti, ſemihiantibus in conatu labellis eliquare.* Hinc *voces liquatas,* dixit C. Hoſtius apud Macrob. Saturn. c. iij. lib. vj. Sic ὑγρὰ μελῳδεῖν. Appian. lib. j. *Gargaridare* hoc Varroni Terentio epiſt. ad Fuſium. *Quinctiporis Clodiani forias ac poemata gargaridans.* &c. Marcell. in Gargaridare, & in, Fors fortuna.

SVPPLANTAT VERBA PALATO.

Infringit verba, vt blæſa & dulciora ſint. Horat. Sat. iij. lib. ij.

Quid cum balba feris annoſo verba palato.

ADSENSERE VIRI.

Propriè *adſenſere*, vti adſentatores. Adſentiri pro adſentari. Plaut. Pyrgopolinice. Sc. j.

—& adſentiendum eſt quidquid hic mentibitur.

Benè ſic legit Marius Victorinus in ortographia, vulgarij malè *& adſentandum eſt.* &c. Sic Terentianus paraſitus Gnatho in Eunucho.

———poſtremo imperaui egomet mihi

Omnia adſentari. &c. Lege, *adſentiri.* Sic malè *adſentabor*, & *adſentari*, pro *adſentibor*, & *adſentiri*. Plauti Menæhm. Sc. vj. & iix.

LAVDANT CONVIVAE.

Laudant paraſiticè, vt Gnatho ille Terentij Eunucho.

Quicquid dicunt laudo———

Hinc laudicœni paraſiti Plinio epiſt. xiv. lib. ij. Huiuſmodi laudicœnus Petronij Aſcyltus, cui Encolpius, *Multo*, inquit, *me turpior es tu hercle, qui vt foris cœnares poetam laudaſti.*

NASCENTVR VIOLAE.

Tangunt illi concœnæ ritũ flores ac ſtirpes ſerendi in tumulis eorũ qui benè meriti. Flores vt *pothum* C. Plinius c. xj. lib. xxj. ex Theophraſto fine libri vj. hiſtoriæ ſtirpium, ex eoq. Athenæus lib. xv. Ex Athenæo Euſtathius ad Odyſſeam xj. Et *roſam* vt in odis Anacreontis. Stirpes vt *laurum.* Propert. Eleg. iix. lib. ij. Sic in veteri epitaphio Irenæ.—*Cineres quoque flore tegantur.*

Trahi poteſt quoq. aliorſum verſus iſte. Tali merito & felicitate hunc Poetam eſſe, vt etiam reliquiæ eius terram tumuli florentem facere poſſint, qualis felicitas illa Satyra ij. —*Quicquid calcauerit hic roſa fiat.*

NVNC LEVIOR CIPPVS.

Formula protrita proculcatáque tumulis inſcribi ſolita. eadémque proclamari in funere exequiis peractis vt Properti S. T. T. L. Pro-

pert, eleg. xvij. lib. j. Idémq. ritus & Græcis vt Euripidi Alceſtide Theocrito epitaphio Eurymed. Suidas, κούφη γῆ τοῦτοι χαλύπτοι.

RIDES AIT.

Iunxit riſum & nares, vt Catullus epigr. ad Catonem. *Dignum naribus & tuo cachinno.*

ET NIMIS VNCIS NARIBVS INDVLGES.

Nimis, *naſo ſuſpendis adunco.* Vt Horatius locutus Sat. vj. lib. j. vt idem, *Suſpendere* naſo. Sat. iix. lib. ij. *Vncæ nares* aptæ ſuſpenſioni, vt *acutæ*, inriſioni apud Horat. Sat. iii. lib. j.

OS POPVLI MERVISSE.

Venire in ora virûm.

ET CEDRO DIGNA LOCVTVS.

Oleo cedrino L. Dioſcorid. c. vi. lib. j. Interp. Nicandri in Theriaca. Plin. c. v. & xiii. lib. xiii. Vitruuius c. ix. lib. ii. Marcian. Felix lib. ii. Marcell. Empir. c. xii.

LINQVERE CARMINA.

Relinquere poſteris poëmata, vt hereditatem. Tull. Philipp. iv. *Virtutem vobis maiores tanquam hereditatem reliquerunt.* Sic & Græcis in teſtamento verbum καταλείπειν. Patet Laërtij Platone, aliis.

QVISQVIS ES.

Quiſquis, ne apertè nimis in Neronem.

SI FORTE QVID APTIVS EXIT.

Tanquam ex officina. Tullius prooemio Paradox. *Vt ex eadem officina exiſſe adpareat.*

SI QVID TAMEN APTIVS EXIT.

Imitatus Fabius c. x. lib. xii. *Et ſi quid exierit numeris aptius, fortaſſe non poſſit, ſed tamen ſi quid exierit.* &c.

CORNEA FIBRA.

Iecur inſenſum. Id eſt, non ſum nullo ſenſu laudis. Imitatus verò Sidonius epiſt. j. lib. iv. *Beſtialium rigidarumq. nationum corda cornea, fibraq. glaciales.* &c. Et epiſt. xi. lib. iix.

Saxa, & robora, corneáſq. fibras
Mollit ——— ——— &c.

Fibra pro iecore. Sed propriè quidem fibræ iecoris oræ extremæ. Feſtus in *Fiber*. Gloſſæ. *Fibra* λοβὸς ἥπατος. Plinius c. xxxvii. lib. xi. *Murium iecuſculis fibræ.* In iecore autem Perſio ſedes ſenſus, nempe vt Platoni aliis in iecore τὸ ἐπιθυμητικόν. Et anterius Platone ſic Homerus. Notat Heraclid. Ponticus allegoriis.

Et cum Perſius negat ſibi corneam fibram eſſe, reſpicit ad calumniam ἀπαθείας Stoïcæ.

FINEMQ. EXTREMVMQ.

Stoïcè multinomium ſiue multis nominibus inſigne facit τὸ τέλος, vt Stoïcus Cato lib. iii. de finibus. *Sentis enim credo me iamdiu quod* τέλος *Græcus dicat, id dicere tum extremum, tum vltimum, tum ſummum:*

licebi

licebit etiam finem pro extremo aut vltimo dicere. Sic Sat. iij. *Summum*, pro fine.

EVGE TVVM ET BELLE.

In pulpitum Poetam paullo ante produxi, pergo & aliquos ritus notare qui ſoliti in recitationibus ipſis. Vt

I. Quod mutua audiuere, ſiue quod cum recitatiunculæ finis vni, alter in vicem legeret. Patet Epicteto Arriani c.xvij.lib. ij. θέλεις ἀναγνῶ σοι ἄδελφε, καὶ σὺ ἐμοί; *Vis tibi legam frater & tu mihi?* Plin. epiſt. xiij. lib. j. Sic Horatianum illud audi epiſt. ij. lib. ij.

Cædimur, & totidem plagis conſumimus hoſtem.

Quod ea de qua dico legendi mutuitatione inobſeruata, crux interpretum fuit. Cædimur nempe tædio recitationis longæ, & totidem plagis, libri æquè longi.

II. Multiplicem auditorum fauentiam fuiſſe, ſiue multa ſigna quib. recitanti fauerent, vt, adſurgere ſi quid recitaretur eximium, & placens inter cetera. Itaque Plinius epiſt. xvij. lib. vj. iraſcitur illis qui non adſurrexerant cuidam ipſius amico recitanti. Martial. epigr. x. lib. x.

Sæpius adſurgam recitanti carmina?

Et quidem priſcus ritus ille. Nam & *populus Rom. auditis in theatro verſibus Virgilij ſurrexit vniuerſus, &* *forte præſentem ſpectantémque Virgilium veneratus eſt, ſic quaſi Auguſtum* Auctor Dial. de oratorib. Ritus nempe is duplex. Adſurgere ſimul & venerari. Vt venerarentur lectorem, ea ſurgendi cauſa fuit.

III. Manus tendere ad recitationem, Martial. epigr. x. lib. x.

Sæpius adſurſam recitanti carmina? tu ſtas
Et pariter geminas tendis in ora manus.

Maior ille honor manus tendendi, quam adſurrectio, vt & Plinij loco anted. Vbi hoc, *manus mouere* eſt. Tendere nempe ſoliti manus deferentes ei quaſi victoriam.

IV. Si liber longior, interrogante dicis cauſa lectore; *Deſinam ſi vultis.* ad clamabant. *Recita, recita,* etſi maxime illum *obmuteſcere ilico cuperent.* L. Seneca epiſt. xcv.

V. Vt quidque placens illis in recitatione, ita conuenienter illius qui legeret perſonæ. laudes adclamauêre. Vt nunc Perſiano huic lectori adclamant, *euge & bellè.* Et Martial. epigr. xxvij. lib. ij. legenti adclamatur ——— *Euge, beatè.* Et Tullij iij. de Orat. patronis adclamant, *Benè, præclarè, bellè, feſtiuè, non poteſt melius.*

Dixi, *perſonæ conuenienter.* Nam aliæ philoſophis, aliæ ſophiſtis, aliæ Poetis, aliæ ſeni, aliæ iuueni adclamationes. Itaque Plutarch. lib. de ratione audiendi, peccare ait ſi quis philoſopho adclamet, δριμέως ſiue *acriter,* nam hoc quidem ſophiſtæ aptius: aut ſeni εὐφυῶς ἢ ἀνθηρῶς *facetè, aut floridè,* idoneius enim diceretur iuueni: aut ſi quis ſicco & ſobrio lectori exclamet, *nequiter,* hæc enim amationes ſuas, vt Ouidio ſi fortè nequitiæ ſuæ libros recitanti, laus debita: aut ſi quis oratori, *tenerè* adclamet, hiſtrioni autem *diſertè,* vt ſolitum Romæ. Sic enim iraſcens

quiritatur auctor dialogi de oratorib. *Inde,* inquit, *oritur illa fœda et præpoſtera, ſed tamen frequens quibuſdam exclamatio, vt oratores noſtri tenerè dicere: hiſtriones diſertè ſaltare dicantur.* &c. Ex qua ſi exclamandi putilagine Trimalcio Petronianus Publium mimum Cicerone diſertiorem putat. Sic itaque Martialem accipe epigr. xxvii. lib. ii. multas cumulantem adclamationes.

Effœtè, grauiter, citò, nequiter, euge, beatè.

Pro varietate nempe rerum quæ legerentur. *Nequiter*, eſt amatoriè, qui ἐπιεικὼς ἔπαινος. Plutarchi loco quem dixi. Neutiquam ſcriptum ibi Martialis voluit, *nauiter*. Sic & adclamationum voces Græcis variæ vt καλῶς, σοφῶς, ἀπροσίτως, θαυμαστῶς, ὑπερφυῶς, μεγάλως, δαιμονίως, θεοφορήτως, θείως. *Præclare, ſapienter, inacceſſibiliter, ſine inimitabiliter, admirabiliter, feliciſſimè, granditer, beatè, deoplenè, diuinitus.* Plutarch. loco quem prænotaui, & lib. περὶ περιαυτολογίας, & Arrian. Epicteti c. xxiii. lib. iii. Etiam φεῦ. apud Tertyllian. c. iix. aduerſ. Valentin. Sed omnium huiuſmodi adſentatiuncularum cumulus illa, θείως ſiue diuinitùs. Eaq. recepta poſteriùs aliis, & primitùs dicta Æſchini ſophiſtæ. Philoſtrat. in Æſchine, Τὸ γὰρ θείως λέγειν οὔπω μὲν ἐπιχωριάζον τοῖς σοφιστῶν σπουδαῖς, ἀπ' Αἰσχίνου δ' ἤρξατο. *Nã adclamari, diuinè, necdum receptum erat in ſtudijs ſophiſticis: initium autẽ eius factum in auditorio Æſchini.* Sapienter hanc vituperat exclamationem Plutarchus lib. de περιαυτολογ. Summa itaq. adclamatio Græculis θείως: ſed creberrima σοφῶς. Vnde & Latinis hoc id lingua, vt *grande ſophos* Martiali, epigr. iv. & epigr. l. lib. j. epigr. xliix. lib. vj. & identidem Sidonio, aliis.

VI. adclamauere laudes non ipſi libro tantum qui legeretur, ſed & legenti. Vnde in laudationibus Antipatri ſophiſtæ adclamatum ei à diſcipulis, θεῶν διδάσκαλος, *Deorum magiſter*, nempe quod magiſter liberorum Seueri principis fuiſſet, Baſſiani & Getæ. Philoſtratus in Antipatro.

VII. In ſophiſtarum auditoriis magis magiſq. augente ritu illo, tam crebræ tandem adclamationes illæ, vt vituperans Themiſtius Euphrades orat. iv. dixerit, κεκραγότες καὶ ἐκβοῶντες ἐφ' ἑκάστῳ ῥήματι ὧν ἂν λέγω. *Clamitantes & vociferantes ad verba ſingula quæ dixero.*

IIX. Mirificiſſimum illud, ac merito vituperatum a Plutarcho in libro ante citato, quod non contenti adclamauiſſe, adiurabant quoq. inſuper *ex animi ſententia.* &c. ac ſi ad iudicem pro teſtimonio dicerent.

NAM BELLE HOC EXCVTE TOTVM.

Nam dic. quare adclamas *euge, bellè*? Nulla præter adſentationem paraſiticam cauſa eſt. Nam quæ recitari audis, non alius ſortis ſunt quàm ſoriæ & nugæ, vt Ilias inſani Labeonis, aut elegidia inepta quæ proceres crudi ſcripſere in epulis & vino.

NON EST HIC ILIAS ATTI EBRIA VERATRO?

Interrogatoriè & καταπειρωνικῶς Annon hæc eſt? &c.

Ebria veratro inſana, vt Plautinæ Rudentis Sc. xxj. Elleboroſus. & Græcis ἐλλεβορώδη, & ἐλλεβορίζων. Ebria autem illa, quia ebrius veratro, plenus veratri potione Labeo. Ebrietas enim quæuis expletio & ſaturitas. Marcellus *Ebrios*, inquit, *& ticinios non vinolentos aut ſi nociuo, ſed expletos qualibet re poſſumus dicere.* Variè tentatus locus ille, ſed varè, ſcriptura enim recta erit. *Ebrios & tricinios non vinolentos ſolùm, aut vino & cibo, ſed expletos qualibet re poſſumus dicere.* &c. Tricinios pro tricœnios, qui tanquam trina huc multiplici cœna ſaburrati, & triſaturi. Sic gloſſæ, *Cupidicinus* τρεχέδειπνος, pro cupidicœnus & *Solicismus Synaliphe*, pro Solœciſmus, Synalœphe. Illud apud Auſonium, hoc apud Bedam libro, De metris. Eſt autem dilogia. Ebria veratro Ilias Attij, vel quia inſanus Attius, qui ſcripſerit Iliadem poſt Homerum, vel quia inſanè & neutiquam pro ſani hominis fincipite ſcripta Ilias illa, vel denique quia multo veratro ſiue elleboro albo cerebrum ſibi Attius ille purgauit, vt commentaretur ingenioſius, quemadmodum Carneades quoque & Chryſippus olim. Hic poſtremus ſenſus Sabinis placuit, non alia hercle ratione, quàm quia peſſimus eſt & quia ſic de Attio viſum eis conſomniare. Perſtringi autem hoc ſchemate, Neronis Iliadem inferius paullò dicam.

CRVDI PROCERES.

Adiungunt gloſſæ. *Catomi.* lege, *Romani.*

NON QVICQVID DENIQ. LECTIS SCRIBITVR IN CITREIS?

Quicquid ludunt proceres in tricliniaribus lectulis citreis. Ritus hic poetandi in tricliniis, & inter cœnam eſt epigrammate Catulli ad Licinium Caluum.

Heſterno Licini die ocioſi
Multum luſimus in meis tabellis
Vt conuenerat eſſe, delicatos
Scribens verſiculos vterque noſtrûm
Ludebat numero modo hoc modo illo,
Reddens mutua per iocum atque vinum.

Eſſe, ibi cœnitare, vt Terentij Eunuchio, *Eſſe de ſymbolis.* Sic meliùs quàm qui legunt, *eſſe delicatos*, & accipiunt, *eſſe delicatos*, viuere, curare genium. *Vt conuenerat eſſe*, tempore cœnæ. Horat. epiſt. ad Auguſt.

———pueri patréſque ſeueri
Fronde comas vincti cœnant & carmina dicunt

Ac bene quidem ſic ego Perſium de tricliniarib. lectulis accipio: alij in Suetonij Auguſtum c. lxxiix. de lucubratoriis lectulis accipi voluere. Sed negat Perſius noſter ſibi placere. In lucubratoriis enim lectulis & ſcimpodiis ſeriæ lucubrationes. Sic Cornelius Fronto in *ſcimpodio Gracienſi*. A. Gell. c. x. lib. xix. in lectulis autem accubitoriis nugæ; vt Nero & Neroniani proceres in tricliniis poëtantes & potantes. Dignum hoc Muſæum Satyra.

Neque ſoli tamen ita Neroniani, ſed item alij Romuli, vt de Catullo & Licinnio Craſſo dixi. Plinius de ſeipſo epiſt. xiv. lib. iv. *Accipies*, inquit, *cum hac epiſtola hendecaſyllabos noſtros, quibus nos in vehiculo, in balineo, inter cœnam oblectamus, ocium temporis.* Ibidem Plinius hendecaſyllabos elegidia vocat, vt & nunc Perſius. *Non ſi qua elegidia.* Malè in libris nonnullis apud Plinium eſt idyllia. Cur hendecaſyllabi *elegidia*, longum eſſet nunc dicere.

Hæc ego cum ita ſcripſiſſem agnouêre illi quidem erratum ſuum, ſic tamen vt faterentur agi quidem de accubitoriis lectulis, verum tamen eſſe quoque de lucubratoriis. Tanquam Plautinus Mercurius diceret. *vbi ego Soſia iam nolim eſſe. tu eſto ſane Soſia.*

CALIDVM SCIS PONERE SVMEN.

Imitatus Horatium ad Piſones.

Si verò eſt vnctum rectè qui ponere poſſit. &c. Et benè, *Calidum*: aliud enim heſternum & Semeſum, quod ponere minoris lautitiæ eſt, vt ius heſternum Terent. Eunucho.

Quid autem ſumen patebit ex his quæ Plutarchus de ventre porcæ, lib. ij. περὶ σαρκοφαγίας. Ex epigrammate item Martial. xxxvij. lib. ij. xlv. lib. xiii. Benè Plautus differre facit abdomen ſuis & ſumen Curcul. Sc. vi. Nec Plinium moror qui eadem fecit cap. lj lib. iix. nam perſpicuè differunt. Eo autem Plinij loco, quod eſt, *prinſquam calleret i.l ſcientes occidere non adſueti. &c.* Corrige, *incientes. &c.* At inquies abdomen dixere antiqui pro ſumine, vt notat idem c. xxxvii. lib. xi. & c. lj. lib. iix. Sanè, ſed abdomen illi dixere, vt à natura eſt, ſumini ars acceſſit, nempe illa quam oſtendit Plutarchus loco quem dixi. Martialis ſic audiendus epigr. xliv. lib. xiii. Mentita & Plinio memoria eſt c. lj. lib. iix. cum ſuminis nomine vſum primitùs P. Mimum inquit. Eſt enim & Curculionis Plautinæ Sc. vi. & Pſeud. Sc. ii. & Captiu. Sc. xiii. Reſpondet Hieronymus Mercurialis Variis c. v. lib ii. Plinium velle P. Mimum fuiſſe qui primus ſumen dixerit pro cœna cui flos & caput ſumen. Negat hoc Plinius ipſe, ni ſurdè auditur.

SCIS COMITEM HORRIDVLVM.

Horrentem frigore ſalutationis matutinæ. Martial. epigr. xxxvi. lib. iii.

Horridus vt primo ſemper te mane ſalutem.

Profert autem hoc Perſianum Seruius ad iii. Georg. & *horridulum* explicat *trementem*.

ET VERVM INQVIS AMO.

Vt Phaſmatis Plautinæ Sc. iii. *Ego verum amo, verum volo dici mihi.* Et Martial. epigr. lxxvi. lib. iix. *Dic verum mihi Marce, &c.*

QVI POTE?

Vt Martial. eodem epigr.

Vero verius ergo quid ſit audi,
Verum Gallice non libenter audis.

Profert autem Perſianum hoc Diomedes c. iv. lib. j. & notat dictum *pote*, pro *potes*. Etiam Seruius promit ad Æneid. x. & *pote* ait accipi pro *potis*. Etiam Priſcian. laudat c. j. lib. xv. & *quipote* interpretatur, *Quomodo poſſibile eſt?*

NVGARIS.

Nugaris, inquit Pſeudocornutus, *nugigerulus es.* Sed planè quidem nugas ille agit. Legendus enim verſus hic interrogatoriè.

—— nugaris cum tibi Calue
Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede exſtet?

Tun' ventre tam pingui, tanto abdomine, tam hebes ac bellutus etiam verſus factitas, & te Poetam facis?

Verſus factitare bonos ingenioſorum & capitalium eſt, at præpingues ac porci, iidem exſenſi & hebetes. Ex aruina enim & abdomine ſtupor & hebetudo. Legend. Ariſtotel. c. v. lib. ij. de partib. animal. Polemo phyſiognom. c. xxij. lib. j. Γαστέρες λαγαραὶ καὶ σαρκώδεις, εἰ μαλθακαί εἰσι καὶ ἔξω κρέμανται, ἠλίθιον, οἰνόφλυγα, καὶ ἀκόλαστον δηλοῦσιν ἄνδρα. *Ventres laxi & carne onuſti, ſi molles ſunt & foras propendent, denotant ſtolidum, vinoſum, libidinoſum.* Et Adamant. Martyrius c. xij. lib. ij. Γαστέρες μεγάλαι, σαρκώδεις, εἰ μὲν μαλθακαὶ εἶεν καὶ ἐκκρεμεῖς, ἀναισθησίαν, οἰνοφλυγίαν, ἀκολασίαν ἐμφαίνουσι. *Ventres magni, carne onuſti, ſiquidem molles ſint & propenſi, inſulſitatem declarant, & bibacitatem, et nequitiam.*

Nugari autem & ludere dicti Poetæ. Horatius epiſt. xiix.

—— —— nugaris rure paterno. id eſt Poetaris. Et epiſt. ad Auguſtum *Graciam*, inquit *nugari*, pro deditam eſſe poëſi. Sic & poemata ſua poetæ ipſi ὑποκοριζόμενοι nominare ſoliti nugas. Valer. Catullus,

Meas eſſe aliquid putare nugas.

Horatius Sat. ix. lib. j.

Neſcio quid meditans nugarum. Et ad Piſones,

—————— cur ego amicum
Offendam in nugis?

Et Valer. Martial. paginis pæne omnibus.

CVM TIBI CALVE.

Vt ante, Tun' vetule. Poteſt & dilogia eſſe, *calue*, mime aut morio. Mimi & moriones calui. Notaui ad legem xii. Tabular. c. j. Calui quoque libertini & ſerui, vt dixi ad Horatij Sat. v. lib. ii. Sed is ſenſus non facit huic loco.

PROPENSO SESQVIPEDE.

Priſcian. cap. j. lib. vj legit *protento*, vt & D. Hieronym. lib. ij. in Iouinianum. *Protenſus*, inquit, *aqualiculus*. Sed videtur melius, *propenſo*, vt Polemonis Phyſiognomicis c. xxij. lib. γαστέρες αἱ ἔξω κρέμανται, *ventres qui foras propendent.* Et Phyſiognomicis Adamantij γαστέρες ἐκκρεμεῖς, *ventres propenduli.* c. xii. lib. ii.

O Iane.

Qui tuas aliorumque procerum inquit nugas tibi coram & in os laudant, & *euge*, ac *bellè*, tibi adclamant, ijdem à tergo rident albis dentibus. Hoc ipſi videretis ſi *in occipitio quoque*, ſic Plautus loquitur, *haberetis oculos*, vt Ianus: ſed non videtis, quia in occipitio nulli vobis oculi.

A tergo qvem nvlla ciconia.

Περιέφερον, & interpretatus D. Hieronymus epiſt. iv. *Ne credas*, inquit, *laudatoribus tuis, immo irriſoribus aurem ne libenter accommodes, qui cum te adulationibus fouerint, & quodammodo impotem mentis effecerint, ſi ſubitò reſpexeris, aut ciconiarum deprehendes poſt te colla curuari; aut manu auriculas agitari aſini, aut æſtuantem canis protendi linguam.* Idem præfatione in Sophoniam. Qui *ſi ſcirent.* &c. *nunquam poſt tergum meum manum incuruarent in ciconiam.*

Pinsit.

Profert Diomedes cap. iv. lib. j. & quærit, *pinſit* meliùs an *pinſat*. Pinſere autem D. Hieronym. epiſt. iv. intellexit colli incuruatione exprimere geſtum ciconiæ. Gloſſæ autem accipiunt digitis motis exprimere geſtum ciconiæ crepitantis roſtro, quemadmodum & D. Hieronym. in Sophoniam prophetam loco quem dixi. Eodemque trahi poteſt quoque colli poſt tergum curuatio illa, quippe vt brachium irriſoris, pro collo ſit, manus pro roſtro.

Avricvlas albas.

Auriculas aſini introrſum plenas pilis albis. Ouid. lib. xj. de auriculis Midæ ———*villiſq. albentib. implet.*

Magis tamen eſt vt albæ auriculæ ſint auriculæ aſini albi. Aſini omnes deriſores & contumelioſi, eoq. magis aſini albi, quia in deliciis. Hinc Iunius Baſſus dicentarius, quod dicax & irriſor eſſet, vocitatus *aſinus albus.* Fabius c. iij. lib. vj. ſimul & luſum in colorem togæ candidæ. Baſſi nempe illius toga candida, vt & aliorum rhetorum, cum cauſas dicerent. Aliter de aſino illo albo, neq. rectè eſt in aduerſar. c. xxxv. lib. xxiix.

Aſinos autem eſſe irriſores patet prouerbio vetere quo vſus Xenophon ἀναβασ. lib. v. ὄνων ὑβριστότερος *contumelioſior aſinis.* Et Ariſtoteli Phyſiognom. c vlt. ὄνοι ὑβρισταί. Et ὄνοι καταγελῶντες in apophthegmate Diogenis cynici apud Laërt. Irriſores itaq. manu effingere ſoliti auriculas aſini, notantes aſinum illum eſſe quem rident.

Nec lingvae tantvm.

Lingua exſerta ſubſannare ſoliti quoq. vt apud A. Gellium c. xiij. lib. ix. T. Liuium lib. vij.

Vos ô patricivs sangvis.

At tu calue ſiue Nero, & vos patricij qui Iani non eſtis. *Caluus.* Nero figuratè, vt in ante, *vetulus.*

QVOS VIVERE FAS EST OCCIPITI COECO.

Irriſoriè dictum, vt Horatianum illud epiſt. ad Piſones.

———*ſit ius liceátq. perire poetis.*

VENIENTI OCCVRRITE SANNÆ.

Cauete adriſorũ deriſiones ſiue ſannas veniẽtes a tergo, ſiue Arnobij verbo vt licet *poſterganeas. Sannæ*, deriſiones vt & Iuuenali Sat. vj. gloſſę μῶκος *hæc Sanna.* Eiuſcemodi ſannarum triplex genus à Perſio ante commemoratum eſt. Sed ſumitur *ſanna* & pro ſannione ſiue ſannatore. Gloſſæ. *Sanna, Subſannator.* μῶκος.. Eſſe autem originis Græcæ liquet Euſtathij verbis ad x. xv. & xvj. Odyſſ. Sed hoc ridiculo, cenſorio ſupercilio negauere poſt me aliqui, & de Iudæis petere maluêre.

QVIS POPVLI SERMO EST.

Non modo non occurris tali ſannæ venienti, ſed & prouocas vltro, interrogans. *Quis populi ſermo eſt?*

VT PER LEVE SEVEROS EFFVNDAT IVNCTVRA VNGVES.

Quaſi ὡς διὰ φεραῖς eccilla Sidonij epiſt. vij. lib. ix. *Structura, inquit, orationis liquida prorſus & ductilis, veluti cum criſtallinas cruſtas aut onychintinas non impacto digitus vngue perlabitur: quippe ſi nihil eum rimoſis obicibus exceptum, tenax fractura remoretur.* L. Seruius in illud ij. Georg.

———*nec ſecius omnis in vnguem.*

Acro in Horat. ad Piſones.

SCIT TENDERE VERSVM.

Hic populi ſermo de te. *Scit* poeta ille *tendere verſum.* &c. *Tendere*, dirigere ἀπευθύνειν.

NON SECVS AC SI DIRIGAT.

Diregat. Dirigere ἀπευθύνειν. Apuleius Florida j. *Ad limam & lineam certam redigitis.* Malo, *diregitis.* Et ante. *Si ad oculos & obtutum iſtum terrenum redigas*, melius, *diregas.* Tota nempe florida illa de examine & regula philoſophi. Et in gloſſis, ἀπευθύνω, *Derigo*, lege, Dirego.

OCVLO RVBRICAM VNO.

Oculo enim vno cernere eſt ἀκριβέστερον & directiùs quàm vtroque. Cauſam reddit Ariſtoteles Problem. ij. Tomi xxxj. Lucianus. Icaromenippo. ἐπεὶ καὶ τοὺς τέκτονας πολλάκις ἑωρακέναι μοι δοκῶ, θάτερον τοῖν ὀφθαλμοῖν ἄμεινον πρὸς τοὺς κανόνας ἀπευθύνοντας τὰ ξύλα. *Nam & fabros ſæpe vidiſſe videor, altero oculo meliùs ad amuſſim ligna diregentes.* &c. Facta directione illa, tunc lignũ amuſſitatũ, directũ nempe ad amuſſim, vt tralatitiè *amuſſitata indoles*, plauti Milite Sc. iix. ne rectè apud Feſtũ & Marcellum eſt, *emuſſitata.* Amuſſitato ligno contrarium *robur inornatum.* Arguté apud C. Tacitum annali xv. cum L. Seneca diſcipulo Neroni dixiſſet. *Supereſt tibi robur*, Nero ei refert, *Quin ſi qua in parte lubricũ adoleſcentiæ noſtræ declinat, reuocas, inornatum robur ſubſidio impenſiùs regis?* vt ſi diceret, ſupereſt mihi robur, ſed inornatum,

ſiue indirectum, ſiue non amuſſitatum. Quin tu illud diregis, amuſſitas, exaſcias, ornas? neque opus reſcribere, *inordinatumque robur.*

SIVE OPVS IN MORES DICERE.

Explicat Priſcian. c. iix. lib. xiix. *Dicere in mores, luxum, & prandia regum,* eſſe, *dicere laudes in mores,* &c. vt Attici ἐγκώμιον κατά τινος λέγειν. Demoſth. Philipp. ii. ὃ καὶ μέγιστόν ἐστι καθ' ὑμῶν ἐγκώμιον. Melius gloſſæ veteres. Dicere in mores, ſcribere Comœdiam, dicere in luxum, ſcribere ſatyram, dicere in prandia regum, tragœdiam, vt in prandium Atrei ac Thyeſtæ.

Aculeus verò & hic in Neronem. Nero ſatyram ſcripſit. Iuuenal. Sat. iv.

Et tamen improbior ſatyram ſcribente cinædo.

Satyra eius in Quinctianum, quod *probroſum carmen.* C. Taciti annali xv. Tragœdia Neronis, Ilij haloſis. Itaq. canit eam *tragico habitu,* Paull. Oroſius c. vii. lib. vii. *ſcænico,* Sueton. Neron. cap. xxxiix. Quam Sueton. Ilij haloſin, C. Tacitus annali xv. Troianum exſcidium, Oroſius Iliadem dixit: vt & gloſſæ veteres in hanc Satyr.

ECCE MODO HEROAS SENSVS ADFERRE.

Iliadas ſcribere. Neronis Troica petit hæc celox, quæ tanquam Ilias. Patet epiſodio quod ex Neronis Troicis Seruius profert ad Æneid. v. De Troicis Neronis etiam Iuuenal. Sat. iix. Et verò etiam Perſius, nomine Iliadem Attij Labeonis carpit hac ſatyra, re autem, Troica ſiue Iliadem Neronis. *Heroas ſenſus,* figuratè vt *horrea Sulpicia. Sempronia horrea.* Feſt. *Partha tellus* Propert. *Romula tellus* Virgil. *Partha tropæa* Propert. &c. De quo genere ſermonis figurato, multum Euſtath. ad Iliadem vltim.

NVGARI SOLITOS GRAECE.

Vt Nero in Troicis nugas perſequens Græcanicas, puta, agonale certamen Troiæ olim certatum, & agnitum in eo à fratre Hectore Troilum. *&c.* Seruius loco quem dixi.

NEC PONERE LVCVM ARTIFICES.

Iliadas ſcribit Nero & Heroas effingit, qui ne cucurbitas quidem, & communia illa ἐπεισόδια, & pannos purpureos ponere & pingere poteſt, quæ poſſunt etiam illi qui alia non poſſunt. Ἐπεισόδια nempe illa *ſimulationes cupreſſi,* ἐκβάσεις Seruius vocat in Æneid. x. Has ridet Horatius ad Piſones. De iiſdem Ariſtoteles c. xii. & xvii. lib. de Poet. Tragici epiſodij ſpecimen videſis, Stobæi Serm. cclj.

Lucum autem accipe Dianæ, ſiue nemus Artemiſium. Videtur nempe ruminaſſe Perſius illud Horatij ad Piſones,

——— cùm lucus & ara Dianæ deſcribitur.

De nemore illo Geographus lib. v. Ouid. ii. Faſtor. T. Liuius lib. j. Martial. epigr. xix. lib. xi.

In aduerſar. c. iix. lib. xx. lucus hic Martis accipitur, de quo Iuuenal. Sat. j. ſed Horatio Perſius non Iuuenali æmulus, cui nec potuit eſſe. Et

aliorſum

aliorſum Iuuenal. lucũ Martis trahit quàm ſuſpicati, nempe ad Valerij Argonautica. Adde. Iuuenalis lucum Martis, & Monychum vult intelligi grandia: Perſius autem epiſodia tangit. Iuuenalis ſe grandia nolle, ſatyram velle: Perſius, Neronem heroica velle, at ne communia quidem ſcire & ἐπεισοδιῶδη.

NEC RVS SATVRVM.

Nec pingere aut *ponere* in verſu ſiue τιθέναι ruſticum prædium, & fundum inſtructum, & cum inſtrumento, *vbi corbes*. &c.

Rus ſaturum dixit, vt Horatius *beatum* epiſt. x. & Martial. epigram. xlvij. lib. iij. Sic *ager plenus*. Tibull. eleg. j. lib. ij. *Rus diuinum* Virgil. j. Georg. *Pleniſſima villa*. Horat. Sat. v. lib. j.

ET FOCVS.

Qui ruri quàm in vrbe luculentior. Martial. epigr. xlvj. lib. x.

ET FVMOSA PALILIA FOENO.

Patet Tibulli eleg. v. lib. ij. Propert. eleg. j. & iv. lib. iv. Ouid. iv. Faſtor. Iunxit verò nunc Perſius noſter *rus ſaturum*, & *Palilia*, quemadmodum etiam Tibullus eleg. j. lib. ij. vtriq. ratio eſt, quia de ruſticorum Parilib. agit, & quia illis Palilib. agebantur dijs ruſticis gratiæ ob prouentum, & ſaturitatem.

VNDE REMVS.

Vnde creatores ipſi vrbis Remus & Romulus. Remus pro conditore vrbis vt epigr. Græco ἄστυ Ῥεμοῖο. Catulli epigr. in Leſbiam. Propert. eleg. j. lib. ij. eleg. j. lib. iv. Martial. epigr. lxvj. lib. x. Manilium lib. iv.

SVLCOQ. TERENS DENTALIA.

Theocrit. ecloga xiij.

Αὔλακας εὐρυνόντι βόες τρίβοντες ἄροτρον.

Maro j. Georg.

——— *& ſulco adtritus ſplendeſcere vomer.*

QVINCTI.

Cape de L. Quinctio Cincinnato dictatore. Patet Dionyſij lib. x T. Liuij lib. iij. Iunij Columellæ Procœmio lib. j. At Pſeudocornutus de C. Atilio Serrano accepit, mox eundem facit Serranum & Cincinnatum, haud multo meliùs quàm Cedrinus, qui Cincinnatum refert in ſæculum Neronis.

TREPIDA VXOR.

Racilia. T. Liuij lib. iij. *Ercilia*, Sidonij epiſt. iix. lib. iix.

DICTATVRAM INDVIT.

Meliùs alij libri, & membranæ, *dictatorem induit*. Senatus Quinctium miſſo viatore, dictatura induit: vxor autem togulâ. Fides à Plinio c. iij. lib. xiix. vbi viator Quinctio. *Vela*, inquit, *corpus, vt proferam* S. P. Q. R. *mandata*. Hæc poſtquam à viatore dicta, vxor eum toga induit, nempe vt viator cum eo in veſte ageret ciuica. Toga inſigne ciuis Romani. T. Liuius lib. iij. narrans de Quinctio, *Rogatus*, inquit,

vt, quod bene verteret ipſi reiq. publicæ, togatus mandata ſenatus audiret. Cognitis mandatis oblati ei XXIV. ſecures, equi falerati, toga purpurea, aliáq. inſignia. Dionyſ. lib. x.

At Sidonius panegyrico Auiti ſoceri ſui Perſium ſic imitatur, quaſi qui ſcripſerit, *dictaturam induit.*

Sic quondam ad patriæ res fractas pauper arator
Cincinnate venis, veterem cum te induit vxor
Ante boues trabeam ——— ———

EVGE POETA.

Hæc ſi bene, quanquam cucurbitas, & notiſſima pinxeris, adclamabo ipſe, tibi recitanti, *Euge.*

EST NVNC.

Pergit aceto ſuo àdſpergere & poetas antiquarios, amatores Attij & Paccuuij, puto imitatus Lucilium, qui & ipſe Paccuuij Attijque obtrectator. A. Gellius c. xxj. lib. xvij. *Clariórq. tunc in poëmatis Paccuuij Attijq. obtrectandis Lucilius fuit. Clarior*, nempe quam Poetæ ipſi.

BRISÆI.

Sic gloſſæ veteres legunt, item aduerſaria c. xxvj. lib. xxiix. & Attium Briſæum vocari aiunt quia Bacchus cognomento Briſæus. Bacchi autem tutela Poetæ. Attius ergo Briſæus. Ita? Cur non & Paccuuius Briſæus, & Q. Ennius, item alij? Apertiùs dixeris. Attium Briſæum vocari quia Bacchas tragœdiam ſcripſerit. *Attius Briſæus*, perinde vt ſi diceres, Attius Baccharum ſcriptor. Combinat Perſius Attium & Paccuuium poetas; item tragœdias, Bacchas Attij, Antiopam Paccuuij, & vtrique ſuum ſibi elogium adponit Bacchis, *venoſus liber*, Antiopæ, *verrucoſa, & ærumnis cor luctificabile fulta.* Hæc ego cum ſic ante ſcripſiſſem, ſuperuenêre qui recta corrigerent, & pro *Briſæi*, legerent *Briſeis*; & intelligi præciperent *Briſeida* tragœdiam Attij, quem illi ruſticatim *Accium* vocant. Sed quis eis ἀπεκάλυψε vllã eiuſmodi ſcriptam à Poëta illo fabulam. At Bacchis quidem eius nihil nominatius.

VENOSVS LIBER.

Venoſus, venis inflatis quaſi bacchico furore ſiue vt bacchantium venæ inflatæ, vt Silenus inflatus venas Baccho vel mero, vel numine, Virgilij Ecl. vj. Aculeus itaque in Attij eſt ſufflatum carmen in Bacchis. fortean & in tragœdiis reliquis, vnde Attius *ſenex altus*, Horatij epiſt. ad Piſones.

VERRVCOSA.

Salebroſa, aſpera. Martial. epigr. xcj. lib. xj.

ANTIOPA.

Hanc tamen valde Cicero laudat j. de finibus. Sed auctor Dialogi de oratorib. Paccuuij *veternum* ridet.

ÆRVMNIS COR LVCTIFICABILE FVLTA.

Quæ ſic ærumnoſa vt ærumnæ ipſæ pro fultura ei ſint, & quaſi pul-

uinus. Expreſſumq. hoc mimeſis ex Paccuuij Antiopa ipſa, eaq. ridet duram illam Paccuuianæ locutionis ſartaginem. Conſimilem vſurpauit tamen M. Attius Plautus Pſeudulo, &c. Cui ſeruitutem. &c. *Paruis*, inquit, *magniſq. miſeriis præfulcior.* Periucundè autem illi, *fulciri* Antiopam *Aerumnis*, interpretari, *cingi, opprimi*. Quid pote melius?

HOS PVERIS MONITVS.

Seruius profert ad Æneid. iv.

PATRES LIPPOS.

Qui mente lippiunt. *Lippi* Perſio mente vari, vt nunc & Sat. ſequente, & v. Sic in prouerbiis, *Lippire ollas, Lippire cucurbitas.*

SARTAGO LOQVENDI.

Locutio aſpera, odioſaque, & quaſi ſtrepitus ſartaginis, de quo Iſidor. c. xxvj. lib. xxiix.

DEDECVS.

D. Hieronymus lib. j. in Iouinianum. *Rogo quæ ſunt hæc portenta verborum, quod dedecus deſcriptionis.*

TROSSVLVS.

Eques, Auguſtianus Neronis. Nam & hæc de antiquariis, Neronem petunt.

Troſſulos autem dictos equites Romanos liquet Plinij c. ij. lib. xxxiij. Feſtus. & benè hic gloſſæ veteres.

Sic & Varro Seſqui Vlyxe accepit, quem locum ſibi repugnantem Marcellus profert docere volens *Troſſulos* eſſe *toroſulos*. Sed Varro equites tangit, vt & L. Seneca epiſt. lxxvj. & xxcvij. Neque moueor Philoxeni gloſſis, vbi *Truſulus*, ὁ ἐν μικρῷ παχύς. Nam menda illa ibi, *Truſulus*, pro *Turuſulus* ſiue *Toroſulus*.

Duo agitur hæc iſta, troſulus eques, toroſulus ὁ ἐν μικρῷ παχύς. Troſſulus à Troſſulo oppido: toroſulus à toris. Sic *toroſulum*. D. Hieronymus dixit epiſt. xlvij. *Toroſulum & in ſordibus delicatum.* Et lib. ij. in Iouinianum. *Formoſuli noſtri & toroſuli, & vix ſummis pedibus adumbrantes veſtigia, quorum verba in pugnis ſunt, & ſyllogiſmi in calcibus.* His D. Hieronymi locis aliqui legunt troſſuli, inemendatè. Hæc Perſij, Sat. iij. *Toroſa iuuentus.*

Troſſulum autem, ſiue Auguſtianum, ſiue Auguſtanum Neroni *exſultare* inquit, vt & anteriùs *Titos trepidare*. Sic & in verſu veteris Poetæ, *Tremuli modi Galliambi*. Victorini lib. iv. de metris.

NIL NE PVDET.

Pergit in Pedium Blæſum, ſacrilegij, & peculatus à Cyrenenſibus accuſatum. C. Tacitus annali xiv. Pedius ille capitis cauſam dicens non ſe oratoris defendit lacertis, ſed Neroni placiturum ſperans, leuia carmina & faciles verſus in ſenatu recitauit. Benè ſic gloſſæ veteres. Stultulè autem admodũ illi, qui nunc deinceps in oratores Perſiũ ire autumãt.

CAPITI NON POSSE PERICVLA CANO PELLERE.

Planè non potuit, condemnatus enim eſt, & motus ſenatu. C. Tacitus. nec profuit ei ὁμοτεχνία illa ſtudij Neroniani. *Capiti* autem *cano*, vel ſenectute vel reatu.

QVIN OPTES AVDIRE.

In Senatu audire, & vt opinari licet, præſide Nerone.

TEPIDVM DECENTER.

Potuit, *calidum decenter*, noluit Perſius, oſtendens adclamatum Pedio in ſenatu, *decenter*, ſed tepidè, quippe damnabili; calidum fuiſſet *decenter*, ſi abſoluendus. Sed inuenti qui legerent, *trepidum decenter*. Sed ἢ αὐτοὶ κρίσιν αὐτὸν ἀναιροῦσι, & refellunt ſeipſi perurbanè auctoritate Sidonij comitis, qui hunc Perſij noſtri locum effingens dixit *tepida veſtra* &c..

FVR ES AIT PEDIO.

Ait patronus Cyrenenſium Pedio. Accuſauere nempe Cyrenenſes, *violatum ab eo theſaurum Aeſculapij, dilectúmq. militarem pretio & ambitione corruptum*. C. Tacitus. Videre autem hic & ridere licet mirificam illorum criticam, qui mihi ſic reſcripſêre, ſiue contra me ſcripſêre. *Alieniſſimum eſt quod cauſa Pedij hoc verbum quidam accommodant. in vniuerſum enim loquitur*. Atqui vnum ſic ſtringit noſter hic vt omnes eiuſdem thyrſi & eodem thyrſo perſtringat. Non dicerem hæc, niſi pro Gloſſis veteribus illis pugnarem, quos illi ipſi laudant, vt nihil ſupra. Et ipſi mox paullo in Gloſſarum de Pedio rhetore poëtante, veritatis quaſi ἀλιῤῥοθία voluuntur. Reſtitat tamen etiam hic aliquantum, & puto, inquit, non intelligi Pedium, ſed oratorem qui pro Pedio orauit. ὑπέρευ.

CRIMINA RASIS LIBRAT IN ANTITHETIS.

Inquiunt gloſſæ veteres: *Antitheta hae ſunt.*

Fortia neglecti velabant colla capilli,
Et per neglectos velabant colla capillos.
Aut quoties vmbra porrexi brachia mota
Aut quoties vmbra reduxi brachia mota. Et

Meliùs, *Et per neglectos velabam*———
Aut quoties ——————

Hinc itaq. patet cur antitheta Perſius dixerit, nempe vt *velabant, velabam; porrexi, redduxi*. Eadémque *raſa*. Radit enim aliquid ſemper ſequens verſus ex antecedente. Verſus enim & antithetici & rhythmici, & raſiles, ineptiæ illæ. *Redduxi*, pro *reduxi*, vt in illo apud Marium Victorinum. lib. j. Grammat. *Redduxere retro longe capita ardua ab ictu.* Alia ſunt rhetorum antitheta, de quib. Cratinus in Pythagoram apud Laërtium. Ἰδιώτην ταράττειν, καὶ κυκᾶν τοῖς ἀντιθέτοις.

DOCTAS POSVISSE FIGVRAS, LAVDATVR.

Adclamatum illis ineptiis, *euge*, & *belle*, & *decenter*. Fruſtra illi qui legunt, *doctus*.

AN ROMVLE CEVES?

Tu Nero, & tu ſenator & auditor in corona circumſtante ſenatum, quiqui es. Nero hîc Romulus, vicem Romuli, & tyrannus. Aimilius Lepidus in L. Sullam apud Salluſtiû Criſpû. *Qua cunctaſanus iſte Romulus*

quaſi ab externis raptat tenet. Volunt aliqui, *ſcaum iſte Romulus*, negat ſe velle Criſpus. Sequitur enim. *Sed tum crudelior, cùm.* &c. Catullus in Cæſarem. *Cinæde Romule.* Et clamator ille tanquam Salluſtius in Ciceronem. *Romule*, inquit, *Arpinas*, tyranne ex municipio. Senatores etiam ipſi Romuli figuratè, vt & ceteri Quirites ſiue Romani Catullus epigr. in Memmium.

Opprobria, Romuli Remiq.

Interpretando autem huic loco & gloſſæ ad Perſium veteres, & Marcellus in *Conquiniſcere*, & Probus Catholicis.

MEN' MOVEAT.

Nulla tibi Romule exſultandi cauſa & adclamandi *decenter.* Nam ſic antithetis & rhythmis ludere, tam hercle ineptum, quàm vulgarius ritus ille quo naufragi cantantes ſtipem petunt, quos æquius petere flentes.

CANTAS CVM FRACTA TE IN TRABE PICTVM
EX HVMERIS PORTES?

Ritus notiſſimus ex Horatij ad Piſones, Iuuenalis Sat. xiv. Perſij Sat. vj. Martialis epigr. lvij. lib. xij.

VERVM NEC NOCTE PARATVM CANTABIT.

Carmen lucubratum recitabit. Ars nempe cum adparet perit, & detrahit fidem. Fabius c. iij. lib. ix. c. j. lib. iv.

SED NVMERIS.

Apologiſmus Neronis, laudantis carmina ſua vt Maronianis meliora. Nam Virgiliana ſine rhythmo eſſe, ſua rhythmica.

ET IVNCTVRA ABDITA.

Scripſit Perſius, *addita.* Virgiliani, inquit Nero, verſus crudi & impoliti, quia ſine iunctura. Iuncturá accipe rhythmum, quæ in Romanicis vulgariis hodiéq. iunctura. Rhythmus iunctura, nẽpe quaſi combinatio diſtichorum, & in ipſis quoque inciſis verſuum, vt in antithetis Pedij.

CLAVDERE SIC VERSVM.

Profert iuncturæ illius rhythmicæ exempla Nero ex Poëmatis ſuis. Eiuſcemodi & verſus ille Neronis apud L. Senecam Natural. Quæſt. c. v. lib. j. *Colla Cytheriacæ ſplendent agitata columbæ.*

BERECYNTHIVS ATYS.

Repone, *Berecynthius Attin.* vt rectè vetus gloſſa. Notat clauſulas verſuum rhythmicas Perſius, *Attin & Delphin.* Verſus hi ex Neronis Attine de quo Dio in Nerone. ἐκιθαρῴδησεν Ἄττινα, ἢ Βάκχας. Ex Bacchis alij verſus poſt paullò, *Torua Mimalloneis.* &c.

SIC COSTAM LONGO.

Rhythmus *longo, Apennino.* Multa hic Pſeudocornutus, ſed folia.

ARMA VIRVM.

Comparat rhythmos ſuos cum Æneide Nero, & hanc eſſe ait plenam ruris, rhythmos ſuos elegantiæ.

Διαλύτως autem Arma, virum. Arma, virum, Æneis. Opus ex principio. Martial. epigr. lxvj. lib. iix.

Protinus Italiam concepit & arma virumq.

Et cxxcv. lib. xiv.

Accipe facundi culicem ſtudioſe Maronis

Ne nugis poſitis, arma virumq. canas.

In aliis. *Ne nugis poſitis arma virumq. legas.*

Ego. *Nei nugis poſitis arma virumq. legis.*

Accipe culicem, niſi nugis poſitis legis Æneidem robuſtiore iam ingenio. *Nei*, pro niſi. Sæpe ignoratus hic articulus corrumpendis libris fuit, vt Martial. epig. xj. lib. iix.

Nullum Roma ducem, nec te ſic Cæſar amauit.

Valerij manus fuit.

Nullum Roma ducem, nei te, ſic Cæſar amauit.

Nullum ſic Roma ducem amauit, niſi te, extra quàm te, te excepto.

Sic L. Seneca Neroni palpum obtrudit c. j. lib. j. de Clement. Nemo vnus homo vini homini tam carus vnquam fuit, quàm tu populo Rom. Virgil. Æneide iij.

——— leti diſcrimine paruo,

Nei teneant curſus ——— Falſi Grammatici cum legunt. *Ne teneant.* &c. Donat. in Eunuch. Priſcian. c. j. lib. xv. Tiberius Donatus apud Donatum, verus ille non qui hodie Pſeudotiberius Donatus. Sed de ſemita in viam.

Vt *arma virumq.* Æneis, ſic Μῆνιν ἄειδε θεὰ, Ilias, Ariſtoteli c. xv. de repreh. Sophiſt. Et epigr. Luciani in Grammaticos. *Aeneadum genitrix*, Phyſica Lucretij, Ouid. ij. Triſt. *Paſſer* pro hendecaſyllabis Catulli, Martial. epigr. iix. lib. j. xiv. lib. iv. Sic & legiſperiti Romani. Sed *cui non dictus Hylas?*

VT RAMALE VETVS.

L. Seneca epiſt. xc. Ouid. Perſ. Sat. v. Alij. Sic *ramale laureum* Marcianus Felix lib. j.

VEGRANDI SVBERE.

Legit Seruius in xj. *Prægrandi ſubere.* Sic Perſius poſt paullo, *Prægrandi cum ſene: Suber* autem pro cortice quouis vt dico ad Horatij. Odam ix. lib. iij.

COCTVM.

Explicat Seru. ad Æneid. xj. *annoſum.*

QVIDNAM IGITVR.

Perſius Neroni. Si Æneis edura & ruſtica eſt: quid tenerum obſecro?

ET LAXA CERVICE LEGENDVM.

C. Mæcenas apud L. Senecam epiſt. cxiv. *Incipitque ſuſpirans vt ceruice laxa ferantur, nemo,* &c. Corrigunt ad catalecta. *Incipitq. ſuſpirans vti laxa ceruice ferantur,* &c. Ego. *Inſpicitq. ſuſpirans, & ceruice laxa, fariatur animo.* &c. σκιμαίνεται θυμὸν ἔρωτι. Volo etiam & in tranſitu

ſpargere alterū Mæcenatis floſculum. *Tyranni*, inquit, *inremediabilis factio, rimantur epulis, lagenáque tentant domos, & ſæpe mortem exigunt.* Accipiunt ad catalecta, de domo quæ deriperetur, Haud vidi magis. Voluit Mæcenas quod Horatius ad Piſones.

Reges dicuntur magnis vrgere culullis
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant
An ſit amicitia dignus. ——————

Ad hoc exemplum & apud Fl. Vopiſcum eſt in Bonoſo, & de Firmo apud eundem. Et apud L. Senecam epiſt. xix. *Amicum probare in conuiuio.* Eleganter D. Ambroſ. c. xvii. De ieiunio. *Pleriq.* inquit, *vino vtuntur pro equuleo, & quib. tormenta non eliciunt vocem proditionis, eos tentare bibendo, vt perdant.* Imitatur Horatianum illud Odæ xxi. lib. iii. *Vinum lene tormentum ingenij duri.* &c.

Laxa autem ceruix nota teneritudinis & mollitiarum, vt apud Dionem orat. iv. de regno & orat. de regno & tyrannide, hominis voluptarij nota, ἀποκλίνειν τὸν τράχηλον. Sic ἔγκλησις κεφαλῆς. Ariſtoteli Phyſiognom. Et τραχήλου κλάσις, Adamantij Martyrij Phyſiognom. c. xvi. lib. ii. Polemonis Phyſiognom. c. xv. lib. j.

TORVA MIMALLONEIS.

Iunctura ex Bacchis Neronis. Iunctura illa Neroniana, Mimalloneis bombis.

Profert autem Lactant. ad Thebaid. iv. & Mimallonas inquit Macedonū lingua eſſe Bacchas. Plutarch. principio Alexandri. Profert quoq. Diomedes hunc verſum c. vii. lib. iii. & de genere illorum verſuum eſſe ait qui *teretes* dicuntur. Sic autem legit. *Torua mimalloneis impletur tibia bombis.* Sed quotidiana lectio melior.

IMPLERVNT CORNVA BOMBIS.

Talis iunctura & Catulli epith. Pelei.

Multáq. rauciſonos efflabant cornua bombos.

Sic bombi editi cornu. Lucret. lib. iv. Hinc & βομβαύλιοι.

ET VITVLO.

Alia ex Bacchis Neronianis iunctura. *Vitulo, ſuperbo.* Hæc autem Bacchi ſacra omophagia. Arnobius lib. v. ex Clementis Alex. Protreptico. De his & interpres Apollonij Argonaut. lib. j. Epiphan. lib. iii. aduerſ. hæreſ.

RAPTVM CAPVT ABLATVRA.

Vt apud M. Senecam Controuerſ. ii. lib. vij. *Humerotenus reciſum amputa caput.* Cæſar j. belli ciuil. *Hoſtes procul viſos conſpexi.* Propert. eleg. iv. lib. iv. *Sidera lapſa cadunt.* Homer. Iliade xiix. Δηώσας ἀπέδυσε. Interpres Ariſtophan. in Nebulas, σχῆμα eſſe ait ἐκ παραλλήλου. Notat & Priſcian. cap. iix. lib. xiix. Dico etiam ad Horat. Odam xxxv. lib. i. Sed forte an Nero ſcripſerat, *Et raptim.*

ET LYNCEM.

Hic iunctura non eſt in verſu niſi fuit ſi forte.

Baſſaris, & lynceis Mænas flexura corymbeis. Fruſtra illi qui hos iv. Neronis verſus tranſponunt, vt iunctura & rhythmus fiat. Poteſt enim abſq. traiectione iunctura eſſe alternatim, *bombis ſuperbo, corymbis echo.* Triplex ſcilicet Neroni rhythmus, vnus in eodem verſu: alter in verſib. alternis. vt *Attin, Delphin.* Tertius in verſibus quaternis vt *bõbis, ſuperbo, corymbis, echo.* Quartus mixtus. Sic hodie in Gallica, alijſque Romanicis, & verò etiam aliarum gentium linguis, verſus maritati, & non maritati.

FLEXVRA.

Vel corymborum copia quib. coronata: vel corymbis hederæ ramis flexura vice freni, vt *flectere virga* equum. Lucret. lib. iv. Silius lib. j. Oppian. Venat. lib. iv. πείθονται δὲ λύγγιοι. *&c.* Sic *effrena lynces* Bacchi, Papinio.

EVION INGEMINAT.

Neq. hic in eodem verſu iunctura, Perſius tamen ſcripſerit ſi forte, Neronem ridens. *Euion ingemino.* vt & hic iunctura eſſet, *Ingemino, echo.* Ingemino ego Nero Euion, canens Bacchas. Hic, vt ille Plautinus loquitur, *niſi de opinione certum nihil dico.*

REPARABILIS ADSONAT ECHO.

Hinc echo, *Reſona.* in gloſſis, & *Imago.* Imago illa Neroni puto in gymnaſio illo, in quo canere ſolens, vt depingit Philoſtratus Apollonij lib. iv.

HÆC FIERENT.

Caſtigat Neronem Perſius. Et, *fierent*, nempe à Poeta, qui ποιεῖ.

SI TESTICVLI VENA VLLA PATERNI.

Honeſtè ex Perſio. Seuerus Imp. epiſt. ad Rogonium Celſum, apud Ail. Spart. vita Peſcennij. *Hæc*, inquit, *ſi vlla vena paterna diſciplinæ in nobis viueret, fierent?*

SVMMA DELVMBE SALIVA.

Pronunciat Nero has iuncturarum ineptias molliter, effeminatè, ὑγρῶς.

HOC NATAT IN LABRIS.

Fabius cap. iij. lib. x. *verba in labris naſcentia.* Tale iudicium illud apud Plutarchum in Catone. Τὰ ῥήματα τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἀπὸ χειλέων, τοῖς δὲ Ρωμαίοις ἀπὸ καρδίας φέρεσθαι. *Verba Græcis quidem de labris, Romanis autem de corde proficiſci.*

ET IN VDO EST.

Sic Theophraſtus charactere Loquacitatis. Loquacitatem ὥς ἐν ὑγρῷ εἶναι τὴν γλῶτταν. *tanquam in vdo eſſe linguam.*

NEC PLVTEVM CAEDIT.

Geſtus poetæ cogitantis aliquid δριμύτερον. Itaque *nec pluteum cædit*, nulli nerui, nulla δριμύτης in Attine hoc, & Bacchis. Explicat vero

hunc

hunc Perſij locum Fabius c. iii. lib. x,

NEC DEMORSOS SAPIT VNGVES.

Etiam ſine arte ſiue iners, & ſine cura ſiue ſecura illa Neronis Attin & Bacchæ. Qui acriter intenti cura & meditatione, ij vngues rodunt ſubinde Horat. Sat. x. lib. 1.

——— *& in verſu faciendo.*

Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues.

Perſ. Sat. v. ——— *crudum Chæreſtratus vnguem*

Abrodens ——— ——— vbi & alia dico in hunc ritum.

Sic & calamum ſoliti prærodere, vt Demoſthenes. De quo Plutarch. mortem eius narrans. προσήνεγκε τῷ στόματι τὸν κάλαμον, καὶ δακὼν ὥσπερ ἐν τῷ διανοεῖσθαι καὶ γράφειν εἰώθει. *Admonuit calamum ori, & præmordens vt in cogitatione & ſcriptione ſolitus.*

SED QVID OPVS.

Romulus hoc aliquis Perſio, amicè præmonens, caueat ſibi à Nerone. Malè in gloſſis libellus ipſe hoc Perſio. Refellit ſequens illud Perſij. *Hoc iuuat*, &c.

AVRES TENERAS.

Auriculas Neronis, omnia reſpuentes præter oleum & palpos.

MORDACI VERO.

Vt *mordaci aceto*, Sat. v. Veritas mordet bifariam vno modo mendacij amicos, nam his moleſta eſt, vt nunc: altero modo, vt verum amantes & ſapientiam purgat, vt Sat. v. De odio veritatis Pindarus Nemeis Oda v. Lucianus in Hermotimo: Socrates Proœmio Hiſtor. Eccleſ.

RADERE.

Hinc Fabio illud natum c. j. lib. iij. *Ne ieiuna atq. arida traditio auerteret animos, et aures præſertim tam delicatas, raderet.*

VIDE SIS.

Vide, correptum vt *caue* Næuij Lycurgo apud Marcell. in *Contendere*. Plauti Aulul. Sc. xvii. Catulli epith. Manlij. Propert. eleg. ij. & xii. lib. j. Horat. epiſt. xiii. *Reſponde* Martial. epigr. iv. lib. iij. Manil. fine lib. vlt. *Iube*, Plauti Amphitr. Sc. vij. Seru. ad Æneid. iv. Donat. in Andr.

NE MAIORVM TIBI FORTE LIMINA FRIGESCANT.

Ex Horatiano illo. ——— *Maiorum ne quis amicus*

Frigore te feriat. ——— *Maiorum limina,*

Neronis. Et dilogia eſt, frigeſcant, vel refrigeratione gratiæ, vel refrigeratione corporis, ſiue morte.

CANINA LITERA.

De qua Lucilius.

Irritata canes quod homo quàm planius dicat.

Cariſius lib. j.

PER ME EQVIDEM.

Reſponſum Perſij quaſi qui acquieſcere velit conſilio illius Romuli, & iam nunc proijcere ſcriptionem Satyræ. De verſu autem hoc Seruius ad Æneid. j.

HOC IVVAT.

Nunc tu places, inquit Romulus ille.

HIC INQVIS VETO.

Nolo tangas poëmata Neronis, ſacroſancta illa ſunto.

PINGE DVOS ANGVES.

Adpinge ergo, inquit Perſius, duos angues vt locis ſacris adpingi ſolent, qui notent Genios ſiue cuſtodes loci. Benè ſic interpretatus hunc locum Seruius ad v. Æneid. ex eoq. Iſidor. c. xii. lib. iv. Vide ſis & Macrob. Saturn. c. xx. lib. i.

PVERI SACER EST LOCVS.

Et adſcribe formulam. *Pueri. &c.*

EXTRA MEITE.

Vt elogio illo vetere Romæ.

Hoſpes ad hunc tumulum ne meias oſſa precantur
Tecta hominis. ————

Iuuenal. Sat. i.

Cuius ad effigiem non tantum meiere fas eſt.

Ariſtoph. Veſpis,

Κ' οὐ μὴ ποτὲ σου παρὰ τοὺς χάννας οὐρήσω.

Explicat interpres. οὐκ ἐνοῦρεῖσθαι σου τὸ ἡρῷον, ἀλλὰ τιμήσω. Ail. Spartian. in Caracal. *Damnati ſunt eo tempore, qui vrinam in eo loco fecerant, vbi ſtatua aut imagines erant principis.*

SECVIT LVCILIVS VRBEM.

Redit ad ingenium Perſius. Atqui, inquit, Lucilio impunis Satyra fuit, cur non & mihi?

Secuit autem genuino, quem fregit in eis.

TE LVPE TE MVTI.

Imitatus Horat. Sat. i. lib. ii.

ET GENVINVM FREGIT IN ILLIS.

Sic & veteres ad Iuuenal. Gloſſæ Sat. i. legunt explicantq. Aliquis tamen commentariolo in nouam editionem Horatij reſcribi velle ait.

Te Lupe, te Muti & genuinum fregit Iulis.

Sed bene libri omnes, etiam membranæ ————*in illis.* Non fregit Iulis, aut Lupo, aut Mutio genuinum Lucilius, nihil hoc ad mentem Perſij: ſed ita validè tanquam aper his dentem Satyricum impegit, vt penè frangeret. Αὔξησις poetica, *fregit*, validiſſimè impegit.

RIDENTI FLACCVS AMICO TANGIT.

Ex Horatij Sat. i. lib. i.

————*ridentem dicere verum Quid vetat?*

NEC CVM SCROBE.

Ouid. lib. xj. in Fabula Midæ.

NVSQVAM.

Romulus ille qui ante, *Sed quid opus.* &c.

HIC TAMEN INFODIAM.

Facit ingenium ſuum Perſius, & hic, inquit, tamen, hoc in libello tanquam ſcrobe infodiam, ſiue obſcurè dicam, διὰ σημείων, ἐν αἰνιγμοῖς. Ergo & ſequitur.

——— *vidi, vidi ipſe libelle.*

AVRICVLAS ASINI.

Elegans iocus Antagoræ in Bœotos. *Merito eos nominari Bœotos, quia boum aures habeant.* L. Stobæus Tit. ccxcvi.

QVIS NON HABET.

Fecerat Perſius, *Mida rex habet.* mutauit, ne apertè nimis in Neronē. Notant gloſſæ veteres. Sed contra venit Criticus aliquis, & negat mutari debuiſſe, & reponi vult. *Auriculas aſini Mida rex habet.* &c. Rogo quid ita? Quia, inquit, nullum hodie Perſio à Nerone periculum eſt. Non eſt fateor, ſed, iocari pauliſper libet, eſt à malis criticis. Enimuero ſeriò nihil neceſſe eſt Midā cum auriculis ſuis in regnū hoc reſtituere. Magis enim ſatyricum ſiue in ſatyram conueniens eſt, relinquere diuinationi lectoris quis hoc ſchemate percuſſus. Satyrici ac præſertim Perſius Αἰνιγματίαι. Cornutus itaq. mutauit non ſolum Neronis metu, ſed etiam quia ſic melius.

HOC RIDERE MEVM.

Hunc Satyricum meum riſum, hanc Satyram meam, qua rideo Neronem & proceres.

NVLLA TIBI VENDO ILIADE.

Non Iliade Labeonis, non Iliade Neronis, ſiue Troicis.

IRATVM EVPOLIDEM PALLES.

Palles ſtudio legendi Eupolidis & Ariſtophanis ſiue comœdię veteris.

SI FORTE ALIQVID DECOCTIVS AVDIS.

Aliquid breuius. Satyras meas quaſi decoctas vt ad tertias, ad mediū, heminam, ad ſextarium, ſi comparentur ad copiam veteris comœdiæ.

INDE MIHI LECTOR.

A tali, nempe comœdiæ veteris auditione vaporatum ſiue calentem lectorem mihi opto.

VAPORATA AVRE.

Calefacta. Vapor calor vt identidem apud Lucretium, alios. Hinc Auguſtus Suetonij c. xxcvij. *vapidè ſe habere.* id eſt calidè, ſiue febricula tentari. Febricula calor vt Tibulli lib. iv. Iuuenal. Sat. xij. Febris magna, feruor. Sic vaporatus æſtus apud Amm. Marcellin. lib. xxix. vaporatum tempus lib. xvij. & xiix. Cæl. Aurel. Acut. morb. c. ix. lib. ii. & Apuleius lib. vi. *vapor ſolis.* Etiam C. Plin. cxxxi. lib. xi.

NON HIC.

Non hic mihi ferueat, non hunc opto lectorem.

QVI IN CREPIDAS.

Romulum aliquem ſpretorem aut oſorem philoſophiæ, Neronem videlicet. Nam hunc *à philoſophia mater auertit, monens imperaturo contrariam eſſe.* Sueton. Neron. c. lij.

Nec Neroni tantùm ſed & aliis Romanis odio philoſophi, vt Tullij ij. de orat. Procemio Tuſcul. j. Paradoxo iij. L. Senecæ epiſt. v. Planiſſimè Galenus lib. περὶ τοῦ προγινώσκειν cuius locum Latinum feci. *Philoſophiam Romani prorſus non curant, ſed omnium diſciplinarum maxime inutilem ducunt, & perinde eſſe philoſophari, ac milium perforare.*

Propriè autem Graiis ſiue philoſophis crepidas tribuit. Calcei nempe Romanorum: crepidæ ſiue ſoleæ Græcorum, vt Suetonij Tiberio c. xiii. Plutarchi Nicia. A. Gellij c. xx. lib. xiii. Græcorum pallia & crepidæ: cõntra Appiani Mithridatica, calcei ὑποδήματα Ἰταλικά. Crepidæ vinculis adſtrictæ, calcei ſine vinculis. Heliodorus Æthiopicis lib. iii. κρηπὶς μὲν αὐτοῖς ἱμάντι φοινικῷ διάπλοκος, ὑπὲρ ἀστράγαλον ἐσφίγγετο. *Crepida quidem eis, implicita purpureo vinculo, ſuperius talo adſtricta erat.*

Crepidarum verò mentionem iacit Perſius, *nudipedalia* philoſophorum tangens de quib. mihi alia dicendi meta.

GRAIORVM.

Graij Romani Græciſſantes, vt Plautus diceret. Sic Q. Ennius annali xi. ridens hoc genus,

Contendunt Græcos, Graios memorare ſolent ſos.

Feſtus in *Sos.* Lego.

Contemnunt Græcos——— &c. Proceres illi Romani Græciſſantes contemnunt Græcos, ſe autem Graios dici volunt.

LVSCO DICERE LVSCE.

Imitatus hoc D. Hieronym. lib. ii. aduerſus Iouinian. *Quid prodeſt luſcum vocare luſcum.* &c.

Luſcus, cocles vnoculus, defioculus, μονόφθαλμος, ἑτερόφθαλμος.

ITALO QVOD HONORE.

Iocus in Romulos municipales, vt Horatij Sat. v. lib. j. Et M. Senecæ Procemio lib. iii. Controuerſ.

SVPINVS.

Elatus & reſupinus. L. Seneca epiſt. xxc. *Vultuoſus, ſupinus, rigens.* Prudentius in Coron. Hymno x. *Supinus* non eſt vt aliqui perſuaſi. ὑψαύχην, aut eiuſcem. .., qualem Arrianus in Epicteto pingit c. xxi. lib. i. Sed ὕπτιος, cui contrarius πρηνής, qualis ὕπτιος aut ſupinus apud Clement. Alex. Pædagogi lib. iii. & l. Senecam lib. ii. De benef. At ὑψαύχην eſt elatæ ceruicis vt equi ὑψαύχενες. Gloſſæ ὕπτιος. *Supinus, reſupinus.* ὑψαύχην ceruice recta eſt: ὕπτιος ſiue *ſupinus*, reclini. vnde & Græci loquelariter otioſos ſiue ἀπράκτους vocant ὑπτίους. Artemidor.

c. lxxiii. lib. ii. p. 88. Differunt ὕπτιος, *ſupinus* ὑψαύχην *elatus* ῥυσαύχην *obſtipus*, &c.

Sed quare ſupini ædiles municipales magis quàm vrbani, ſiue honore Italo ſuperbientes magis quàm Romano? Dico. Municipales illi magiſtratus quaſi conſules, ſiue ædiles illi quaſi Coſſ. municipales. Ædilitatus itaq. in municipiis & magiſtratus & honor fuit, propriéque nunc Perſius *honore Italo* dixit: at Romæ non fuit ædilitas propriè honor, ſed magiſtratus tantùm, & primus ad honores nempe præturam, & Conſulatum adſcenſus. Cicero iij. de legib. Ergo neque excuſati à tutelis ædiles Romæ l. xvij. §. iv. D. de excuſat. tut. in municipiis autem excuſati l. vj. §. xvi. D. eod. Sic ædiles Arpini, Tullij epiſt. xj. lib. xiii. ad famil. Et Vlubris. Iuuenal. Sat. x. Et in municipio l. xxx. §. Ædilis. D. locati. Sic & ij viri, & iv viri, & Prætores, & Dictatores in municipiis quaſi Coſſ.

Hinc ergo & faſces ac ſecures his Italo ſic honore ſupinis, ſiue magiſtratus municipales. *cum poteſtate faſcium.* vt loquitur liij. C. De decur. Male in Electis c. xxiii. lib. j. negant ij viris faſces fuiſſe. Neq. facit eis Apuleius Mileſiis lib. j. vbi ædilis Hypatenſis cum virgis; nam virgæ ibi faſces virgarum. Neq. Tullij locus Agraria ii. iuuat. Nam oratoriè Tullius id exagitans tribuit ſuperbiæ Campanæ. Neque adiuuat electa illa Petronij locus. Miraculo enim ibi, non quod viro Auguſtali faſces, ſed faſcium ſpecies noua & inſolens, deſinentium in embola nauis ahenea.

FREGERIT HEMINAS ... INIQVAS.

Sic, *menſuras iniquas frangere* l. xiii. §. iix. D. Locati. *Vaſa minora frangere.* Eodemq. facit Calliſtratus l. xii. De decurionib. Iuuenal. Sat. x. *Iniuſta pondera frangere.* D. Gregor. epiſt. xlij. lib. j. μέτρα σίτου ἢ οἴνου κολοβά. Legib. agrar. c. De damno.

ARRETI ÆDILIS.

Munus enim hoc ædilium d. l. xiii. §. iix. l. xii. De peric. rei vend. l. xii. De decur. D. Plaut. Rud. Sc. iix. Cenſet V. C. Cuiacius Obſeru. xxix. lib. xxvii. eoſdem eſſe *epiſcopos*, apud Cariſium l. vlt. §. i. De muner. & honor: Sed propius intuenti pateſcet, ſeparatum ab ædilitio eſſe epiſcoporum munus in ciuitatib. Sic neq. iure Attico ijdem ſunt prorſus *aſtynomi*, *agoranomi* & *metronomi* illi de quib. Suidas.

QVIQ. NVMEROS.

Aut & riſor arithmeticorum ſiue numerariorum. Gloſſæ. Ἀριθμητής. *Numerarius.*

ABACO.

Quæ tabula Horatio epiſt. j. ad Mæcen. Abacus & numerariis & Geometris. Numerariis vt Marciani Felicis principio lib. vii. Geographis vt eiuſdem principio. lib. vi. Vbi & *abaci menſulam* penicillo ſuo Africano pingit.

ET SECTO IN PVLVERE METAS.

Aut & riſor Geometrarum. Abacus communi vſu & *numerariis* &

Geometris: at puluis & radius proprius Geometrarum, ſignificantérque *ſectum puluerem*, & *metas* Perſius dixit, vt Marcianus Felix lib. vj *vel lineares ductus, vel circulares flexus, vel triangulares abradere amfractus.* &c. Nam ſectione linearum abradi ſemper aliquid neceſſe in puluere abaci. Et ſignificanter, *abradere*. Non enim extima figurarum, ſed angulos & iuncturas propriè ſpectat Geometres. At illud Marciano communiter dictum ibi, *abaci ſuperfuſum puluerem mouere.* Contra, *puluerem ſoluere*, L. Seneca epiſt. cxxiv. Neque non tamen etiam numerarij puluere interdum vſi. Itaq. Tertyllianus c. vlt. De pallio dixit *numerorum arenarios*. Geometræ ſemper & puluere: numerarij etiam aliqui ſine puluere, vt *calculatores.*

SI CYNICO BARBAM VELLAT.

Barbam vellere, atrox iniuria, ſiue contumelia, vt Sat. ſequente, & Horatij Sat. iij. lib. j.

Cynici autem ſectæ ſiue gentis ſuæ ritu barbati, vt A. Gellij c. ij. lib. ix. *Cynicus æruſcator, barba prope ad pubem vſque porrecta.* L. Martial. epigr. xxcj. lib. xiv.

PETVLANS NONARIA.

Lais meretrix. Tangit narratiunculam de Laïde, quæ in iurgio barbam Diogeni cynico peruellit. Rem ita Sidonius Apollinaris in epithalamio Polemij perſtringit, narrans togæ palmatæ argumentum.

Commutat commota manus, ac pollice docto
Pingere philoſophi victricem liuida cœpit,
Quæ cynici per menta feri, rugoſáque colla,
Rupit odoratam redolenti forpice barbam.

Lege, *victricem Laida*, vt benè libri de meliore nota. Veteres in hunc Perſij locum gloſſæ. Quod, inquiunt, de Diogene cynico philoſopho dicitur & Laide meretrice, vel Thaide. Narrant gloſſæ illæ de Diogene: ſed verius forte eſt de Cratete cynico de quo Laërtius. Τὰς πόρνας ἐπίτηδες ἐλοιδόρει, συγγυμνάζων ἑαυτὸν πρὸς τὰς βλασφημίας. *Nonarijs vltro conuiciabatur, vt inſuſceret ſeipſe pati conuicia.*

Admonent & gloſſæ illæ meretrices dici *nonarias*, quod à nona proſtarent. Sic meretrix *nonaria* eſt ſcriptori neſcio cui de diſciplina ſcholarium qui putatur Seuerinus Boëtius c. ij. lib. j. Meretrices ſcilicet *noctibus conceſſæ.* Fabius Declamat. xiv. Hinc fornicis lucernæ, & fuligo, vt M. Senecæ Controuerſ. ij. lib. j. Horatij Sat. vii. lib. ii. Iuuenal. Sat. vj. Martial. epigr. cv. lib. xi. Auctor obſcœnus. alij.

HIS MANE EDICTVM.

Hos tales auditores à ſatyris ego meis ablego ad Neronis edictum, vocantis popellum, & pollicentis cantaturum ſe Callirhoen.

Edictum libellus propoſitus. Vt Cur. Fortunatianus Rhetor. ſchol. lib. j. *Edictum* interpretatus *libellum propoſitum*. Propoſitum nempe ad columnas, vt rectè vetus interpres Horatij, qui & *Pittacium* vocat, vt & l. xxix. C. Theodoſ. De petit. & vltro dat. Aliter πιττάκιον pro in-

ſcriptione tabellæ pictæ, Laërtij Cratete. Sic *edictum ludorum* L. Senecæ epiſt. xcxiix. Et *edictum muneris gladiatorij*, lib. de breuitate vitæ. Idem *programma*. Volcat. Gallicanus. in Caſſio. *Programma in parietib. fixit*. Et *caſtale programma* epiſtolis Caſſiodori. Lucianus Hermotimo. Πιττάκιον τι ἐκρέματο ὑπὲρ τοῦ πυλῶνος, μεγάλοις γράμμασι λέγον· Τήμερον οὐ συμφιλοσοφεῖν. *Pittacium quoddam ſuſpenſum in veſtibulo auditorij maiuſculis literis, inquiens. Hodie non philoſophor in auditorio.* Alia omnia Pſeudocornutus, ſed & à Perſij ſenſu aliena. Necnon inuentus qui ſic interpretaretur. His ego mane do ſiue mando edictum Prætoris, ſiue forum, lites, negocia; à prandio Callirhoen ſcortum ſiue vitam voluptariam. Sed non poteſt ad Perſij ſcopum *collineare* talis interpretatio ſiue quemadmodum noſtri rure loquuntur, *collimare*. Tota enim hæc Satyra Neronem ſibi tanquam ſcopum, ſiue, vt locuti olim, *petiuolum* propoſitum habet. Hinc ſi quis exerrat, non Perſij ſenſa, ſed cucurbitas pingit.

SATYRA II.

DE rectitudine votorum, hæc Satyra eſt.

Triplex autem votorum genus reprehenditur. Primum *nefandum*, vt ô ſi ebullet. &c. alterum, *ſtultum* vt

—— *& ô ſi*

Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria ——

tertium, *inutile*, quia precator ipſe culpa ſua eiuſcemodi votis obex & remora eſt. vt. *Poſcis opem neruis*. &c.

Gemina huic vernana eſt Iuuenal. Sat. x.

HVNC MACRINE DIEM.

In ſermonem de votis ingreditur per occaſionem diei natalis. Non intellexêre hanc occaſionem diobolares RVLLI. Die natali ſacra & vota ſoliti facere Genio ſuo. Itaque Tibullus eleg. ii. lib. ii. agens de Cherinthi natalitio die, & Genio, inquit

Annuat & Cherinthe tibi quodcunq. rogabis.

Et quæ deinceps omnia enim ad hunc ritum faciunt. Hunc ritum adluſit & lib. iv.

Magne Geni, cape thura libens, votiſq. faueto.

Et alia deinceps. Melius autem forte an libri veteres Douſæ.

Alme Geni ——————

Sic & apud Propert. eleg. iix. lib. iij. in deſcriptione diei natalis.

Surge, & poſcentes iuſta, precare Deos. Et mox.

Et pete qua polles vt ſit tibi forma perennis.

Ouid. eleg. xiij. Triſt. lib. iii. & ipſe die ſuo natali.

Concipiámq. bonas ore fauente preces? Et alia inibi. Sic & vota natali vxoris die, operis eiuſdem eleg. v. lib. v. Eodem & Apuleij facit epigramma die natali miſſum ad Critiam, Apologia i. Hac itaque e mente & Perſius ipſe poſt paullò

———non tu prece poſcis emaci.

NVMERA MELIORE LAPILLO.

Hunc diem qui natalis tibi eſt, lætum ac feſtum age. Ex Thraciæ autem hoc gentis ritu, quæ candidis & atris lapillis ſolita numerare, ac diſtinguere dies lætos à triſtibus. apud Plin. c. xl. lib. vii. Narrat quoque Phylarchus apud Suidam in λευκὴ ἡμέρα, & anterior illo Zenobius, ſiue ex Zenobio Suidas. ex eaq. comparatione intelligi poteſt, nomen Scytharum, quod apud Zenobium exſtat, male prætermiſſum in Suida. Zenobius nempe Scytharum eſſe hunc ritum ait. Turbide autem quoq. Suidas inibi miſcet prouerbia duo vnum λευκὴ ἡμέρα hinc *Dies candida*: alterum ἡ ἐκ τῆς φαρέτρας ἡμέρα. *Dies ex pharetra.* Tertium Zenobius adpingit. Τὰς ἐν τῇ φαρέτρᾳ ψηφῖδας. *Calculos in pharetra.* Sed ineptè hoc vt alia pleraq. ille παροιμιοπλάστης. Tolerabilior Suidas. Intelligi enim poteſt hoc velle, ex prouerbio illo, *Dies de pharetra*, natum eſſe alterum. *Dies candida.* Adagium ſcilicet adagium peperit, vt Amphitryonis Plautini *patera pateram.* Adluſit Martial. ritum illum epigr. xxxiv. lib. xii.

Et ſi calculus omnis huc & illuc
Diuerſus bicolórque digeratur;
Vincet candida turba nigriorem.

Idémq. mos & in iudiciis olim, & ſuffragiis: Ouid. principio lib. xv.

Mos erat antiquus, niueis atriſq. lapillis,
His damnare reos, illis abſoluere culpa.

Quem autem Plinius Thracum genti, hunc gloſſæ in hunc locum veteres, referunt ad Cretenſes, non alio fretæ, vt equidem ſuſpicor, auctore, quàm Horatij verſu illo ex Oda xxxvi. lib. j.

Creſſa ne careat pulchra dies nota

Creſſam Horatius Cretenſem accipit, non quia Creticæ genti mos ille, ſed quia cretæ terræ candidę nomen à Creta inſula. Iſidor. cap. i. lib. xvi. *Creta*, inquit, *ab inſula Creta vbi melior eſt.* &c. Hinc itaque Creſſa nota, inſtar cretæ terræ candida.

Blenni hercle illi qui *Threſſam* ibi *notam* repoſuêre. Nam Threſſa quidem ſiue Thracia nota & cãdida & nigra, vt apud Plinium loco prędicto. At Horatius candidam vult intelligi notam. Atque vt oda illa Creſſam notam dixit pro candida: ſimiliter Sat. iii. lib. ii. *Creta notare*, dixit pro candidam rei notam adponere.

———creta an carbone notandi. Siue, candida nota an nigra. Et imitatus Flaccum Perſius Sat. v.

Illa prius creta, mox hac carbone notaſti.

Lætæ rei candida nota: triſti nigra conuenit, vt enim Pythagoræ mos

dicendi

dicendi olim apud Laërt. τὸ μὲν λευκὸν τῆς ἀγαθοῦ φύσεως. τὸ δὲ μέλαν τοῦ κακοῦ *Candidum eſt in rebus natura bonis: nigrum in malis.*

Candidus itaq. lapillus paſſim apud ſcriptores nota rei aut temporis læti. Plinius epiſt. xj. lib. vj. *O diem lætum, notandúmq. mihi candidiſſimo calculo.* Martial. autem ita ſpiſſè, vt ingerere identidem velle videatur. Epigr. liij. lib. ix.

> *Felix vtraq. lux, diéſque nobis*
> *Signandus melioritb. lapillis.*

Epigr. xlv. lib. iix.

> ——— *hanc lucem lactea gemma notet.*

Epigr. xxxvj. lib. xj.

> *Cuius hanc lucem gemma mihi Iulius alba*
> *Signat* ———

Epigr. xxxiix. lib. x.

> *O nox omnis & hora qua notata eſt*
> *Caris littoris Indici lapillis.*

Papin. Silua vj. lib. iv.

> *Nox & Erythrais Thetidis ſignanda lapillis.*

Sidon. Panegyr. iii.

Fvnde mervm.

Κυαθιλεξία in ſacris, *fundere*, cui contrarium *Inuergere*, ſiue vergere. L. Seru. ad vj. Æneid. Libationes in menſas antequam tollerentur, Genio fieri ſolitas quotidie, & de cauſis cur ita fierent, Philonides medicus, Theophraſtus, & Philochorus, explicant apud Athenæum lib. xv. Et Diodor. Sicul. lib. iv. Menſáſque omnes, Geniis ſacras fuiſſe liquet, apud Feſtum in Menſæ. Sed propriiſſima huiuſce loci, ridicula meri fuſio in caput Genij Dei. Solennis enim hæc fuſio ſiue libatio die natali. Vnde illud Tibulli eleg. iv. lib. ij. de Sacro Genij die natalitio,

> *Atque ſatur libo ſit madeátq. mero.*

Et eleg. iix. lib. j. ——— *Geniumq. choreis*

> *Concelebra, & multo tempora funde mero.*

Sic & Pani deo ſiue Siluano ruricſtres lacte caput perfudêre, Tibull. eleg. lib. ii.

> *Lacte madens illic ſuberat Pan ilicis vmbræ.*

Et paſtores Palem Deam. Idem eleg. j. lib. j.

> *Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.*

Nempe vt lac Pani Deo, aut Pali Deæ, ſic vinum Genio Deo conueniens. vt l. xij. c. Theodoſ. De pagan. ſacrif. & templ. *Vel ſecretiore piaculo larem ignem erogenium, penates nidore veneratus accendat lumina, imponat tura, ſerta ſuſpendat.* Reſcribe. *Vel ſecretiore piaculo, larem igne, mero Genium, penates nidore veneratus*, &c. Horat. ad Piſones

> ——— *vinoque diurno*

Placari Genius ——— Vino genius placatur non victimis. L. Cenſorin. Procemio lib. de die natali. Non placatur inquam victimis, extra quam porco, quia idem eſt Genius & Lar familiaris ſiue Grundilis. Vt Horatij Oda xxiii. lib. iii. Sat. iii. lib. ii. Cenſorini iii. Arnob. lib. j. Marcell. in *Grundiles*. (Nam ſic legendum eſt) & Diomedis c. iv. lib. j.

Trina autem, opinor, Genio Deo meri vini libatiq. Nam & Iunoni natalitiæ trina. Tibull. eleg. iii. lib. iv.

Ter tibi ſit libo, ter Dea caſta mero.

Significanter autem Satyricus hic non vinum ſed merum dixit. Nec enim purum ſacris vinum niſi merum, ſiue non factum aqua. Nam id Spurcum vinum & ſacris adhibere non licet. Feſtus in *Spurcum*. Ergo nec Græcum vinum purum ſiue idoneũ ſacris, quod factum eſſet aqua marina. Plin. c. xix. lib. xiv.

Hinc itaque crebra Poetis meri mentio in ſacris, aut vini puri.

Differt vinum merum & purum. Merum ſine aqua: purum aptum ſacris. Vt enim purum eſſet vinum ſat non fuit merum eſſe, Aliæ multæ notæ vini puri, vt non eſſe de vitibus imputatis aut ſemiputatis, aut de cælo tactis, aut his iuxta quas homo ſuſpenſus, ſiue ſuſpendioſus. non eſſe vulneratis & cruentis pedibus calcatum. Non aliter quàm circumciſis vinaceis profluxiſſe. Non pollutum ſupernè deciduo aliquo inmundiore lapſu. Plinius, loco antedicto. Virgil. Ecl. ij. in eámq. Seruius, Plutarchus in Numa. Item, non defrutum, non igne factum, non muſtum. Antiſt. Labeo apud Feſtum in *Spurcum*.

Bene fluebat nobis hæc aqua, Cum ecce interuenit neſcio quis cleplydrum qui euertere vellet, contraque pertendens negaret, opus fuiſſe porcum excipere, cum ex Cenſorino dicerem nullis Genium placari ſolitum victimis. Quippe Cenſorinum de die ac munere natali agere, eo que die à victimis Genio *eſuriales ferias* fuiſſe ſcilicet, ceteris diebus ei licitum de extis tuburcinari. Quid ita? Quia, inquit, ex Cenſorino liquet nefas viſum, die natali ſuo, & quo ipſi vitam accepiſſent, vitam adimere. Cur ergo, inquam ego, nuſquam quicquam aliud victimarum Genio dieb. ceteris, quàm porcus? An quia naturæ Deus Genius eſt, *omnemque rerum genendarum vim obtinet*, (male apud Feſtum legitur, *gerendarum*) idcirco non debet animantium vitas ligurire velle: quia ὀρθῶς δοθέντων οὐκ ἔστιν ἀφαίρεσις, vt ait Plato. Conceſſum tamen ei de porco epulari, ne pro Iudæo eſſe videretur? Sed iocari hoc quidem eſt. Serio, & natali cuiuſque die, & ceteris, porcus ei victima, quia præter cetera geniale hoc animal. *Non alio*, inquit C. Plinius c. lj. lib. iix. *ex animali numeroſior materia ganea. Quinquaginta perè ſapores, cum ceteris ſinguli. Hinc cenſoriarum legum paginæ.* &c. Neq. iniucunda de his ex domeſtica ſue ſaporibus narratiuncula Plutarchi in T. Flaminino. Sic itaque non peſſimè ad palati ſenſum, & curationem ſuam philoſophatus Genius, ſuem ſibi excepit, cui vni

omnium animanti & daret vitam & adimeret. Neque vllum nefas putauêre *hodie nati*, ſuem die illo ſacrificare Genio ſuo, ne ſi pane & vino aut ad ſummum *ex pulte fritillis* contenti, nihil de extis tubuicinarentur, fierent quaſi Panuitij. Sed quid ego hæc tam ſeria pergo exſequi, & argumentari, natali die ſic eos quaſi *curtis Iudæis oppedere* vellent, ſolitos ſacrificare? De Genio autem & Lare, duplici vnius Dei numine, iam dixi quæ vellem.

His niſi xj. notis præditum vinum, ſpurcum neque aptum ſacris

GENIO.

Solennia ſine quotannis ſacra Genio, die natali. Cenſorinus c. iij. De die natali. *Genio potiſſimum per omnem ætatem quotannis ſacrificamus*, &c. Sic Genio die natali ſacra apud Tibullum eleg. ir. lib. ij.

Ipſe ſuos Genius adſit viſurus honores. j. Sacrificia.

Et eleg. iix. lib. j.

Sic venias ho lierne. Tibi dem turis honores.

Et lib. iv. *Alme Geni.* &c.———

Propert. eleg. iix. lib. iii. Ouid. eleg. xiii. lib. iii. eleg. v. lib. v. Triſtium. Plinius c. iix. lib. xiix

NON TV PRECE POSCIS EMACI.

Audaciter facis vota tua, ſiue certa ſpe fore vt impetres. Non enim eſt ὁσιότης tua quaſi ἐμπορική τέχνη, Ars mercatoria, qualis eorũ qui opes à Diis aut honores petunt. Plato in Euryphrone, huiuſmodi ὁσιότητα eſſe quaſi ἐμπορικήν τέχνην θεοῖς καὶ ἀνθρώποις παρ᾽ ἀλλήλων. Tale ſiue ſic petentium religionem, eſſe quaſi nundinationem mutuam inter Deos & homines. Eiuſmodi vota & preces apud Petronium. *Statim antequam limen Capitolij tangant, alius, donum promittit, ſi propinquum diuitem extulerit: alius, ſi theſaurum effoderit: alius, ſi ad trecenties* H S. *ſaluus peruenerit*, &c. Sic Paullus Samoſatenſis hæreticus apud Euſebium Eccleſiaſticæ hiſtoriæ c. xxx. lib. vii. Et Niceph. c. xxx. lib. v. vituperatus quod eſſet πορισμὸν ἡγούμενος τὴν θεοσέβειαν. *Religionem autumans artẽ quæſtuariam.* Quod & Sigebertus in Chronicis notauit ad annum Chriſti CIↃ. LXXIV. *De Montanis*, inquit, *hæreticis Euſebius dixit. Sub nomine oblationis, artificioſius munera accipiunt. Poſcere* autem dictum à Perſio ſignificanter, ita ſcilicet petere vt ſi mices ſiue licitere in auctione. vt Plauti Sticho Sc. ij. *Qui cœnam poſcit, ecqui poſcit prandio?* Et Mercat. Sc. iv. *Comnolius poſcit pater.* Et mox. *Quinquaginta poſcit.* Sc. minis. Hoc eſt, *Quinquaginta minis licetur.*

QVÆ NISI SEDVCTIS.

Sapienter itaq. Pythagoras & qui à Pythagora, in præceptis dedêre, vocales preces oportere eſſe, μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι. Clemens Alexandrin. Strom. lib. iv. τί τοίνυν οἱ πυθαγόρειοι βουλόμενοι, μετὰ φωνῆς εὔχεσθαι κελεύουσιν; ἐμοὶ δοκεῖ, οὐχ ὅτι τὸ θεῖον ὤοντο μὴ δύνασθαι τῆς ἀφώνου φθεγγομένης ἐπαΐειν, ἀλλ᾽ ὅτι δικαίας ἐβούλοντο εἶναι τὰς εὐχάς

ἄς ἐκ αὐτῆς αἰδεσθείη ποιεῖσθαι, πολλῶν συνειδότων. &c. *Ergo quid Pythagorei v. lunt præcipientes clara voce precari? Meo quidem animo illi hoc, non quod putarent Deos exaudire non poſſe, ſi quid tacite precemur: ſed quia voluere iuſtas hominum eſſe preces, & quas non vererentur facere, multis arbitris ſiue conſcijs.* Male codices Clementis omnes carent nota interrogationis poſt illud κελεύουσιν. Sic & Macrobius Saturn. c. vij. lib. j. *Præceptum*, inquit, *eſt philoſophiæ. Sic loquendum eſſe cum hominibus, tanquam Dij audiant: ſic loquendum cum Dijs, tanquam homines audiant. Cuius ſecunda pars ſancit, ne quid à Dijs petamus, quod velle nos, indecorum ſit hominib. confiteri.*

AT BONA PARS PROCERVM.

At pleriq. omnes principes ciuitatis, alia in votis habent, nempe abſurda, & quæ palam, vel audiente aliquo, petere non auderent.

TACITA ACERRA.

Ex qua libat tacens ſiue non faciens vota propalam, quia turpia. vt apud Catull. epith. Pelei Ariadna pro Theſeo.

——Tacito ſuſpendit vota labello.

Quia ſuſpendere palam pudet, virginem pro viro. Et Horatij nequam ille in ſpecie viri boni, Deos orans,

Labra mouet metuens audiri————

Sic L. Seneca c. ij. lib. j. de benefic. *Tacitè & intra ſe precari*, dixit. Et Martial. epigr. xl. lib. j. *Arcano ore Deos rogare*, res nempe quas effari pudet.

Tacita itaq. acerra metonymicè. Ex qua libat tacens. vt Æneid. iv.

————totúmq. pererrat

Luminib. tacitis—— Et Æneide xij.

Inceſſu tacito progreſſus.——

Impropriè autem proceribus adtribuit acerram. De acerra enim pauperes ſoliti libare paucula turis grana trib. digitis: diuites autem thus lance plena effundere in aram. Ouid. Ponti eleg. iix. lib. iv.

Nec quæ de parua pauper Dijs libat acerra

Tura, minus grandi quam data lance valent.

Sic *Lances turis* diuitum lib. eiuſdem eleg. ix. & Propert. eleg. iix. lib. ij. Et Perſio fine huius Satyræ.

Interpretare itaque acerra & diuites ded[illegible] thus ſed plena, ſiue ex acerra thus profudiſſe in ignem. Martial. epigr. xlv. lib. iv.

Hæc tibi pro nato plena dat lætus acerra

Phœbe, palatinus munera Parthenius.

Pauperes *dant, imponunt, ferunt, inijciunt* tura: diuites *ingerunt*, plenis nempe acerris aut lancibus. Vt Æneide v. Et Horat. Oda iix. lib. iij. Arnobij lib. iv. Sic tura aris ingerere Plinius dixit c. xiv. lib. xij. Et Herodianus lib. iij. Λιβάνῳ τοὺς βωμοὺς σωρεύειν. Sic Datis Darij regis ſatrapes trecentas turis libras in aram Apollinis ingerit, Herodoti lib. vj. Hinc & turis acerui. Tibulli lib. iv. Martial. epigr. liij. lib. vij.

Pauperes libabant grana turis, ſiue micas, ſiue globulos. Plaut. Patrui Sc. iv. Ouid. iv. Faſtor. Eleg. xij. lib. iii. Triſt. Tertyll. Apolog. Plin. c. xiix. lib. xij. Arnob. lib. vij.

Grana illa prehenſa trib. digitis. Porphyrius lib. iii. περὶ ἀποχ. ἐμψ. Lactant. c. xiix. lib. v. Ouid. ij. Faſtor. Quanquam *duob. digitis.* D. Hieronym. dixit. epiſt. ad Heliódor.

APERTO VIVERE VOTO.

Athenodor. apud L. Senecam epiſt. x. *Tunc ſcito eſſe te omnib. cupiditatibus ſolutum cum eo perueneris, vt nihil Deum roges, niſi quod rogare poſſis palam.* L. idem cap. xxxiix. lib. vj. de benefic. Martial. epigr. xl. lib. j.

Si quis erit recti cuſtos, imitator honeſti,
Et nihil arcano qui roget ore Deos. Sic *aperti* & clandeſtini voti à Tibullo diſcrimen exprimitur eleg. j. lib. ii. in fine. Et tamen auſi notare ibi omnia vota concipi tacitè ſolita. Caſtigatio mirifica. Ná cuiuſmodi vota ergo quæ *nuncupata* apud Feſtum. Et vero exempla quę illi pro[illegible]unt ſunt votorum quæ de reb. amatoriis & erubeſcendis concepta omnia. Ergo nec mirum ſi *tacita* illa.

MENS BONA.

Sollennis hæc voti formula. Mentem petere bonam L. Seneca epiſt. xciv. *Roga bonam mentem, bonam valetudinem animi, deinde corporis.* Petron. *Ac ne bonam quidem mentem aut bonam valetudinem petunt.* Et Iuuenal. Sat. x.

Orandum eſt vt ſit mens ſana in corpore ſano.

Mens ſcilicet Dea culta eis vt mentem haberent bonam. Eaq. de re D. Auguſtinus c. xxj. lib. iv. De Ciuit. Dei.

Mentem verò accipe non tam ſciendi quam volendi quæ recta. In definitione moralium virtutum intelligitur ſemper τὸ βέλεσθαι .i. velle. Andr[illegible]n. Rhod. ad Ariſt. cap. j. lib. v. ad Nicom.

FAMA FIDES.

Ἀπὸ κοινοῦ, Bona fama, bona fides. Aliqua enim & mala fama, & mala fides.

ET VT AVDIAT HOSPES.

Significanter hoſpes, ſiue peregrinus, qui falli poteſt. Sic Horat. epiſt. xvii.

Quare peregrinum, vicinia tota reclamat.

Et Oda vii. lib. ii.

Mire ſagaces falleret hoſpites. Propert. eleg. i. lib. iv.

Hoſpes nempe ſiue peregrinus hic non pro eo qui ciuis non eſt, ſed pro alieno & ignoto. Recteq. hic gloſſæ. *Hoſpes, pro quolibet ignoto.*

ILLA SIBI INTRORSVM.

L. Seneca c. i. lib. ii. De benef. *Tacitè & intra ſe precari.*

INMVRMVRAT.

Alij *murmurat*. Sed Gloſſæ *Inmurmurat*. meliùs *Inmurmurat*, nempe quod Plaut. Aulul. Sc. j. dixit. *Secum murmurat.*

O si.

Seruius profert ad Æneid. vj. & iix.

Ebvlliat.

Huiuſmodi votum Eumolpus ille frugi reprehendit apud Petroniū. *Alius donum promittit ſi propinquum diuitem extulerit*. &c. Stringit huiuſmodi vota & L. Seneca c. xxxiix. lib. vj. de benefic.

Ebulliat autem κατὰ συνίζησιν ſiue συναίρεσιν vt *ſemiuncia*. Sat. v. rectiùs quàm nunc eſt *ſemuncia*. Et *Sepelij* Sat. iij. non vt eſt

Sepeli ——— *Iampridem nunc ſepelij*.

Neque tamen exertauêre multum, ſcribentes Ebullet. Nec enim ebullire tantùm, ſed & ebullare rectum eſt. Tertull. lib. j. de Pallio cap. ij. *Fontium venæ ebullando, & luminum viæ obumbrando*. Legunt aliqui, ô *ſi ebullit*, pro ebullierit. Sed ſalua Latinitas. *O ſi ebullierit?*

Funus autem ebullire dixit, quia pompa funebris quaſi ebullit ex domo funeſta. Sic & veteres gloſſæ hunc locum accipiunt.

Patrvi fvnvs.

Cur patrui magis quàm aui? Quia moleſti patrui, cenſorio ſupercilio. Dixi ad Sat. j. Tangit autem eiuſmodi votum quoque Eumolpus Petronij.

Præclarvm.

Dilogia. Præclarum, expetendum heredi: vel præclarum funalibus, à quibus & nomen funeris. Maro Æneide penult.

Funereas rapuere faces, lucet via longo
Ordine flamarum. ———

Svb rastro crepet mihi.

Ridet huius item ſortis vota Eumolpus Petronij: *Alius donum promittit ſi theſaurum effoderit.*

Argenti seria.

In ſeriis & ollis theſauri. Interpres Ariſtoph. in Aues. ἐν ὑδρίαις ἔκειντο οἱ θησαυροί. *In hidriis repoſiti theſauri.* Hieronymus epiſt. xxxix. *In teſtaceis vaſculis theſaurus ſæpe reconditur.* Referens ſe cogitatione ad illud D. Paulli ad Corinth. ij. c. iv. θησαυρὸς ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσι. *Theſaurus in teſtaceis vaſculis.* Sic in Querulo, *Theſaurus in vrna defoſſus.* Et Horatij Sat. vii. lib. ij. *Vrna argenti.* Hinc & Ciceronianum illud ſpecie prouerbij, *Ollam denariorum implere.* Ex eodem ritu & nomina comœdiis, vt Plauti, Næuij, Laberij, Queruli, aliorum, *Aulularia*. Et Epicharmi Χύτρα. Iulij Polluc. lib. ix c. *De talento.*

Dextro Hercvle.

Ex Horatij Sat. vj. lib. ij.

O ſi vrnam argenti fors quâ mihi monſtret, vt illi
Theſauro inuento, qui mercenarius agrum
Illum ipſum mercatus arauit diues, amico
Hercule ——— — *Dextro Hercule.* Horatius. *Amico Her-*

cule. Perſius Sat. v. *Ioue dextro.* Propert. eleg. i. lib. ii. *Et Baccho & Apolline dextro.*

Dextro autem *Hercule*, quia vt Mercurius apertis lucris & negociationi præeſt: ſic Hercules opertis lucris ſiue theſauris. Acro & Porphyrio ad Sat. vi. lib. ii. veteres Gloſſæ in hanc Satyram. Quocirca etiã apud Arnobium Hercules ac Mercurius *Dij Lucrij* ſunt. Lib. iv. Sed alia etiam ratione, lucrorum genera duo. vnum *quæſitum* quod generis nomine κέρδος: alterum *oblatum*, idq. peculiari nomine ἕρμαιον à Mercurij nomine, cuius in eo vis diuina excellit, vt Satyra vi. *Sum tibi Mercurius* ——— &c. T. Liuio lib. xxxv. eſt, *ingens oblatum.*

QVEM PROXIMVS HERES.

Cui proximè ſubſtitutus ſum pupillariter. Ita ſubſtituti ſæpe inſidiatores pupillis, & captatores, vt nunc, & Horatij Sat. v. lib. ii. Ergo & aduerſus tales ſubſtitutos cautela Iuſtiniani eſt, §. *Sin autem.* Inſtit. De pupil. ſubſt.

IMPELLO.

Vt in ordine ſubſtitutionis, aut turba heredum ſecundorum.

EXPVNGAM.

Expungam quaſi teſtator ex tabulis teſtamenti, verſu ſecundo, vt Horatij Sat. v. lib. ij. Pſeudocornutus hæc transfert ex re militari, fruſtra ille. Nam expungere aut diſpungere ſolitus teſtator in tabulis teſtamenti, diſpungere ſi mutat aliquid, expungere ſi delet. Hinc formula teſtatoris, l. j. §. j. D. De his quæ in teſtam. del. *Lituras, inductiones, ſuperinductiones ipſe feci.* Similiter Iulianus l. xx. De teſtam. mil. Et in teſtamento D. Remigij, & teſtamento Bertochranni Cenomanenſium epiſcopi, apud clariſſ. virum Barnab. Briſſon. in Formulis lib. vii. Benè Prudentius in Hamartigenia. *Sunt animis etiam, ſua nubila, craſſus & aër.* &c. Ni ita eſſet, quî potuiſſet venire nonnullis in mentem, hic commentari de expuncto manipulo, aut expuncta ratione, cum dixerit Perſius, ——— *quem proximus heres impello?* ſatis arguens ſe vti velle metaphoris ex iure ciuili.

NAMQ. EST SCABIOSVS.

Ergo & dignus expungi, vel propter contagionem. Contagioſus morbus ſcabies. Auſonius de ſcabie Poetica in præfatione Griphi. *Cuius, inquit, morbi quoniam facile contagium eſt, vtinam ad te quoq. prurigo commigret.* Virgil. iii. Georg. *Turpis oues tentat ſcabies.* Ariſtotel. Problem. iix. Tom vij. Eademq. Alexander Problem. xlii. lib. ii.

ET ACRI BILE TVMET.

Ex bile ſcabies, ſed atra. Paullus Ægineta c. ij. lib. iv. ἡ ψώρα ἐκ μελαγχολικοῦ χυμοῦ τὴν γένεσιν ἔχει. *Scabies naſcitur ex atra bile.* Item Aëtius, alij. Scribo itaque vt Perſio dictante ipſo

——— ——— *& atra bile tumet.*

Rectéq. interpretantur veteres gloſſæ, *melancholia*, quia legit ſcilicet earum ſcriptor, *Et atra bile tumet.* Sed paratragœdiant hic aliqui nat-

ſerè magis an ridiculè neſcio. Vetant & iraſcuntur cum medicis conciliari Perſium: aiunt aliquam eſſe bilem acrem, neſciunt de ſcabie rectius an hydrope accipiatis Perſium, quia is dixerit, tumet. Pro ſuperi *aues ſquamoſas, piſces pennatos.*

NERIO.

Mutuaticum hoc nomen Perſio ex Horatij Sat. iiij. lib. ii.

Scribe decem Nerio ——— ——— *Scribe Nerio decem,*

videlicet in tabulis expenſi. nempe. Decem Nerio expenſa fero ſiue decies H S.

Locum illum Horatij ſic & Seruius legit ad Æneid. vij. ſed fruſtra eſt, ſcribere, interpretans dare. Horatius enim de Nerio dicere voluit quemadmodum de Græcis Polybius fine lib. vj. παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν ἐὰν τάλαντον μόνον πιστευθῶσιν, ἀντιγραφεῖς ἔχοντες δέκα, καὶ σφραγῖδας τοσαύτας καὶ μάρτυρας διπλασίους, οὐ δύνανται τηρεῖν τὴν πίστιν. *In Græcia vnum talentum ſi forte creditur, & ſi decem adhibiti antigraphary, & totidem ſigilla. & teſtes duplo tanto, fidem tamen ſeruare neſciunt.*

Ineptit Acro anxiè quærens, Nerius hic, an verò Anerius. Imitatione Perſij patet Nerium eſſe. Neq. rectiùs idem, & Porphyrio, & tertius ille qui nullo ſuo merito vetus interpres vocatur, ex Nerio feneratore & collybiſta, iuris ſtudioſum facere & legiſcrepam.

IAM TERTIA.

Inuidet procer hic Nerio feneratori tertiam vxorem efferenti, cum ſibi etiam prima ſit ſuperſtes. Vota illa Romæ ſceleſtis maritorum, efferre vxores, vt dotem lucrifacerent. Eiuſmodi vota crebra in comœdiis. Tangit & palladas Anthol. lib. ij.

Dos aduentitia viro manebat vxore mortua l. vj. D. De iure dot. Rectéq. hoc ita gloſſæ veteres, vbi, *dos non patrio dictata nomine*, eſt dos non profectitia, ſed aduentitia. Manebat tamen & profectitia dos, ſi mortua vxore pater non exſtaret. l. xix. C. De iure dot. Vlpian. Regul. Tit. vj.

DVCITVR VXOR.

Malè in aliis. *Iam tertia conditur vxor.* Melius in gloſſis, & apud Seru. ad iv. Georg. eſt,

———*Nerio iam tertia ducitur vxor.*

Seruius ibi. & rationem ſubiungit. *Nam*, inquit, *ducere propriè funerum eſt.* Rectè Seruius. Nam ſatyricè Perſius ludere voluit. Ducitur intelligi poteſt vel de nuptiis, vel de funere.

HÆC SANCTE VT POSCAS.

Hæc tam impia vt ſanctè, ſiue piè, ſiue purè, ſiue caſtè, ſiue ritè poſcas, à Ioue in Capitolio. Sequitur enim. *De Ioue quid ſentis?*

MERGIS CAPVT.

Propriè dictum, *mergis*, vt & Iuuenal. Sat. vj.

Ter matutino Tiberi mergetur, & ipſis

Vorticibus

Verticibus, timidum caput abluet.———

Superorum nempe ſacris, ablutio capitis: inferorum ſacris, reſperſio. Seru. ad Æneid. iv. Macrob. Saturn. c. j. lib. iii. Sic λοῦσις κατὰ κεφαλῆς. *Ablutio capitis*, Theophraſti character, c. De ſuperſtit. Apollon. tamen iii. Argonaut. vbi de inferorum ſacris, λοεσσαμένη dixit: & de ſuperorum ſacris Ouid. *irrorare* iv. Faſtor.

Ter caput irrorat ——— Et *ſpargere* lib. eod.

Bis caput intonſum fontana ſpargitur vnda.

MANE.

Operaturus nempe ſacris. Sacrificia Diis ſuperis mane, ſole oriente: inferis veſpere, ſole obeunte. Interpres Apollonij ad i. Argonaut. Τοῖς μὲν οὖν κατοιχομένοις ὡς περὶ ἡλίου δυσμὰς ἐναγίζουσι τοῖς δὲ οὐρανίδαις ὑπὸ τὴν ἕω ἀνατέλλοντος τοῦ ἡλίου. *Diis manibus ſacra faciunt ſole obeũte: cœlitibus antẽ mane, ſole oriente.* Et interpres Pindari in Iſthmia. Oda iv. Ἔθος πρὸς δυσμὰς ἱερουργεῖν τοῖς ἥρωσι, κατὰ τὰς ἀνατολὰς τοῖς θεοῖς. Καὶ συμβολικῶς ἑκάστῳ τὸ τῆς θυσίας πρὸς τι τὴν αὔξησιν καὶ φθορὰν ἑκατέροις ὀφειλομένην. *Ritus fuit, heroibus ſacrificare ad ſolem obeuntem: diis ad orientem, cum ſua ſibi cuiq. propria ſacrificij, nempe illis interitus, his incrementi.* Sic ergo illud capiendum ex Iuuenal. Sat. xii. de Ianua,

Et matutinis operitur feſta lucernis.

Matutinis lucernis, ad ſacra matutina. Neque recte aliter eſt in electis c. iij. lib. j.

BIS TERQ.

Bis aut ter, nam vterque numerus ex ritu ſacrificiorum. Ouid. iv. Faſtor. *Ter caput irrorat*———

Et mox. *Bis caput intonſum*. &c.

ET FLVMINE.

Vt ante, *Tiberino gurgite*. Nam pura, ſiue caſta, non alia quàm viua, id eſt fluminis aut fontis aqua, vt iv. Faſtor.

Et manibus puram fluminis hauſit aquam.

Tibull. eleg. j. lib. ii.

Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Meliùs, *& manib. puram*. Idem eleg. x. lib. i.

———*et puras fluminis iſſe vias.*

Hæc itaq. pura lotio, ſiue hoc purè lauari. Ouid. v. Faſtor.

Cumq. manus purè fontana perluit vnda,
Vertitur.———

Tibull. eleg. iii. lib. i. ———*puréq. lauaris.* T. Liuius lib. xxxix. *Deinde purè lautum*. Ouid. v. Faſtor,

—*& vrna Purus ſuffuſa.* Feſtus in *Purè lautum*.

NOCTEM PVRGAS.

A concubitu ſe purificare, Suetonius dixit Auguſti c. xciv. Propert. eleg. iix. lib. ii.

Ac primum pura ſomnum tibi diſcute lympha.

HEVS AGE.

Hæc tam profana ſi ab homine improbiſſimo peteres, vt iudice Staio, indignè ferret, quid tu Deum cenſes? De *Staio* autem, ſiue C. Staleno M. Cicero in Cluentiana; in Topicis, in Bruto pro Sextio, &c.

MINIMVM EST.

Ironicè vt in impium. Minimum eſt tibi, ſiue leuiſſima quæſtio de Deo.

AN SCILICET HERES?

Ironia. An heres, ſiue dubius es, ecquid iudici tam æquo qualis C. Staienus eſt anteponas Iouem? Tam æquo, id eſt iniquiſſimo & ſacerrumo. Sic & ironicè quod ſequitur. *Quis potior iudex.* &c. De corruptela huiuſce Staieni patet Tullij locis antedictis.

VIS: STAIO?

Staius hic veteribus gloſſis eſt C. Stalenus. Is nempe *Staius* ante quàm Ailiorum genti ſe infereret, & vocari cœptus eſſet, C. Ailius Stalenus. Sed veriùs ille Staienus. Nam Tullius Bruto. *Et C. Staienus,* inquit, *qui ſeipſe adoptauerat, & de Staieno Ailium fecerat.* Sic libri veteres, vt & pro Cluentio, & pro Sextio, & in Topicis. Tullij locus in Bruto relegendus eſt, nempe. *Et C. Staienus, qui ſeipſe adoptauerat, & de Staio, Staienum Ailium fecerat.* &c. Staius ille cum ſe Staienum feciſſet, quaſi adoptauit ſeipſe, vt Cicero ludens dixit. Adoptatis mutabatur nomen. Sic Octauius, Octauianus: Aimilius, Aimilianus: Pomponius, Pomponianus. De hoc ritu Dio lib. xlvj. Appian. lib. iii. de Octauiano agens. Ἀντὶ Ὀκταουίου, inquit, παιδὸς Ὀκταουΐου, Καίσαρ εἶναι, καὶ Καίσαρος υἱός. Repone. Ἀντὶ Ὀκταουίου παιδὸς, Ὀκταουιανὸς Καῖσαρ εἶναι.

Staij nomen Romanum eſt, vt Velleij lib. ii. *Statius Mureus.*

AT SESE NON CLAMAT IVPPITER IPSE?

Malè hic interrogatio. Nam reſpondet impius ille, Sanè Staius ſiue Staienus, quanquam iudex poſcinummus, exclamaret, ſed Iupiter ipſe non exclamat, *O Iupiter*, ſiue non iraſcitur impiis, non punit impios.

IGNOVISSE PVTAS.

Refellit impium illum Perſius. Et, num idcirco inquit Iupiter non exclamat, ſiue tibi non iraſcitur, quia non ſtatim fulmine te, cum omni familia exanimat? Et ſcribe, *Ignouiſſe putas,*

SVLFVRE SACRO.

Sulfur ſacrum, fulmen. Quia fulmen odore ac luce ſulfuris eſt. L. Seneca Natural. Quæſt. c. liij. lib. ii. *Quocunq. decidit fulmen, ibi odorem ſulfuris eſſe certum eſt.* Plin. c. xv. lib. xxxv. *Fulmina & fulgura quoq. ſulfuris odorem habent, & lux ipſa eorum ſulfurea eſt.* Lucret. lib. vj. agens de ſulfure

——*Noteq. graueis halanteis ſulfuris auras.*

Tzetzes hiſtoria clxi. Chiliad. xii.

Θειώδη γὰρ ὁ κεραυνὸς βαρεῖαν ὀδμὴν ἔχει.
Nam ſulfurati fulmen eſt grauiſſimiq. odoris.

Idémq. ibi admonet, fulmen etiam vocari ſulfur.

——— ὁ κεραυνός τι θεῖον.
Eſtq. fulmen ſulfur. Et mox.

Θεῖον δ' αὐτὸν τὸν κεραυνὸν πάλιν καλεῖσθαι νόει.
Itemq. fulmen ſulfuris habere nomen ſcito.

Aliâs ſulfur ſacrum, eſt ſulfur viuum. De quo Plinius c.xii.lib. xxxv. Gloſſæ. *Sulfur viuum*, θεῖον ἄπυρον. Euſtath. in Odyſſ. xxii.

DISCVTITVR.

Sic fulmine diſcuti, Lucret. lib. vj. L. Seneca Natural. Quæſt. c. xl. lib. ii.

FIBRIS OVIVM.

Bidentib. hoſtiis expiabatur locus fulmine ictus. Bidentes autem propriiſſimè oues. Hinc & locus ille expiatus, bidental. Feſtus. Marcellus in *Bidental*.

ERGENNAQ. IVBENTE.

Ergenna fulguratore, ſiue fulguritorum interprete, procurante inſpectis ouium fibris.

IACES LVCIS.

Tanquam ilex fanatica, ſiue fulmine icta in luco iacet.

TRISTE BIDENTAL.

Sic *bidental triſte*, Horatio ad Piſones.

Iaces autem bidental dixit, quia vbi fulmine icta corpora, ibi & ſepeliri ſolita, neq. fas ea transferre. Itaque Numæ Pompilij caſca lex apud Feſtum, in *Occiſum*, vetat fulmine ictos *ſupra genua tolli*, hoc eſt, efferri. Hinc & ſcholica ſiue declamatoria lex Fabij Declam. cclxxiv. *Quo quis loco fulmine ictus fuerit, eodem ſepeliatur.* Artemidorus c. iix. lib. ij. οὐ γὰρ οἱ κεραυνωθέντες μετατίθενται, ἀλλ' ὅπου ἂν ὑπὸ τοῦ πυρὸς καταληφθῶσιν, ἐνταῦθα θάπτονται. *Fulminati non mouentur in alium locum, ſed vbicunq. fulmine occupati, ibi & ſepeliuntur.* Bene Artemidorus θάπτονται. Nam ritus erat fulmine ictos non cremare, ſed obruere terra ſiue humare. Plin. c. liv. lib. ij. *Hominem*, inquit, *fulmine exanimatum cremari fas non eſt, condi terra, religio tradidit.* Tertyllianus: *Qui de cælo tangitur ſaluus eſt, vt nullo igne cinereſcat.*

Neq. omnes tamen humati, ſed nonnulli & ſuper terram, intra bidentalis conſeptum relicti, vt ſpectarentur. Plutarch. Sympoſ. Problem. ij. lib. iv. τῶν ὑπὸ κεραυνοῦ διαφθαρέντων ἄσηπτα τὰ σώματα διαμένει. Πολλοὶ γὰρ οὔτε καίουσιν, οὔτε κατορύττουσιν, ἀλλ' ἐῶσι ἀεί. *Fulmine ictorũ corpora non putiſcunt. Multi enim neq. cremant ea, neq. terra obruunt, ſed ſinunt ita iacere ſapientes locum illũ ſæpimine, vt ſpectaculo ſint mortui illi non putiſcentes.* Iacuere autem veſte amicti candida. Artemidorus loco quem dixi. Λαμπρὰ δὲ ἱμάτια αὐτοῖς περιτίθεται, ὡς ὑπὸ

διὸς τετιμημένους. *Veſtibus amiciuntur candidis, tanquam à Ioue honorati.* Honor enim ille putatus miſeris, qui fulmine icti, tanquam à Ioue tactis. Idem. Οὐδεὶς γὰρ κεραυνωθεὶς ἄτιμός ἐστιν, ὅθεν καὶ ὡς θεὸς τιμᾶται, *Nemo fulguritus, inhonorus eſt: ſed tanquam Deus colitur.* Hinc Fabius eburnus, *pullus Iouis.* Feſtus Arnob. lib. iv.

Humati quidem ergo κεραυνοπλῆγες: ſed funera iuſtáue eis nulla. Itaq; Numæ Pompilij caſca lex quam Feſtus recitat in *Oſcum*. SEI HOMINEM FVLMEN IOBIS OCCISIT SVPRA GENVA NE TOLLITO. HOMO SI FVLMINE OCCISVS ESCIT EI IVSTA FIERI NVLLA OPORTETO. Duplex caput hoc legis. Vnum vetans efferri. Nam hoc eſt ſupra genua tollere: alterum vetans iuſta fieri. Peccat qui corrigit. *em ſupra genua tollito.* Aſt illi planè deuij, qui, *ſupra genua tollere* interpretati, ſupra genua ſiue gremio impoſitum mortui corpus mundare, lauare, vngere. Numa enim vetuit efferri, quo generatim dicto, illud quoq. intelligi poſſet. Itaq. auctor illius interpretamenti eſto ſane incomparabilis, dum alij meliores parabiles. Dixit autem Numa, *ne ſupra genua.* &c. quia voluit fulguritos inibi terra condi, at non modo non in humeris efferri, ſed ne adtolli quidem altiuſcule à terra.

Veteres autem Perſij gloſſæ etiam de humatione fulminatorum diſtinguunt. Nempe hos non vt alios terra defoſſos: ſed in planicie terræ humatos, terra nempe adgeſta.

Hoc amplius etiam lapidem fulminalem ibi terra defoſſum & abſconditum adhibito fulguratore. *Cuius*, inquiunt, *impetratione rei, oues immolabantur.* Meliùs, *in patratione rei.*

EVITANDVMQ.

Euitandum, quia nulli caſto fas inſiſtere, ſiue quia inceſtatur qui bidental intrârit. Lactant. ad Thebaid. x. *Tangi loca vbi fulminati iaceãt non licet.* Et Artemidor. cap. iix. lib. ij. de bidentalibus agens. Οὐδεὶς ἐν αὐτοῖς ἐνδιατρίβειν ἔτι θέλει. *Nullus deinceps verſari in eis vult.* Ergo & ſæpimine, ſæpiebatur bidenta ne quis inſcius fortè ſe inferret atque inceſtaretur. Horat. ad Piſones

——— *An triſte bidental*
Mouerit inceſtus ——— An ſe inceſtarit introitu bidentalis. Plutarch. Sympoſ. Problem. ij. lib. iv. Ἀλλ᾽ ἐῶσι περιφράξαντες. *Sed ſinunt, ſapientes locum illum.* Et Sidonius, carmine ad Felicem, *Septum bidental.* Intra conſæptum illud ara & victimæ. Artemidor. c. iix. lib. ij. notat in bidentalibus τοὺς ἐνιδρυμένους βωμοὺς, καὶ τὰς ἐν αὐτοῖς γινομένας θυσίας. *Dedicatas in eis aras, et procurata inibi ſacra*, nempe piacularia. Sidonius carmine illo.

Nec quæ fulmine Tuſcus expiato
Septum numina quærit ad bidental.

Bene itaq. à Feſto *Bidental* dicitur *templum*, & iniuriâ in eo reprehenſus ille. Etenim planè bidental templum, quippe in quo ara & victimæ,

& conſæptum. Varro lib. iv. De ling. Lat. agens de lacu Curtio. *Locus* inquit, *fulguratus & ex SC. ſeptus.* Sic arbor quæ fulminata eſſet, dicta *fanatica*, quod ſacra inſtar fani eſſet. Feſtus. *Fanatica dicitur arbor fulmine icta.* Aliuſmodi eſt *colliculus ſæpimine conſecratus.* Apuleij Florida j. & fallitur qui locum illum trahit ad fulgurita. Vbi tamen Apuleij manus. *Vel iam & colliculus ſæpimine conſæptus.* σηκῷ σηκασθεὶς Collis nempe conſæptus vbi ſacris operarentur. vt identidem in literis ſacris, Deuteronomij c. xij. Regum iv. c. xvj. & ſeq. Atq. vt Apuleius ibi fagum & colliculum iunxit, ſæpe ita in literis ſacris iuncti montes, colles, & ligna denſa ſiue arbores opacæ. vt locis prædictis & Ieremiæ. c. ij. Ezechielis c. xvj. In ijſque collibus aræ & columnæ. Vt Deuteronomij c. xii. Regum iv. c. xvij. In colliculis nempe illis ſacra Diis ſuperis: vt inferis in ſpelæis ſiue ſpeluncis. res nota ex Æneide vj. item aliis. Sic & Diis ſuperis ſacrificia in altari: inferis verò in ſcrobe. Feſtus in *Altaria.* Lactant. ad Thebaid. iv.

BARBAM STOLIDAM.

Vt Theocriti Ecl. x. & xiv. Theodoretus Sermone iv. Iocus nempe in bardos & ſtolidos. *Barba ſine mente.*

AVT QVIDNAM EST.

Aut quæ merces eſt, qua tu mercede. &c.

QVA TV MERCEDE.

Differit in hunc verſum & ſequentem Lactant. c. ij. lib. vj.

EMERIS AVRICVLAS.

Emeris, votis, quaſi poſcens, & licitans ſiue micans digitis: aut *emeris*, redemeris, corruperis, ſiue corrumpere paratus es, Redimere, corrumpere, vt l. xxix. & xxxiv. D. De iure fiſci.

PVLMONE ET LACTIBVS VNCTIS?

Pinguibuſne extis? Quid propriè lactes tradit Plinius c. xxxvij. lib. xj. Priſcian. lib. vj. & Gloſſæ, & Marcellus.

ECCE AVIA.

Pergit de ſtultis auiarum & nutricularum votis.

INFAMI DIGITO.

Nam res turpiculæ contra faſcinationem valent.

LVSTRALIBVS SALIVIS.

Saliua luſtralis, ſiue piatoria eſt, & valens contra faſcinationes. Plin. c. iv. lib. xxiix. *Si dormiens ſpectetur infans, à nutrice terna adſpui.* meliùs. Deſpui. Acro ad Epodam iix. *Lingua deterſa fronte mulieres amputare ſe infantibus putant faſcinum.* Lego. *auerruncare.*

ANTE.

Ante quàm extra limen efferat, luſtrico nempe die. Luſtrico die infantes per templa circumlati, vt veſtigium eſt Suetonij Caligulæ c. xxv. Ex quo & perſpexeris pueros per Deorum, puellas per Dearum templa circumlatas.

EXPIAT.

Tanquam piatrix, ſiue ſimulatrix, ſaga, expiatrix. De qua Feſtus in *Piatrix*. Ne rectè apud Plaut. Phaſmatis Sc. iij. *Simulatricem* fecêre *ſimulatricem*. Satis refellit Plautus ipſe.

Neque in characteriſtico meliùs eſt c. De ſuperſtitione, vbi Feſtum in *Piatrix* corrigunt *ſimpulatrix*. Apage. Simpulatrix in ſacris licitis, Feſtus in *Simpulum*: ſimulatrix in ſacris propriè magicis, vbi ſimulata plurima. Dixi propriè. Nam aliqua & in aliis ſacris. L. Seruius ad Æneid. ij. & iv. Feſtus in *Ceruaria ouis*. & in *Tauri*. Sidon. carmine ad Fauſtum.

VRENTES OCVLOS.

Faſcinantes. Oculis vrebant ſiue faſcinabant, vt Virgil. Ecl. iij. Heliodor. Æthiop. lib. iij. Plin. c. ij. lib. vij. Plutharch. Sympoſ. Problem. vii. lib. v. Alex. Aphrodiſ. Problem. liii. lib. ii.

Vrunt faſcinantes oculi tanquam ſideratione, de qua Plin. c. xxiv. lib. xvii.

INHIBERE PERITA.

Ne noxij illi oculi puerulo. Faſcinantur oculis cum alij, tum puerculi maxime. Alex. Aphrodiſ. Problem. liii. lib. ii. Plutarch. Sympoſ. Problem. vij. lib. v. Hinc & turpicula res, ſiue faſcinum pueris in collo, vt amuletum. Varro vj. de ling. Lat. Et *Faſcinus Deus infantium cuſtos*. Plin. c. iv. lib. xxiix.

SPEM MACRAM MITTIT.

Mittit in poſſeſſionem camporum Licini, quaſi Prætor. Prætoris eſt mittere in poſſeſſionem, vt T. Liuij lib. xlix. Hinc res ſic poſſeſſa, eſt *pignus prætorium*. Gloſſæ, Πραιτώρωι δίκαιε νέχυρον. *Honorarium ius, vel pignum*: Lego. Πραιτώρειον δίκαιον ἢ ἐνέχυρον. *Honorarium ius, vel pignus*. Vult dici Honorarium aut ius, aut pignus, ſed ius ſæpius honorarium: pignus ſæpius Prætorium.

LICINI IN CAMPOS.

In latifundia Licina. Licini qui Auguſti libertus paternus fuit, vt rectè hunc locum accipiunt Gloſſæ veteres in Iuuenal. Sat. j. De Licino autem illo eſt apud Dionem lib. liv. L. Senecam epiſt. cxx. Horat. ad Piſones. Iuuenal. Sat. j. Gloſſas veteres ad Iuuenal. & in hunc locum Perſij. Licinum autem & Craſſum Perſius nunc copulat, vt & L. Seneca epiſt. cxix. *Quorum nomina cum Craſſo Licinóq; numerantur*. Veteres in hunc Perſij locum gloſſæ vacillant & modo Licinium Craſſum, modo Auguſti libertum accipiunt. Eædem fruſtra ſunt manumiſſionem huius Licini Auguſto tribuentes, nam rectè Dio & gloſſæ in Iuuenal. referunt ad patrem Auguſti Iulium. Neque rectè Dioni eſt Λικίννιος. Fugit longe ratio illos qui accepêre hunc locum de L. Licinio Stolone. Putidius hoc, quàm vt in aciem ſtili incurrere debeat.

HVNC OPTENT GENERVM.

D. Hieronym. epiſt. c.

REX ET REGINA.

Reges & Reginæ, diuites, beati, potentes. Interpres Terent. ad Phorm.

PVELLÆ HVNC RAPIANT.

Sic *Nympharum rapina*, Propert. eleg. xx. lib. j. ſiue Gallus Poeta nympharum rapina. Et apud Plutarch. in Amatorio Bacchis mulier, ſpecioſum adoleſcentem rapit. Neq. enim ſolum *feles* aliquæ *virginariæ*, ſed etiam viro ſæ.

QVICQVID CALCAVER. HIC, ROSA FIAT.

ὑπερβολὴ felicitatis, quemadmodum eleganter veteris Galliæ Poeta ille, de Aruernorum rege aurum ſpargente Bituuio, interprete Poſidonio apud Athenæum lib. iv. ὅτι τὰ ἴχνη τῆς γῆς ἐφ᾽ ἧς ἁρματηλατεῖ, χρυσὸν καὶ εὐεργεσίας ἀνθρώποις φέρει. *Veſtigia terra per quam ille currum agit, aurum & beneficia mortalib. confert.* &c. Magis quoq. huic loco facit illa Nicobuli ad filium peregrinantem fauentia, apud D. Gregorium Nazianzenum his verſiculis.

Πᾶσα μὲν ὑμετέροισιν ἐπίτροχος ἆια πέλοιτο
Ποσσὶν ἐπειγομένοισι, καὶ ἄνθεα καλὰ φύοιτο
Sit pedib properis facile ac perlabile veſtris
Omne ſolum, flores neq. fundere ceſſet amœnos.

HÆC EGO NVTRICI NON MANDO VOTA.

Cum talibus, tam ſtultis votis non mitto ego nutricem ad pueri circumlationem die luſtrico. Nutricum vota & alij tangunt, vt Horat. epiſt. iv. L. Seneca epiſt. lx.

Huiuſmodi nutrix *patrima* propriè Plauti Milite Sc. iix. Vbi incorrectè corrigunt, *patrica* aut patrita. Patrima nutrix liberis: nutrix verò etiam vernis, vt Plauti loco eod. Sic patrimus D. Hieron. epiſt. j.

QVAMVIS TE ALBATA ROGARIT.

Albata die feſto, die pueri luſtrico. die albo, ſiue feſto. Dies feſtus λευκὴ ἡμέρα. vt Philoſtrati Apollonio lib. iv. Alter λευκὴ ἡμέρα, apud Plutarchum in Pericle, non a veſtib. albis, ſed fabis. neq. pro die feſto ſed fauſto. Cuiuſcemodi quoq. λευκὴ ἡμέρα à Thracum calculis candidis vt dixi ad Satyræ huiuſce principium, vt eſt quoq. apud Suidam in ἐπέκλυσεν. Aliter queq. χρυσῆ ἡμέρα Neronis, apud Dionem. Diebus feſtis Romani albati, ſiue in togis candidis. Ouid. j. & ij. Faſtor. Tibull. eleg. vj. lib. j. eleg. j. lib. ij. Idemq. ritus nouæ Romæ vt apud Theophylactum Simocatam Hiſtoriæ Mauritianæ c. x. lib. j.

TVCETAQ. CRASSA.

Craſſo iure, & quaſi glaciali. Arnobius lib. ij. aduerſ. gent. *Et glaciali condicione tuceta.* Meliùs *conditione*, condita ſcilicet iure glaciali,

craſſo & tremulo. Gloſſæ, *Tuccetum* ζωμὸς παχύς. id eſt, *ius craſſum.* Et *Tucca*, χατάχυμα ζωμοῦ.

Magnarum autem deliciarum, tucceta. Itaque Fulgentius in priſco ſermone ſuo, tuccera interpretatus, *eſcas regias*, laudans & illud

——— *Ambroſio redolent tucceta ſapore.* Quemadmodum & Apuleia ſini lib. ij. eſt, *tucetum perquàm ſapidiſſimum.*

Veteres ad Perſium gloſſæ, item gloſſæ Iſidori tucetum vt genus condimenti vulgare & bubulæ, porcinæue carnis accipiunt, mox vt delicioſum. Meliùs Apuleius lib. eodem ſic depingit. *Quæ ſuis dominis parabat viſcum fartim conciſum, & pulpam fruſtatim confectam, cacabum paſcuè iurulentum.* Sic enim lego, non, *in abacum paſcua iurulenta. Cacabum* ibi Apuleius dixit, vt mox, *cibarium vaſculum*, & *ollulam.* Ollæ rotatione & concuſſione vſi ad tucetum. Gloſſæ in Perſium. *Tuceta* dicunt loca *in quibus tunſa carnes.* Fortè meliùs *Tuceta* dicuntur, *in ollis tunſæ carnes.* Pingit tucetum & Arnobius lib. vij. *Tucetum*, inquit, *eſt aruina in exiguas miculas, et ilia minutim inſecta.* Iunxit Arnobius in tuceto *aruinam & ilia*: Apuleius *viſcum et pulpam.* Sed viſcum & pulpa res eadem Iſidor. c. j. lib. xi. Libri Apuleij veteres pro viſcum habent *luſcum.* Fortè an fuerit, *ileum*, quo vſus Marylus apud Seruium ad Eclog. iix. Gloſſæ λαγών *Ile*, *Ileum.*

ADNVERE HIS SVPEROS VETVERE.

Vt Diogenes apud Stobæum Serm. xxxiix. Διογένης, παρὰ μὲν τῶν θεῶν φησίν, ὑγίειαν εὔχονται, πάντα δὲ οἱ πλεῖστοι τ' ἀναντία τῇ ὑγιείᾳ πράττουσι. *Diogenes, à Diis, inquit, valetudinem petunt: plerique autem omnes valetudini contraria faciunt.* Et apud Laërtium, *Iraſcebatur Diogenes illis qui pro valetudine ſua Diis ſacra facerent, & in ſacrificio ipſo contra quam valetudo ferret, cœnitarent.* Sic & Democritus apud Stobæum Serm. xxcvij. & Antonium Meliſſæ Serm. xxxix. Part. j.

ARCESSIS FIBRA.

Sic & Priſcian. c. vi. lib. iix. Meliùs, *accerſis.*

DA FORTVNARE PENATES.

Da hoc mihi vt facias fortunatos ſiue felices. Sic *fortunare* apud T. Liuium lib. xxxiv.

ET GREGIB. FETVM.

Sic petunt à Mercurio in Heſiodi Theogonia.

QVO PESSIME PACTO?

Petis gregem tibi augeri, qui pote, cum ipſe ſtulta ſuccidanearum hoſtiarum ſacrificatione minuas?

TOT IVNICVM.

Refer ad hoſtias ſuccidaneas, de quib. A. Gellius c. vj. lib. iv. Feſtus. Ἐπιθύειν hoc Artemidoro c. xiii. lib. j. Ergo & ſequitur. *Intendit vincere exſtis.* hoſtiis ſuccidaneis.

IN FLAMAS

IN FLAMAS OMENTA.

Priſcus ritus ὠμοθετεῖν, de quo eſt Iliade j. vbi explicat Euſtathius. Interdum autem & ipſum per ſe omentum flamis impoſitum, vt Iuuenal. Sat.xiij. Eiuſmodi magorum ritus apud Geographum lib.xv.& Catull.epigr.in Gellium.

ET OPIMO FARTO.

Gloſſæ legunt, *ferto*. De *ferćto* Feſtus, & gloſſæ ad hunc locum. Sed tam hoc Perſio facit quàm ſiluis delphines. Perſius *opimum fartum* dixit, pro victima opima ſiue altili, & farta. Satyricè fartum pro altili & opimo dixit. Nam propriè quidem amplius fartum eſt quàm altile, vt M.Catonis c.xxcix. & ſeq.de re ruſt. Hoc Tertyll.c.vlt..de Pallio.*coactum alimentum*. Victimas autem fuiſſe altiles patet Varronis c.j.lib.ij. de re ruſt.*Boues*, inquit, *altiles ad publica ſacrificia ſaginati, dicuntur opimi.* Sic & Plutarch. in Aimil. Paullo βοῦς τροφίας dixit, *boues altiles*, pro opimis, & fartis ad ſacrificia. Sic Horatij epiſt.iij. *Paſcitur votiua iuuenca.*

Hæc ita certis certiora cum ſcripſiſſem ego, Rulli ſuperuenêre qui reſcriberent. Rectum eſſe, *ferto, non farto*, & *fertum à Perſio accipi pro quauis re Diis oblata.* &c. Quid hoc mali eſt, ô Strepſiadæ?

Solis putatis eſſe litteras vobis?
Solis licere quicquid eſt libellorum
Intelligere, & putare ceteros blennos?

Atqui putare ſic nolite.&c. Ecce rem. *Fercire* olim, quod deinde *farcire*. Hinc *fercitum*, aut *farcitum*, aut conciſe *ferctum*, & *farctum*, vtque pronunciatio lenior eſſet, *fertum*, & *fartum*. Diſcriminis tamen cauſa, *ferctum* aut *farctum* à ferciendo aut farciendo dicere aliqui maluêre, quoniam à ferendo fertum eſt, quod apud Feſtum ſcribitur tamen, ſed non rectiſſimè, *ferctum*. Ac ferctum quidem à ferciendo antiquè, apud Catonem c.cxxxiv. De re ruſt. apud Perſium verò *caſcarum* vocum minimè aucupem, vſitatius, *farto*. Neque rectè in Gloſſis, *ferto*, vel quia vetus eſt, vel quia concurrit cum *ferto* Feſti; quod nihil huic loco facit, vt ſcripſeram ego. Quocirca etiam rectè M.Varro.c.v.lib.ij. *Boues ad victimas farcire* dixit, non autem *fercire*.

Opimum itaq. *fartum* Perſius dixit Satyricè rem augens, vt ſi dicere vellet, victima plus quàm opima.

Quale autem illud eſt, quod ita reſcripſêre, fertum à Perſio accipi pro quauis re Diis oblata? anne pro pio etiam ſiue maſculo thure, pro farre pio ſiue mola ſalſa, pro donariis, pro id genus aliis ſexcentis?

Pergunt quoq. ϛρατιωτικῶς, & *falſiſſimum, etiam* inquiunt, *illud eſt, altile* aliud eſſe à *farto*.&c. Atqui (libet enim paulliſper quaſi ἀντιϛρατιωτικῶς καὶ παίζειν, καὶ λάπισμα, τῷ λαπίσματι, ὡς ἧλον ἥλῳ ἐκκρούειν.) falſiſſimo falſius eſt, negare aliud eſſe. Etenim altilia ſunt etiam illa quæ quouis modo largiter aluntur: farta vero illa propriè quib. alendis ars quædam acceſſit, qualem dixi à M. Catone tangi c.

xi. lib. i. *Volantia cibis nutribilibus adeſcata, ob adquirendam pinguedinem.* &c.

VINCERE INTENDIT.

Compos fieri pertendit. Gloſſæ *Intendimus* φιλονεικοῦμεν.

DONEC NECQVICQVAM SVSPIRET NVMMVS.

Sperabat nummus ille venturos ſibi collegas, non veniunt, hinc deceptus & exſpes ſuſpirat, ſed *nequicquam* ſiue fruſtra. Poeticè transfert Flaccus hic, domini adfectus in nummum. Melior hæc interpretatio quam illa gloſſographi in hunc locum. aut altera Seruij ad illud j. Georg. *Necquicquam ſeros.* &c. Videlicet, *necquicquam* eſſe *non*, & hoc Perſium velle. Donec non ſuſpiret, ſiue non audiatur & tinniat nummus aliquis reliquus in fundo imo.

IN FVNDO IMO.

Fundo crumenæ, vnde & crumena ipſa, *funda.* vt Macrobij Saturn. c. iv. lib. ii. Gloſſæ Philoxeni *Ventrale* κοιλιόδεσμος, Φουνδα. Eſt enim ventrale faſcia ventri adſtricta, iunctam ſiue nexam habens fundam. *Vn tablier.* Nec rectè in excerpt. *Ventrile.* φουνδαμ. *Ventrale* & *Funda* intereſt. Nihil ibi rectè adſcribitur de σφενδόνῃ.

SI TIBI CRATERAS.

Seruius profert ad Æneid. j. Iſidor. c. v. lib. vlt.

INCVSAQ. PINGVI AVRO DONA.

Impreſſa ſignis aureis, & Æneide v.

Cratera impreſſum ſignis ——————— Et j. Georg.

Lapidem incuſum explicat Seruius, *cudendo aſperatum.* Sic *incuſa auro dona*, aſpera ſignis cudendo impreſſis. At Auſon. epigr. cxxii. non *incuſas* ſed *incluſas* dixit *Clazomenas.*

Pingue aurum, craſſum: ſic paſſim Latinis *pingue.*

SVDES.

Lætitia. vt Sat. iii. *Pater ſudans.*

Sic in Aſpaſiæ verſu apud Athenæum lib. v.

Κἀγὼ ὅπως ἤκουσα χαρᾶς ὑπὸ σῶμα λιπαίνει
Ἱδρῶτι ———————
Hæc ego vt audiui, tota mibi corpore ſudor
Splenduit exſultante animo ——— Bene λιπαίνειν ego, *ſplendere* aut nitere, neque accedo illis qui interpretati ad Athenæum, χλιαίνειν ποιεῖν, aut τήκειν. Nitor ſudoris eſt, vt & olei. Hinc ἱδρὼς λιπαρός. Oppiano ἁλιευτ β.

Ἤδη δ' ἐκ μελέων λιπαρὸς καὶ ἀθέσφατος ἱδρώς. Riſi querentes ſe his verbis à me *incruſtari.*

EXCVTIAS GVTTAS.

Non ſudoris guttas, ſed lacrumas. De gaudij lacrumis Alexander, ſiue Aphrodiſ. ille, ſiue Trallianus, Problem. xxxj. lib. j.

LAETETVR.

Malè in nonnullis, *Lætari.* quod tamen vult retinere non nemo,

verum ſicut puer glaciem.

PRÆTREPIDVM COR.

Suſſiliens gaudio & cupiditate, vt Sat. iij.

HINC ILLVD SVBIIT.

Quia tibi ſic cordi aurum eſt, etiam Diis placere putas, ex tua Deos cupiditate metiris. Ergo & Deorum ſimulacra inauras, ſiue auro perlinis.

Subijt autem productè, vt Ouid. fabular. lib. j.

——*Subijt argentea proles.* Et id genus alia quæ notatu facilia in Poetis.

AVRO OVATO.

Plinius c. iij. & vj. lib. xxxiij.

NAM FRATRES INTER AHENOS.

Stulte illud ita ſubiit. Nam mentib. ita deliris, fratres, &c. Gloſſæ veteres ex Acrone, accipiunt fratres Caſtores, aut Ægypti filios quinquaginta. Poſterius hoc, riſit pleriſq. Atqui neutrum ad mentem eſt Poetæ. *Fratres ahenos* intelligi vult Deos omnes. His enim ſtatuæ frequentes aheneæ: Inter Deos, inquit, *precipui*, & quantiuis pretij *ſunto* illi, quib. incubare hominis, & à quib. morborum remedia in ſomnis ſecundum quietem ſoliti petere. Qualis Æſculapius. Huic ſanè *aurea barba eſto*, ſiue dignus hic aurea ſua barba eſt, ſi tam fatuos ac blennos auri amatores, aliqua per ſomnum ratione curare potuerit. Æſculapium aurea barba inſignem fuiſſe, & ſolitos huic Deo incubare, morborum remedia petentes, protrita res in triuiis. Sed incubabant eadem quoq. ſpe Serapidi, vt apud Sueton. Veſpaſ. c. vij. Etiam Inoni aliquæ incubationes variis de cauſis, apud Pauſan. Laconicis. Etiam Paſiphaæ apud Ciceron. Plutarch. alios. Etiam Ioui, expiandis periuriis. &c.

QVI SOMNIA MITTVNT PITVITA PVRGATISSIMA.

Qui incubantib. ſomnia mittunt quib. curetur pituita & hebetudo, & inſania.

PRÆCIPVI SVNTO.

Quia præcipuus horum vſus illis qui tam fatui & blenni, vt & ipſi aurum inſanè ſitiant, & arbitrentur Deos auro delectari.

AVRVM.

Hoc ita Propert. eleg. xj. lib. ij.

Aurum omnes victa iam pietate colunt.

VASA NVMAE.

Vt capedines ſiue capedunculas Numæ & vrnulas fictiles. Lucilius de Numa.

Hinc ancilia, ab hoc apices, capidâſq. repertas.

Priſcian. c. j. lib. vj. Tullius Paradoxo j. *Quid autem Numa Pompilius?*

minúſne gratas Dijs immortalibus, capedines ac fictiles vrnulas fuiſſe, quã delicatas aliorum pateras arbitramur? Melius membranæ. *Quid? Numæ Pompilij minúſne gratas Dijs immortalibus capedines ac fictiles vrnulas fuiſſe, quàm felicatas aliorum pateras arbitramur?* &c. *Felicatas* pro *filicatas* vt in gloſſis Philox. Nec rectè Tullij loco illo *hirnulas* pro *vrnulis* aliqui repoſuere, vt in Aduerſar. c.xx. lib.xx.

SATVRNIAQ. ÆRA.

Saturnia æra, gloſſæ nunc æreos nummos accipiunt, mox ærea vaſa. Sed planiſſimè vult Perſius fictilib. Numæ vaſis iungere ahenea. Ahenea vocauit Saturnia, id eſt priſca. Quia vſus æris à Saturno, & Saturni ærarium. Addunt gloſſæ, Saturnum æreis vaſis placari ſolitum.

IMPVLIT.

Loco mouit. T. Liuius. *Impulſa frons prima,* nempe aciei.

VESTALESQ. VRNAS.

Quæ & ipſæ inuentum Numæ regis. Vrnæ veſtales ad lauacrum Veſtæ, vt Propertij eleg. iv. lib. iv. Ouid. Faſtor. iij. Dionyſ. lib. j. Iuliani Cæſaris hymno Solis. Et fragmento de origin. gent. Rom.

ET TVSCVM FICTILE.

Deos fictiles. Propert. eleg. j. lib. iv. Plin. c. xij. lib. xxxv. T. Liuius lib. xxxiv.

Vaſa vero fictilia etiam ſuo ſæculo in libationibus Romæ vſurpata Dionyſ. notat lib. ij. vbi quod eſt ἐν ὀστρακίναις κυλίσκαις, meliùs ἐν ὀστρακίναις κυλίχναις. Tangit & Porphyr. lib. j. περὶ ἀποχῆς. Et Valer. Max. c. iv. lib. iv. Apuleius Apologia priore.

MVTAT.

Mutauit, vt Æneide iij. *Fumat*, pro fumauit. Sic Terentij. Adelph. *Enarramus*, pro enarrauimus. Ouid. Triſt. eleg. ix. lib. j. *Petit*, pro petiit.

O CVRVÆ IN TERRAS ANIMÆ.

Tanquam pecudes. Pacuuius apud Varronem iv. de ling. Lat. *Incuruiceruicum pecus.*

QVID IVVAT HOC.

Meliùs, *Quid iuuat heu.*

EX HAC PVLPA.

Et tanquam bona diis dare, ex pulpa, ſiue eſca & pabulo, cupiditatis noſtræ & corruptelæ. Cupiditatis & corruptelæ pulpa multiplex, vt aurum, vnguenta, purpura.

HÆC SIBI.

Ex pulpa eadem & vſus vnguenti. Apage ad Fabulinum Deum & Ouidij, qui ex pulpa iſta feminas fecēre. &, *hac*, inquiunt, *mulier*, vt etiam mox paullo, cum ait, *Hac baccam.* &c. *Eſt alia*, inquiunt, *mulier.*

CORRVPTO OLIVO.

Vnguentum quaſi corruptela eſt olei. Virgil. ij. Georg.

Nec caſia liquidi corrumpitur vſus olini.

Vbi Seruius Corrumpi oleum ex quo fit vnguẽtum. Olei enim vſus eſt multiplex: vnguenti vnus, deliciæ. Sic & colorum mixtura, quaſi corruptela eſt. Plutarch. lib. de Ei Delphico. Τὰ μιγνύμενα τῶν χρωμάτων οἱ βαφεῖς φθείρεσθαι, καὶ φθορὰν τὴν μίξιν ὀνομάζουσι. *Colores qui miſcentur, infectores corrumpi aiunt, & mixturam, corruptionem vocant.* Nemeſius c. iij. de natura hominis. Καὶ ἡ κρᾶσις δὲ τοῦ οἴνου καὶ τοῦ ὕδατος, ἀμφότερα συνδιαφθείρει. *Mixtura vini & aquæ vtraque corrumpit.* Sic & Propert. eleg. xx. lib. ii. Itaque & Athenæus lib. xv. Λακεδαιμόνιοί τε ἐξελαύνουσι τῆς Σπάρτης τοὺς τὰ μύρα κατασκευάζοντας, ὡς διαφθείροντας τοὔλαιον· καὶ τοὺς τὰ ἔρια δὲ βάπτοντας, ὡς ἀφανίζοντας τὴν λευκότητα τῶν ἐρίων. *Lacedæmonij item de Sparta ſua vnguentarios expellunt, tanquam olei corruptores; & lanarum infectores, vt qui lanarum corrumpant albitudinem.* Eadem de re & L. Seneca cap. vlt. lib. iv. Natural. Quæſt. & Clemens Alexandrin. Pædog. c. x. lib. ij. vbi εὐνομουμένας πόλεις dixit, intelligens Spartam, vt patet Stromat. lib. j.

CASIAM DISSOLVIT.

De vnguento ex caſia Seru. ad ij. Georg. Plin. c. xix. lib. xii.

HÆC CALABRVM VELLVS.

Lanam Tarentinam, quæ optima. L. Varro c. ii. lib. ii. de re ruſt. Plin. c. xciix. lib. iix. Iun. Columel. c. iv. lib. vii.

Notauêre aliqui natiuum huic lanæ colorem purpuræ fuiſſe, vt Tertyllianus Pallij c. iii. Plinius loco antedicto. *Tarentum habet oues ſua pugillinis.* Meliùs, *ſuæ ferruginis.*

COXIT.

Coquere pro tingere ſiue inficere purpura, vt iii. Georg. Martial. epigr. xxcv. lib. ii. Perſius fine huius Satyræ. I. Plin. c. xxxiix. lib. ix.

VITIATO MVRICE.

In aliis lanis albus color vitiatur: in Tarentinis & Bæticis murex ipſe natiuus, vt locis antedictis. Corruptores itaq. lanarum ij qui lanas ſufficiunt, ſiue vitiatores vt Athenæi & Clementis loco prædicto.

HÆC BACCAM CONCHÆ RASISSE.

Explicant gloſſæ. *Radere margaritas de conchis marinis.* Sed poteſt intelligi, vniones repurgare à callo. De qua purgatione Plin. c. xxxv. lib. ix. Radere autem de conchis, non eſt pretij maioris, ſed vilitatis. Viliores enim margaritæ ſunt quæ ſic raduntur, nempe tympania. Plinius loco eodem.

Benè autem conchæ baccam pro vnione, vt Virgilij Culice.

——————*Indi* *Conchea bacca maris*———

ET VENAS.

Venas ex camino fluentes. vt *manare venas argenti & auri* Lucretius dixit lib. v. Et Virg. ii. Georg. Incendio nempe fluunt hæ venæ tanquam ex camino. Sed propriè nunc de camino, & conflatura Perſius,

de qua & D. Cyprianus, ſiue quiqui auctor eſt lib. de laude martyrij. Vbi quod eſt, *diues flama eligitur.* melius fuerit, *eliditur.* Non quia non proba vox eo ſignificatu *eligitur*, ſed quia priſca & in illius ſcriptoris linguam vix conueniens.

STRINGERE.

Ramenta enim auri argentiq. ſtringuntur ſiue coartantur in maſſam, & conflantur. Rutil. Numat. Itinerarij lib. j.

Non Biturix largo potior ſtrictura camino.
Nec qua Sardonio caſpite maſſa fluit.

Hinc riui ſtricturæ Iſidori c. xvii. lib. xvi. vbi malè, *ſtructura.* Stricturæ ſunt maſſæ. Seru. ad Æneid. iix. Gloſſæ, Stricturæ μέταλλον. Sed reprehenſus à non nemine Perſius eſt, tanquam acyrologus, ſiue locutor improprius, qui *ſtringendi* vocabulum de auro & argento vſurpet, cum ſit domicilium eius proprium in ferro, vt C. Plinius obſeruauerit, c. xiv. lib. xxxiv. Itane Perſius etiam ipſe vapulat? Quo iure, an ſtratiotico? Dixit Plinius ſtringi propriè ferrum, quia ſtringitur in aciem. Sed anne idcirco negauit, cetera quoq. metalla ſtringi in maſſas? An non horum maſſæ dicuntur *ſtricturæ*, vt oſtendi?

FERVENTIS MASSAE.

Feruens maſſa aurum fluens ex camino: ſed propriè maſſa cum deſiit fluere. L. Iſidor. c. xvii. lib. xvi.

DE PVLVERE CRVDO.

Auri terra, puluis crudus, comparatione auri maſſæ, nam hæc cocta eſt. Plin. c. iv. & ſeq. lib. xxxiii. Prudent. hymno D. Laurent.

Quod terrulentum ac ſordidum,
Flamis neceſſe eſt decoqui.

Auri argenti, æris terram Plinius dixit c. vj. lib. xxxiii. & arenas c. iv. Sed propriè quidem auri terra, eſt balluca, l. j. & ſeq. C. De metallar. iii. C. Theodoſ. eod. Gloſſæ γήδιον χρυσοῦ ἀχαθάρτον, *Baluca.*

VITIO TAMEN VTITVR.

Ex eadem pulpa aurum in templis, auri, argenti maſſæ: ſed hoc illo minus vituperabile. Nam huius quidem aliqua vtilitas, nempe in contractibus: at illius quod in templis, vtilitas nulla.

IN SACRO QVID FACIT AVRVM?

Ail. Lampridius in Alexandro. *In templis*, inquit, *ſanè nunquam præter aut quinq. argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam poſuit, ſuſurrans verſum Perſij*

———in ſanctis quid facit aurum?

Non diſſimili poſtmodo mente Nicephorus Imperator. De quo Cedrinus. Τοὺς ἀπ' αἰῶνος ἀναθεικότας τῷ θεῷ χρυσᾶ ἢ ἀργυρᾶ σκεύη ἔψεγε, καὶ τὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἱερὰ κοινοῦσθαι ἄξιον ἐδογμάτιζε. *Vituperabat qui poſt homines natos vaſa aurea argenteáue Deo conſecrauiſſent; cenſebátque omnia templorum donaria in vſus profanos verti verum eſſe,*

Sed & anterior his Plato xii. de legib. χρυσὸς καὶ ἄργυρος ἐν ἱεροῖς ἐπίφθονον κτῆμα. Tullius ex Platone ij. de legibus. *Aurum & argentum in fanis inuidioſa res eſt.* Plato Alicibiade ij. & Eutyphrone. Lactant. c. xxv. lib. vj. c. iv. lib. ij. Iſidor. Peluſ. epiſt. xxcix. lib. ij. Sed nemo de hoc A. Perſij Poetæ verſu deq. hac ſententia melius quàm D. Bernardus Apolog. ad Guilielm. Abbat.

QVOD VENERI DONATAE A VIRGINE PVPPAE.

Ritus priſcus, de quo ſic Acro ad Sat. v. lib. j. *Solebant pueri poſtquam pueritiam excedebant, dijs Penatibus bullas ſuas conſecrare, ſimiliter puellæ pupas.* De ritu illo & Gloſſæ veteres in hunc locum. Gloſſæ Philox. *Puppa* πλαγγόνες, αἱ τῶν παίδων νύμφαι. Marcell. in *Pupa.*

QVIN DAMVS ID SVPERIS.

Primitius Felix. *Litabilis hoſtia bonus animus, & pura mens, & ſincera conſcientia.*

Profert hunc Perſij locum Priſcian. c. iij. lib. ix.

DE MAGNA QVOD DARE LANCE.

Dixi, vbi & de *tacita acerra.*

MAGNI MESSALLAE.

Tangere videtur cognomentum Meſſalarum, *Maximus.* Macrob. Saturn. c. vj. lib. j. Faſti.

LIPPA PROPAGO.

Lippa hæc propago, Valerius Cotta Meſſalinus, qui lippus ambifariam & oculis & animo. Narrant gloſſæ veteres. Dioni lib. lv. eſt M. *Valerius* M. F. *Meſſala, aut Meſſalinus.*

COMPOSITVM IVS FASQ. ANIMI.

Ius humanum, fas diuinum. Profert Lactant. ad Thebaid. ij.

SANCTOSQ. RECESSVS MENTIS.

Receſſus tacitæ cogitationes, vt Tullij Cæſariana j.

ET INCOCTVM PECTVS.

Profert & interpretatur Lactant. c. ii. lib. vi. Sic Tertyllian. lib. de cultu feminar. *Succis herbarum, & concharum alueis incoquere lanas.*

Incoctum valde coctum. *Impotens* valde potens. Cariſius lib. ij. *Inmedicatum os*, valde medicatum. Apuleius Apolog. ſiue actione ij. *Inpromiſcuus*, valde promiſcuus. A. Gell. c. vii. lib. j. *Inſegnes*, valdè ſegnes. Gloſſæ Philox. *Inſegnes*, ἀδρανεῖς. *Inpranſus* probe ſatullus, apud Horat. epiſt. xv. Sic & *incoctum* pro validè cocto identidem apud Marcellum Empiricum, vt c. j. & v. xxii.

At *incœnare* Suetonij Tiber. cap. xxxix. eſt Atticum, pro cœnare. Ἐμφαγεῖν pro φαγεῖν, ἐνδυστυχῆσαι, ἐμβρέχω. Interpr. Ariſtophani ad Veſpas.

GENEROSO HONESTO.

Generoſo interpretatus Lactantius, *naturali.* Sic & Græce γενναῖον, τὸ μὴ ἐξιστάμενον τῆς φύσεως. Ariſtotel. c. j. lib. j. hiſtoriæ animal. *Quod à natura ſua non abit.* Similitérq. c. xv. lib. ii. ad Theodect. Generoſum

itaq; honeſtum quod animis inditum à natura. Tull. Dial. de partit. *Eſt genus hominum ad honeſtatem natum*, &c. Ne rectè in hunc Perſij locum de generoſo gloſſæ, veteres. Gloſſæ nouæ, aut potius noui λόγων διάῤῥοιαι prorſus extra oleas, vt adſolent.

VT ADMOVEAM TEMPLIS.

Admouere verbum ſacrorum, vt exempla vbiq. in oculis. Sic Iul. Pollux c.j. lib.j. ἱερεῖα προσάγειν βωμοῖς.

ET FARRE LITABO.

Hinc illud Primitio Felici *Litabilis hoſtia*, &c.

Far autem pro mola ſalſa, nota res. Far nempe pium. Sic far pium, mola ſalſa Arnobij lib.ij. Aſconij ad iij. Verrinam, Seruij ad Eclog. iix. Marcell. in *Ador*.

SATYRA III.

NOTANT gloſſæ veteres tranſlatam eſſe hanc Satyram *ex Lucilij lib. IV. caſtigantis diuitum luxuriam & vitia*. Sed Lucilius in diuitiis & vitiis potentes inuectus generatim: Perſius ſpeciatim mucronem ſtili ſui ſtringit in adoleſcentes diuites, Stoïcę philoſophiæ ſtudia profeſſos, ſed ignauia torpentes, profluóſq. luxu & delitiis.

Tractatum verò principium ſatyræ quaſi dialogiſmo & perſonis, vna doctoris ſiue philoſophi Stoïci, non vt gloſſę notant, pædagogi: altera diſcipuli, ſiue candidati philoſophiæ.

NEMPE HOC ADSIDVE.

Orditur Stoïcus à reprehenſione conſuetudinis prauæ dormiendi in lucem, ſiue de die, ſiue in medios dies.

Eorum qui philoſophiam docebant Romæ genus duplex. Vnum eorum qui veniebant ad ianuam; quod Græcis, ἰέναι ἐπὶ θύρας. Tales philoſophi apud Laërt. in Ariſtippo. Eoſdem & A. Gellius pingit c. x. lib. vj. *At nunc*, inquit, *videre eſt philoſophos vltro currere vt doceant, ad fores iuuenum diuitum, eóſque ibi ſedere atque operiri, prope ad meridiem, donec diſcipuli nocturnum omne vinum edormiant*. &c. Alterum genus eorum qui domeſtici, & in comitatu ipſo diuitis, qualis philoſophus nunc Perſij. Itaq. dicitur poſt paullò, *comes*. *Vnus ait comitum*— ſcilicet, magiſter philoſophiæ Stoïcus qui in comitatu.

IAM CLARVM MANE.

Imitatus Auſonius Ephemeride.

Mane iam clarum reſerat feneſtras.

ET ANGVSTAS EXTENDIT LVMINE RIMAS.

Martian. Capella fine lib. ij.

Auaro

Aurora primo conuenuſtans habitu
Surgens feneſtras diſſecaret lumine.

Lege.

Aurora primo cùm venuſtans habitu
Surgens feneſtras diſſicaret lumine.

Lumine rimæ feneſtrarum quaſi extenduntur, & diſſicantur, quia diffuſio fit lucis, ſiue radiorum ἔκχυσις, de qua Tullius epiſt.iii. lib.ii. ad Atticum.

QVOD DESPVMARE FALERNVM SIT SATIS.

Tantum ſtertis, quantum ſatis ventriculo, vt deſpumet in eo vinum, ſiue deferueſcat, & concoquatur. Deſpumat vinum in ventriculo, quaſi dolio, ſiue ἀποζύμ, vt Geoponicis lib.vi. Sic *deſpumare*, L. Senecæ epiſt.lxiix. D. Hieronymi lib.ii. in Iouinian.

INDOMITVM.

Eleganter, *Falernum indomitum*, pro mero. Vinum aqua temperatum, quaſi domitum eſt, & innocens: merum, indomitum & nocens. Itaq. Plato vi. de legib. iubet. Μαινόμενον θεὸν ἑτέρῳ θεῷ νήφοντι σωφρονίζεσθαι κολαζόμενον. *Furentem Deum caſtigari plectiq. adhibito alio numine ſobrio.* Furens Deus Bacchus, ſobrium numen Nymphæ. Profert & Plutarchus, lib. An ſeni capeſſ. reſpubl.

Indomitum autem peculiariter Falernum, quia difficulter concoquitur. Athenæus lib.j.

DVM QVINCTA LINEA.

Lineas audi, quib. horæ notatæ in ſolario, ſiue horologio ſciaterico. Lineæ quæ proficiſcuntur ab vmbilico ſiue gnomone ſolarij, notæ, quæ indicant horarum numeros. Auſon. Ephemeride.

Ad quinctam flectitur vmbra notam.

Linea, ſiue nota quincta, quæ meridiei proxima. Meridies enim hora ſexta, Ergo & Perſius hoc lineæ quinctæ tempus quaſi pænè meredianum depingit,

———*Patula pecus omne ſub vlmo eſt.*

TANGITVR VMBRA.

Quæ proficiſcitur ab vmbilico ſiue gnomone, ſiue clauo, vt loquitur Iſidor. c. propenult. lib. vlt. *A clauo*, inquit, *per lineam currit vmbra.*

INSANA CANICVLA.

Inſana, vel quia in rabiem agit canes, Plinius c. xl. lib. ii. c. xl. lib. iix. vel quia & ipſa rabere videtur, radij ſui æſtu vehemente. Itaq. Horatius eam *furere* dixit Oda xxix. lib. iij. vel quia multi eo tempore homines ægrotant. Homerus Iliade xxij. vbi & Euſtath. notat iccirco καύσους ſiue καύσωνας, ſiue febres ardentes quæ ſub cane, vocari loquelariter κυνοκαύματα. quaſi æſtus caninos. Legend. Ariſtot. Probl. iij. Tomi j. Seru. ad Æneid. iii.

COQVIT.

Coquit, exurit, vt Æneide iii. & Apollonij Argonaut. lib. ij.

PATVLA PECVS OMNE SVB VLMO EST.

Deſcriptio mediæ diei canicularis, vt Horatij Oda xxix. lib. iij.

VNVS AIT COMITVM.

Comes hic non pædagogus ſiue magiſter pueri: ſed philoſophus Stoicus, doctor adoleſcentis, qui pædagogum iam exſuit cum puerili prætexta.

Venit quidem comitis nomine & pædagogus vt l. xv. §. *comitem* D. De iniur. Et apud Martial. epigr. xl. lib. xj. ſed nunc comes philoſophus, Adoleſcens quippe hic iam philoſophâſter, vt mox.

Haud tibi inexpertum eſt. ———

Philoſophus autem hic Stoicus de genere illo qui συνόντες ſiue in comitatu. In hos liber eſt Luciani Περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, *In philoſophos mercenarios*. Iidémq. ibi διδάσκαλοι. His ita perſcriptis, mirificiſſimè poſt aliqui commenti ſomnia πλείας ςιγμῆς πέρι, & *comites* intelligi condiſcipulos, & *nimis falli* accipientes de philoſophis, qui Romæ in procerum comitatu. Atqui & πλεία ςιγμὴ eſt in libris: & *comites* illi non magis condiſcipuli quàm popones: & *vnum* illum *comitum* eſſe philoſophum Stoicum, certius eſt his quæ ad Sagram. Miſeræ illæ chartæ, quib. &c. Et tamen caſu aliquo in veſtigia meæ interpretationis lapſi mox paullò, p. 234. *ſubdit*, inquiunt, *Perſius, vel* qui *ante eſt locutus doctor*. Aut nox eſt, aut dies. Aut Perſius, aut doctor. Atqui non eſt A. ergo B.

VERVMNE?

Hæc diſcipulus, dulci fortuna ebrius, & de illis quos Dio Pruſæus ſic pingit, Orat. lxij. Ὅτι ὀργισθεῖσιν ἔξεστι πάντα ποιεῖν, διὰ τοῦτο συνεχῶς ὀργίζονται. *Quod iraſcentibus quiduis licet, eo iraſcuntur adſidue.*

OCIVS ADSIT HVC ALIQVIS.

Superbè hoc & ignauiter, *Aliquis*, non expreſſo ſerui nomine. Meritò Cyrus apud Xenophontem Pædiæ lib. v. vituperat dominos, ſeruis ita præcipientes ἴτω τις ἐφ᾽ ὕδωρ, ξύλα τις σχισάτω. *Ito aquatum aliquis: calam aliquis findito.* Et eleganter ſubiungit rationem. *Etenim illo pacto euenire, vt ſe mutuò reſpectarent, & nemo faceret imperata: vtque omnes non perfecti operis in culpa eſſent, et nemo erubeſceret aut metueret, propterea quod cum multis ei culpa par & communis* Itaque *Cyrus nomine ſuo quemque adpellabat, cum quid imperaret.* Sic Latinè illa tinniunt. Lego enim οὔτε αἰσχύνεσθαι οὔτε φοβεῖσθαι διὰ τὸ σὺν πολλοῖς ὁμοίας αἰτίαν ἔχειν. Non vt vulgarij, φοβεῖσθαι ὁμοίως, aut, φοβεῖσθαι ἴσως.

TVRGESCIT VITREA BILIS.

Iam excandeſcit, inquit Stoicus. Profert autem Acro ad Sat. iij. lib.

ij. & *vitream bilem* Perſio, vt Horatio, *ſplendidam bilem* eſſe ait tralucentem, quia irati nihil cælant. Sic vitreæ togæ multitiæ ac perlucentes, Varroni apud Marcell. in *Vitream*, & in *Tunica*. Et Horatio futilitas, *perlucidior vitro*, Oda xiix. lib. j.

Sed meliùs in Aduerſar. c. xxiij. lib. xxiij. *vitrea bilis*, & ſplendida quæ in ore ipſo enitet, vnde & nomen excandeſcentiæ: aut quæ cito vaneſcit frangitúrque vt *vitrea fracta* Petronij, & vitrea fama Horatij Sat. iij. lib. ij. At vitreæ bili pro aperta, locus hic nullus, nihil enim arcani prodit.

FINDOR VT.

Alij libri *Finditur*, *Arcadiæ*, &c. Vtriſq. mens eadem. Findor, enallage, pro finditur. Finditur, inquit Stoicus, ebriolus hic rudens vt Arcadica pecus. Qui clamat, oris hiatu quaſi finditur. Ne rectè in Aduerſ. c. xxij, lib. xxiij. de bile interpretati, refellit ἀκολουθία.

ARCADIÆ PECVARIA.

Profert Lactant. ad Papinij Thebaid. iv. & Arcadiæ pecuaria inquit à Perſio dicta, quia Phyllos Arcadiæ regio, *abundet egregio pecore*, Veriùs dixeris, Arcadiæ pecuaria, aſinos. Arcadia, aſinorum patria in Græcia, in Italia Reate. Varro c. j. lib. ij. de re ruſt. Plinius c. xliij. lib. iix.

Comparat autem eleganter Flaccus hic Perſius, cum illis Arcadiæ ciuibus, hunc Arcadicum iuuenum.

RVDERE DICAS.

Ita Seruius ad iij. Georg. Sed idem, *credas* ad Æneid. iix.

IAM LIBER.

Pergit Stoicus.

ET BICOLOR MEMBRANA.

Explicat Iſidor. c. x. lib. vj. Bicolor ſcilicet membranum eſſe luteũ, ſiue tinctum aut crocatum parte vna. Dixeris apertiùs. Bicolor membrana introrſum candida, extrorſum lutea purpureáue.

Et accipe membranam croceam purpureámue, qua inuolutus liber, vt Tibulli eleg. j. lib. iij.

Lutea ſed niueum inuoluat membrana libellum.

Et de purpurea Ouid. eleg. j. lib. j. Triſt.

Nec te purpureo velent vaccinia ſucco.

Martial. libello ſuo epigr. ij. lib. iij.

Et te purpura delicata velet.

Et epigr. vj. lib. v.

Quæ cedro decorata, purpuráq.
Nigris pagina creuit vmbilicis.

Papinius de libello ſuo Silua vlt. lib. iv.

Noſter purpureus nouuſq. charta.

Lucian. ad imperitum libros emturientem. Βιβλίον πάγκαλον, πορφυρᾶν μὲν ἔχον τὴν διφθέραν, χρυσοῦν δὲ τὸν ὀμφαλόν. *Libellus pulcherrimus, purpurea velatus membrana, & aureum habens vmbilicum.* Et libro de philoſophis mercenariis. Ὅμοιοι τοῖς καλλίστοις βιβλίοις, ὧν χρυσοῖ μὲν οἱ ὀμφαλοί, πορφυρᾶ δ' ἔκτοσθεν ἡ διφθέρα. *Similes pulcherrimis libellorum, quibus aurei vmbilici, & purpurea extrorſum membrana.* Hinc & διφθέρα ſiue membrana pro libello ipſo. Gloſſæ διφθέρα, *membranum, codex.*

Positis capillis.

Expolita pumice, vt Catullus donatione libri ſui ad Cornelium. aut, *æquata pumice*, vt idem ad Varum Tibull. eleg. j. lib. iii.

Pumex & canas tondeat ante comas.

Martial. epigr. lxxii. lib. iix.

——————— *Aſperóq.*

Morſu pumicis aridi politus.

Sic & pumicatæ frontes libri. Ouid. eleg. j. lib. j. Triſt. Martial. epigr. lxvii. lib. j.

Inq. manus chartæ.

Liber velatus membrana, in libro chartæ. Tibull. eleg. j. lib. iii.

Lutea nec niueum inuoluat membrana libellum.

Niueum chartis quarum laus *candor.* Plin. c. xij. lib. iii. Papin. Silua vlt. lib. iv.

Noſter purpureus, nouuſq. charta.

Hinc & chartæ pro libris populariter, ſiue ἐν τῇ συνηθείᾳ. l. lii. §. ij. De legat. iii. Catull. Procemio. *Tribus chartis*, id eſt, tribus libris. Etiã *charta* pro inſtrumentis & epiſtolis, vt Capitul. Caroli M. clix. lib. j. xxxiix. lib. iii. cciix. lib. vj. In libros exſcripſeie de tabellis ceratis nempe, *ad purum*, vt loquitur D. Hieronym. Apol. iii. in Ruffinum. ſiue, *in mundum*, vt l. xvii. C. De fide inſtrum. εἰς χάρτην καθαρόν. vt Nouel. xliv. c. vlt. Aliqui tamen & *libri liturarij*, vt Auſonij Procemio Centonis nupt.

Nodosaq. venit arvndo.

Venit, quaſi non cupienti, neq. ſumenti.

Tvm qverimvr.

Pergit Stoicus. Tum queritur nugo ille atramentum aut craſſum nimis aut dilutum eſſe, aut calamum vitioſum.

Vanescat sepia.

Sepiam dixit pro atramento, vt & Auſon. epiſt. iv. Iſidor. Gloſſis *Sepia incauſtum. Perſius*, &c. Intelligi vult hoc in loco, ſic vſurpari à Perſio. Sed propriè quidem ſepiæ humor non eſt atramentum. L. Plin. c. vj. lib. xxxv. quanquam & dicitur atramentum propter nigrorem, vt Plinij c. x. lib. xxxiii.

Qvod fistvla.

Vt *calami ſcriptorij fiſtulam* dixit Marcell. Empir. c. x.

HVCCINE RERVM VENIMVS?

Huccine rerum voluptariarum, ſiue huccine deliciarum, vt contra Æneide.i. *Feſſi rerum*, nempe aduerſarum.

AT CVR NON POTIVS.

At tu tantarum deliciarum, ſiue qui has delicias facis, & ambages quæris, quin potiùs apertè negas te velle philoſophari, ſiue reſpuis philoſophiam, vt *albulus columbulus Dionæus*, aut vt regis, ſiue beati, aut diuitis puerculus in crepundiis reſpuit papparium, aut lallum?

TENEROQ. COLVMBO.

Sic & Seruius legit ad Æneid. v. Alij libri, *palumbo*. Neutri malè, Nã & palumbi ſiue palumbes in deliciis, & palumborum genus quoddam regium. Ælius Lamprid. in Diadum. *Aquila ei palumbum reginm adtulit*. Omen hoc nempe imperij. Regum itaque pueris conuenientes palumbi, rectéq. Perſius palumbos & regum pueros iunxit. Et columbi quoq. in deliciis, albi maximè. Vt ille Valerij Catulli epigr. xxvii.

——*albulus columbulus Dionæus*.

PAPPARE MINVTVM POSCIS.

Vt puerculi regum, pappare ſiue papparium recuſant, quia non ſat minutatum, aut præmanſum: lallum autem, ſiue nutricis næuiam, quia irati ſint.

Propriè, *pappare minutum*, vt Tullius ii. de orat. *minima manſa*. Sic Lucil. *Manſum ex ore daturum*. *Manſum* præmanſum, non vt Marcellus explicat, mandendum. Et intellige Lucilium dicere μέλλειν ἀμπελαργεῖν.

Papparium M. Seneca dixit Controuerſ. i. & lib. ii. *Pappo* eſt mando ſiue μάσωμαι, Plauti Epid. Sc. vlt. Gloſſæ, *Pappat* μασᾶται. Pappo autem à nomine *Pappa* qui lingua infantulorum eſt pater, vt Ariſtoph. Pace, & Veſpis. Ergo & nutricios, ſiue altrios, *Papas* vocauere. Iuuenal. Sat. vj. Nutricius enim ſiue patrimus quaſi pater eſt, nutrix quaſi mater. D. Hieronym. epiſt. j. *Nutricius, ſecundus poſt naturalem pietatem pater*. Vetus inſcriptio. *Nutricio ſuo & matri*, id eſt, nutrici. Sic *pater* & *mater* pro nutricio & nutrice l.j. §. vlt. D. De obſeq. par. præſt. Gloſſæ Iſidori. *Pappas, pædagogus qui ſequitur ſtudentes*. Et Gloſſæ veteres ad Iuuen. Sat. vii. *Pædagogi papati*, meliùs, *Papæ*.

Pappa, etiam cibus infantulorum Varroni apud Marcell. in *Buas*. Qui cum ex Lucilio adſcribit, *vini buas*, fortè an meliùs apud Lucilium legiſſet, *vini bias*.

Dixi *Pappare* eſſe mandere, intellige identidem mandere, nam hoc μασᾶσθαι. Diomedes c. iv. lib. j. *Propriè autem quod Græci dicunt μασῶμαι, hoc eſt identidem mando*. Sic ibi legendum. Illud autem. Ταυτὸ χάος, κόσμος, poſt ſcribendum ad verba illa. *Cohaum enim apud veteres mundum ſignificat*. Ταυτό χάος κόσμος.

ET IRATVS MAMMÆ.

Plato iv. de Reip. Τὰ παιδία θυμοῦ μὲν εὐθὺς γενόμενα, μεστά ἐστι. *Puerculi vt primum editi, pleni ſtatim iracundia. Mammæ* autem vel vberi, vel nutrici, vt inſcriptio vetus. *Mammæ ſuæ B. M. Fec.* i. nutrici vel matri, vt Varro apud Marcellum in *Buam*, atque ita Græci, μάμμαι vtres notiſſima ex Helladio apud Photium in Bibliotheca. Item aliis

LALLARE RECVSAS.

D. Hieronym. epiſt. i. *Antiquum referens mammæ lallare, congeminet*. Benè, *congeminet*. *Lallus* enim, vt Auſonius vocat, nihil aliud quam geminatio eſt vocis, *la*.

Benè autem Ariſtoteles, ſiue is Alexander eſt, problem. xxxiix. lib. xix. ῥυθμῷ καὶ μέλει χαίρειν τὰ παιδία εὐθὺς γενόμενα. *Numero & cantu gaudere puerculos, vt primùm editi.*

AN ISTO STVD. CALAMO.

Horat. Sat. iii. lib. ii. *Culpantur fruſtra calami.*

CVI VERBA.

Ex Horatij Sat. iii. lib. ii.

QVID ISTAS SVCCINIS AMBAGES.

Succinis, tanquam tibia ſiniſtra, ſiue ſuccentiua. Argutè dictum & condignè Perſij ſtilo, quem non capiunt hypercritici. Tibia dextra, incentiua: ſiniſtra, ſuccentiua. Varro c. ii. lib. i. de re ruſt. Incinit nempe hic philoſophiæ magiſter, ſiue Stoïcus: ſuccinit beatulus hic, ſiue diſcipulus. Præcepta induſtriæ & ſapientiæ incinit magiſter: diſcipulus ambages ſuccinit & fruſtrationes. Ergo neque ſymphonia ſiue σύνοδον naſcitur, ſiue nulli progreſſus fiunt. Hinc itaque ſuccinere pro reſpondere, aut adſentiri, vt Varronis cap. i. lib. ii. de re ruſt. Horat. epiſt. xvij. At muſteus liber poſtea, *Succinere*, inquit, *eſt ſæpe reſpondere*. Sed hoc vt alia omnia illius ſiue muſtei, ſiue muſtacei, miſſa facio ego, nam alieniſſimis alieniora ſunt.

TIBI LVDITVR.

Gloſſæ explicant, *teipſe illudis*. Meliùs, Tibi ego ludo, nempe vt tibia incentiua, ſiue incino tibi: at tu effluis, ſiue futilis es, ſiue nihil capis.

CONTÈMNERE.

Daturus nempe olim ſpecimen ſapientiæ.

SONAT VITIVM.

Contemnère vt fidelia, quæ ſono, ſiue tinnitu ipſo vitioſa deprehenditur. *Sonat vitium*, vt mox, *malignè reſpondet*. Contra, *ſolidum crepare*. Sat. v. Dolia explorantur pulſatione & ſono. vt Sat. v.

————————*Pulſa dignoſcere cautus*
Quid ſolidum crepet———

Anatolius Geoponicis cap. iij. lib. vj. Dolia probari à nonnullis τῷ κρουσθέντας ἀποδοῦναι

ἠχόν τινα ὀξὺν καὶ τορόν. *Si pulſatum reddat ſonum acutum & tinnulum.* Sic apud Stobæum Sermone ccxcvj. Ῥωμύλος, τὸ μὲν κεράμιον ἐκ τοῦ κόπου ἔφη δοκιμάζεσθαι: τὸν δὲ ἄνθρωπον ἐκ τοῦ λόγου. *Romulus, fideliam quidem ait pulſatione probari: hominem autem ſermone.* Lucian. in Paraſitica. καθάπερ αἱ πονηραὶ χύτραι, διακρουόμεναι σαθρὸν ἀποφθέγγονται. *Quemadmodum ollæ nequam, pulſatæ, reſpondent nequiter.* Tangit & Ariſtoteles fine libri περὶ ἀκουστῶν. Hinc κροῦσις pro exploratione ſiue ſpectione, ſiue δοκιμασία. Suidas in Κροῦσις.

VIRIDI NON COCTA FIDELIA LIMO.

Quam figulus non coxit ante quàm limus areſcens, rimas ageret. *Viride*, vdum. vt mox. *Vdum & molle lutum es.* Sic χλωρὸν pro ὑγρὸν. Sophocles Trachiniis χλωρὸν ἄχνην δακρύων. Euſtath. ad Iliad. ij.

SED RVRE PATERNO.

Sed dixeris, inquit Stoicus, eſſe tibi cenſum.

PVRVM ET SINE LABE SALINVM.

Purum, ſale puro: *ſine labe*, Splendens, exterſum. Horat. Sat. iij. lib. j. *Concha ſalis puri.* Et Oda xvj. lib. ij. *Splendens ſalinum.* Tale autem ſalinum, pro *mundo victu* accipitur, quem vocat Horat. epiſt. iv.

CVLTRIXQ. FOCI SECVRA PATELLA.

Mundo victu, i iuncti patella. Mundus victus elegantiæ: patella religionis. Patellam adpoſuere in menſa, vt ante cœnam partes in eam de cœna darent, quæ diis penatibus ſiue domeſticis libarentur. Vt adponi patellæ poſſent, pediculis ſuſtinebantur. Valerius Max. c. iv. lib. iv. *C. Fabricius patellam ſuam corneo pediculo ſuſtineri voluit.* Varro apud Marcell. in *Patella*. *Quocirca oportet bonum ciuem legib. parere, & Deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.* Plutarch. lib. de fort. populi Rom. Παρθένον τὴν Ὀκρισίαν ἀπάργματα καὶ λοιβὴν ἑκάστοτε λαμβάνουσαν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης ἐπὶ τὴν ἑστίαν κομίζειν. *Ocriſiam virginem, quotidie de menſa regis libamina ſumentem atque exſta, ferre ſolitam ad focum.* Ad focum nempe vbi lares, deferebatur patella. Itaque nunc Perſius *patellam foci cultricem* vocat. Et Dionyſ lib. iv. ἐφ' ἑστίας συντελεῖσθαι, τὰς ἀπὸ τῶν δείπνων ἀπαρχάς. *Ad focum fieri libationes de cœna.* Partes ibi de patella in ignem ſoluæ imponi, ſiue adoleri Plutarch. loco prædicto. τῷ πυρὶ τὰς ἀπαρχὰς ἐπιβάλλειν. *Igni imponere libamina.* Silius lib. vij.

——Ac primum Veſtæ deterſit honorem
Vndique, & in mediam iecit libamina flammam.

Deterſit, decerpſit vndique de omni parte cœnæ. Laribus nempe libationes illæ, & Veſtæ. Veſtæ vt loco illo Silij, Ouidij vj. Faſtor.

Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.

Laribus, vt Tibulli eleg. i. lib. j.

——nec vos de paupere menſa,

Dona, nec è paruis ſpernite fictilibus.

Hinc itaq. in omnib. familiis patellæ, & diuitibus quidem aureæ argenteæúe, vt C. Fabricio Luſcino, & Q. Aimilio Papo in ſumma paupertate argentea *patella Deorum*, & argenteum *ſalinum*. Quia ſcilicet, vtrumq. religionis. Valerius Max. c. iv. lib. iv. eæque exceptæ cum Reipublicæ neceſſitas exigeret collationes argenti & auri T. Liuij lib. xxvj. Hinc & Dij patellarij Plauti Ciſtell. Sc. iv. Et illud ſpecie prouerbij, *De patella edere*, in impios qui ne ſacris quidem abſtinent vngulas. Tullius ii. de finibus.

Fortean autem hæ patellæ fuerint phialæ illæ quas peditibus virtutis ergò datas Polybius tradit. lib. vj. Etenim quam Valerius *patellam*, Plinius *pateram* dixit c. penult. lib. xxxiii. & indicio eſt belli præmia illa fuiſſe. Verba Plinij. *Fabricius, inquam, qui bellicoſos imperatores plus quàm pateram et ſalinum ex argento habere vetabat.*. Hoc veriùs fortè, quàm Polybij φιάλιω corrigere ψάλιον.

HOC SATIS?

An quia diues, nobilis, & eques Romanus es, ius faſq. tibi eſt adſpernari ſapientiam?

AN DECEAT PVLMONEM RVMPERE VENTIS.

Vt Sat. j. *Pulmo animæ prælargus.*

STEMMATE QVOD TVSCO.

Regio, quaſi à Lucumone, aut Larte aliquo, vt C. Mæcenas; aut à Tarquinio Priſco.

RAMVM DVCIS.

Bene explicat, quid ſtemma generis. Series nempe imaginum, ramuſculis laureis & lanis implicitarum. L. Seneca c. xxiix. lib. iii. de benefic. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum inligata flexuris in parte prima ædium collocant.* Plin. c. ii. lib. xxxv. *Stemmata lineis diſcurrebant ad imagines pictas.* Hinc & aduocatorum in cauſis ritus de quo Iſidor. c. vi. lib. ix. *Solent aduocati ſtemmata, ſiue ramuſculos facere in genere, cum gradus cognationum partiuntur.*

MILLESIME.

Longiſſima pleriſque ſeries ac liſta imaginum illarum, & ramorum ſiue flexurarum. Etenim atria pleris plena imaginum ſtemmate, non familiæ vnius tantùm, ſed ſæpenumero & gentis. Hinc Martial. epigr. xl. lib. iv.

Atria Piſonum ſtabant cum ſtemmate toto.

Toto, gentis totius Calpurniæ. Ergo & vt plures vnius gentis familiæ, ſic partita imaginum atria dixerim fuiſſe, eoq. illud pertinere P. Ouidij eleg. iix. lib. j. Amor.

Nec te decipiant veteris quinque atria ceræ.

Non vt aliqui corrigunt, *Veteri cincta atria cera.* Ergo & Poetæ cum

atria

atria dicunt, voluere, opinor, multiplicationem atriorum exprimere. Sic Papinius Thebaide ij.

——————Læto regalia cœtu
Atria complentur. Species eſt cernere auorum
Comminus, & viuis certantia vultibus æra.

Mutari nihil hic debuit, nam *æra* Græcanico ritu dixit, Romano dixiſſet *ora*. Tangitur quoq. atriorum multiplicatio epiſt. iij. lib. ij. ad Q. Fratrem.

VEL QVOD TRABEATE.

Admonet Priſcian. c. vlt. lib. xvij. eſſe pro, *trabeatus*. Trabeatus autem eques Romanus. Equites trabeati in pompis, vt tranſuectione Dionyſ. lib. vj. T. Liuij fine lib. ix. Valerij c. ij. lib. ij. In funere Germanici apud Cornel. Tacit. annali iij. In epulo Domitiani, Papin. Silua ij. lib. iv. Eidémq. Silua ij. lib. v. *Trabea* Remi, pro ordine equeſtri.

CENSOREM TVVM SALVTAS.

Salutas in tranſuectione. Duplex Romæ equitum luſtratio. Cenſio & Tranſuectio. Cenſio quinquennalis ſiue luſtrica; Tranſuectio ſollennis ſiue annua. Itaq. Dio in Nerone vocat ἐτησίαν ἐξέτασιν. *Annuam recognitionem*. In cenſione reſpondebant equites cenſori: in tranſuectione cenſorem ſalutabant. In cenſione rogare ſoliti cenſores equitem, vt, ecquid legitima ſtipendia confeciſſet? docebat eques ſe confeciſſe. Patet in Plutarch. Pompeio. Interrogabant item, cur equus ei ſtrigoſus, ſi talis forte videretur. A. Gellij c. xx. lib. x. c. xij. lib. iv. c. vlt. lib. vij. Item alia interrogati equites. At in tranſuectione tantùm recogniti equites, & ſalutati ab eis cenſores. In cenſione equites ſine trabea: in tranſuectione trabeati, vt prædixi. In cenſione pedibus veniebant, equum publicum manu ducentes, Plutarch. Pompeio. Liquet idem & imagine quæ in nummo Imp. Claudij: in tranſuectione in equis albis ſedentes, & oleæ termite coronati, ab æde Martis extramurana tranſibant per forum, & ante Caſtorum ædem, atque inde rectâ in Capitolium, & in tranſitu cenſores ſalutabant præſidentes in tribunali, & ſellis curulibus in foro ante Caſtorum ædem. Liquet narratione Dionyſij lib. vi. Tangit & Vlpianus l. ii. D. De in ius voc. & auctor de viris inluſtrib. c. xxxii. Sueton. Auguſti c. xxxiix. Plinius c. iv. lib. xv. Inquit auctor ille virorum inluſtrium, *Ab æde honoris*. Magis Dionyſio fides apud me, qui ab æde Martis extramurana, ἀφ᾽ ἱεροῦ πρὸς Ἄρεως ἔξω τῆς πόλεως ἱδρυμένου. Maior, inquam Dionyſio fides, notat enim vectos in equis, ὡς ἐκ μάχης ἥκοντας, *quaſi victores è pugna reuertentes*, & tranſuectionem illam eſſe quaſi monimentum victoriæ de Latinis nunciatæ Romam à Dioſcuris. Conueniens itaque pompæ illius proceſſio, ex æde Martis Dei bellici.

Dixi equites tranſuectos in equis. Equi illi ſine ſtrato, ſiue ephippio, ſiue veſte ſtragula, ſiue dorſuali. Priſco id quidem ritu: ſed principe Nerone, magis magiſque creſcente luxu equi illi ſtrati. Dio in Nerone.

minúſne gratas Dijs immortalibus, capedines ac fictiles vrnulas fuiſſe, quā delicatas aliorum pateras arbitramur? Melius membranæ. *Quid? Numæ Pompilij minúſne gratas Dijs immortalibus capedines ac fictiles vrnulas fuiſſe, quàm felicatas aliorum pateras arbitramur?* &c. *Felicatas* pro *filicatas* vt in gloſſis Philox. Nec rectè Tullij loco illo *hirnulas* pro *vrnulis* aliqui repoſuere, vt in Aduerſar. c.xx. lib.xx.

SATVRNIAQ. ÆRA.

Saturnia æra, gloſſæ nunc æreos nummos accipiunt, mox ærea vaſa. Sed planiſſimè vult Perſius fictilib. Numæ vaſis iungere ahenea. Ahenea vocauit Saturnia, id eſt priſca. Quia vſus æris à Saturno, & Saturni ærarium. Addunt gloſſæ, Saturnum æreis vaſis placari ſolitum.

IMPVLIT.

Loco mouit. T. Liuius. *Impulſa frons prima*, nempe aciei.

VESTALESQ. VRNAS.

Quæ & ipſæ inuentum Numæ regis. Vrnæ veſtales ad lauacrum Veſtæ, vt Propertij eleg. iv. lib. iv. Ouid. Faſtor. iij. Dionyſ. lib. j. Iuliani Cæſaris hymno Solis. Et fragmento de origin. gent. Rom.

ET TVSCVM FICTILE.

Deos fictiles. Propert. eleg. j. lib. iv. Plin. c. xij. lib. xxxv. T. Liuius lib. xxxiv.

Vaſa vero fictilia etiam ſuo ſæculo in libationibus Romæ vſurpata Dionyſ. notat lib. ij. vbi quod eſt ἐν ὀστρακίναις κυλίσκαις, meliùs ἐν ὀστρακίναις κυλίχναις. Tangit & Porphyr. lib. j. περὶ ἀποχῆς. Et Valer. Max. c. iv. lib. iv. Apuleius Apologia priore.

MVTAT.

Mutauit, vt Æneide iij. *Fumat*, pro fumauit. Sic Terentij. Adelph. *Enarramus*, pro enarrauimus. Ouid. Triſt. eleg. ix. lib. j. *Petit*, pro petiit.

O CVRVÆ IN TERRAS ANIMÆ.

Tanquam pecudes. Pacuuius apud Varronem iv. de ling. Lat. *Incurnicerui cum pecus.*

QVID IVVAT HOC.

Meliùs, *Quid iuuat heu.*

EX HAC PVLPA.

Et tanquam bona diis dare, ex pulpa, ſiue eſca & pabulo, cupiditatis noſtræ & corruptelæ. Cupiditatis & corruptelæ pulpa multiplex, vt aurum, vnguenta, purpura.

HÆC SIBI.

Ex pulpa eadem & vſus vnguenti. Apage ad Fabulinum Deum & Ouidij, qui ex pulpa iſta feminas fecêre. &, *hæc*, inquiunt, *mulier*, vt etiam mox paullo, cum ait, *Hæc baccam.* &c. *Eſt alia*, inquiunt, *mulier.*

CORRVPTO OLIVO.

Vnguentum quaſi corruptela eſt olei. Virgil. ij. Georg.

Nec caſia liquidi corrumpitur vſus olivi.

Vbi Seruius Corrumpi oleum ex quo fit vnguẽtum. Olei enim vſus eſt multiplex: vnguenti vnus, deliciæ. Sic & colorum mixtura, quaſi corruptela eſt. Plutarch. lib. de E, Delphico. Τὰ μιγνύμενα τῶν χρωμάτων οἱ βαφεῖς φθείρεσθαι, καὶ φθορὰν τὴν μῖξιν ὀνομάζουσι. *Colores qui miſcentur, infectores corrumpi aiunt, & mixturam, corruptionem vocant.* Nemeſius c. iij. de natura hominis. Καὶ ἡ κρᾶσις δὲ τοῦ οἴνου καὶ τοῦ ὕδατος, ἀμφότερα συνδιαφθείρει. *Mixtura vini & aquæ vtraque corrumpit.* Sic & Propert. eleg. xx. lib. ii. Itaque & Athenæus lib. xv. Λακεδαιμόνιοί τε ἐξελαύνουσι τῆς Σπάρτης τοὺς τὰ μύρα κατασκευάζοντας, ὡς διαφθείροντας τὸ ἔλαιον· καὶ τοὺς τὰ ἔρια δὲ βάπτοντας, ὡς ἀφανίζοντας τὴν λευκότητα τῶν ἐρίων. *Lacedæmonij item de Sparta ſua vnguentarios expellunt, tanquam olei corruptores; & lanarum infectores, vt qui lanarum corrumpant albitudinem.* Eadem de re & L. Seneca cap. vlt. lib. iv. Natural. Quæſt. & Clemens Alexandrin. Pædog. c. x. lib. ij. vbi εὐνομουμένας πόλεις dixit, intelligens Spartam, vt patet Stromat. lib. j.

CASIAM DISSOLVIT.

De vnguento ex caſia Seru. ad ij. Georg. Plin. c. xix. lib. xii.

HÆC CALABRVM VELLVS.

Lanam Tarentinam, quæ optima. L. Varro c. ii. lib. ii. de re ruſt. Plin. c. xciix. lib. iix. Iun. Columel. c. iv. lib. vii.

Notauêre aliqui natiuum huic lanæ colorem purpuræ fuiſſe, vt Tertyllianus Pallij c. iii. Plinius loco antedicto. *Tarentum habet oues ſua pugillinis.* Melius, *ſua ferruginis.*

COXIT.

Coquere pro tingere ſiue inficere purpura, vt iii. Georg. Martial. epigr. xxcv. lib. ii. Perſius fine huius Satyræ. I. Plin. c. xxxiix. lib. ix.

VITIATO MVRICE.

In aliis lanis albus color vitiatur: in Tarentinis & Bæticis murex ipſe natiuus, vt locis antedictis. Corruptores itaq. lanarum ij qui lanas ſufficiunt, ſiue vitiatores vt Athenæi & Clementis loco prædicto.

HÆC BACCAM CONCHÆ RASISSE.

Explicant gloſſæ. *Radere margaritas de conchis marinis.* Sed poteſt intelligi, vniones repurgare à callo. De qua purgatione Plin. c. xxxv. lib. ix. Radere autem de conchis, non eſt pretij maioris, ſed vilitatis. Viliores enim margaritæ ſunt quæ ſic raduntur, nempe tympania. Plinius loco eodem.

Benè autem conchæ baccam pro vnione, vt Virgilij Culice.

———— ———— Indi Conchea bacca maris ————

ET VENAS.

Venas ex camino fluentes. vt *manare venas argenti & auri* Lucretius dixit lib. v. Et Virg. ii. Georg. Incendio nempe fluunt hæ venæ tanquam ex camino. Sed propriè nunc de camino, & conflatura Perſius,

de qua & D. Cyprianus, ſiue quiqui auctor eſt lib. de laude martyrij. Vbi quod eſt, *diues flama eligitur.* melius fuerit, *eliditur.* Non quia non proba vox eo ſignificatu *eligitur*, ſed quia priſca & in illius ſcriptoris linguam vix conueniens.

STRINGERE.

Ramenta enim auri argentiq. ſtringuntur ſiue coartantur in maſſam, & conflantur. Rutil. Numat. Itinerarij lib. j.

Non Biturix largo potior ſtrictura camino.
Nec qua Sardonio caſpite maſſa fluit.

Hinc riui ſtricturæ Iſidori c. xvii. lib. xvi. vbi malè, *ſtructuræ.* Stricturæ ſunt maſſæ. Seru. ad Æneid. iix. Gloſſæ, Stricturæ μέταλλον. Sed reprehenſus à non nemine Perſius eſt, tanquam acyrologus, ſiue locutor improprius, qui *ſtringendi* vocabulum de auro & argento vſurpet, cum ſit domicilium eius proprium in ferro, vt C. Plinius obſeruauerit, c. xiv. lib. xxxiv. Itane Perſius etiam ipſe vapulat? Quo iure, an ſtratiotico? Dixit Plinius ſtringi propriè ferrum, quia ſtringitur in aciem. Sed anne idcirco negauit, cetera quoq. metalla ſtringi in maſſas? An non horum maſſæ dicuntur *ſtrictura*, vt oſtendi?

FERVENTIS MASSAE.

Feruens maſſa aurum fluens ex camino: ſed propriè maſſa cum deſiit fluere. L. Iſidor. c. xvii. lib. xvi.

DE PVLVERE CRVDO.

Auri terra, puluis crudus, comparatione auri maſſæ, nam hæc cocta eſt. Plin. c. iv. & ſeq. lib. xxxiii. Prudent. hymno D. Laurent.

Quod terrulentum ac ſordidum,
Flamis neceſſe eſt decoqui.

Auri argenti, æris terram Plinius dixit c. vj. lib. xxxiii. & arenas c. iv. Sed propriè quidem auri terra, eſt balluca, l. j. & ſeq. C. De metallar. iii. C. Theodoſ. cod. Gloſſæ γνήσιον χρυσοῦ ἀκαθάρτου, *Balluca.*

VITIO TAMEN VTITVR.

Ex eadem pulpa aurum in templis, auri, argenti maſſæ: ſed hoc illo minus vituperabile. Nam huius quidem aliqua vtilitas, nempe in contractibus: at illius quod in templis, vtilitas nulla.

IN SACRO QVID FACIT AVRVM?

Ail. Lampridius in Alexandro. *In templis*, inquit, *ſanè nunquam præter aut quinq. argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam poſuit, ſuſurrans verſum Perſij*

———in ſanctis quid facit aurum?

Non diſſimili poſtmodo mente Nicephorus Imperator. De quo Cedrinus. Τοὺς ἀπ' αἰῶνος ἀναθέντας τῷ θεῷ χρυσᾶ ἢ ἀργυρᾶ σκεύη ἔψεγε, καὶ τὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἱερὰ κοινοῦσθαι ἄξιον ἐδογμάτιζε. *Vituperabat qui poſt homines natos vaſa aurea argenteáue Deo conſecrauiſſent; cenſebátque omnia templorum donaria in vſus profanos verti verum eſſe,*

Sed & anterior his Plato xii. de legib. *χρυσὸς καὶ ἄργυρος ἐν ἱεροῖς ἐπίφθονον κτῆμα.* Tullius ex Platone ij. de legibus. *Aurum & argentum in fanis inuidioſa res eſt.* Plato Alicibiade ij. & Eutyphrone. Lactant. c. xxv. lib. vj. c. iv. lib. ij. Iſidor. Peluſ. epiſt. xxchx. lib. ij. Sed nemo de hoc [illegible]. Perſij Poetæ verſu deq. hac ſententia melius quàm D. Bernardus Apolog. ad Guilielm. Abbat.

QVOD VENERI DONATAE A VIRGINE PVPPAE.

Ritus priſcus, de quo ſic Acro ad Sat. v. lib. j. *Solebant pueri poſtquam pueritiam excedebant, dijs Penatibus bullas ſuas conſecrare, ſimiliter puellæ pupas.* De ritu illo & Gloſſæ veteres in hunc locum. Gloſſæ Philox. *Puppa πλαγγόνες, αἱ τῶν παρθένων νύμφαι.* Marcell. in *Pupa.*

QVIN DAMVS ID SVPERIS.

Primitius Felix. *Litabilis hoſtia bonus animus, & pura mens, & ſincera conſcientia.*

Profert hunc Perſij locum Priſcian. c. iij. lib. ix.

DE MAGNA QVOD DARE LANCE.

Dixi, vbi & de *tacita acerra.*

MAGNI MESSALLAE.

Tangere videtur cognomentum Meſſalarum, *Maximus.* Macrob. Saturn. c. vj. lib. j. Faſti.

LIPPA PROPAGO.

Lippa hæc propago, Valerius Cotta Meſſalinus, qui lippus ambifariam & oculis & animo. Narrant gloſſæ veteres. Dioni lib. lv. eſt M. *Valerius* M. F. *Meſſala, aut Meſſalinus.*

COMPOSITVM IVS FASQ. ANIMI.

Ius humanum, fas diuinum. Profert Lactant. ad Thebaid. ij.

SANCTOSQ. RECESSVS MENTIS.

Receſſus tacitæ cogitationes, vt Tullij Cæſariana j.

ET INCOCTVM PECTVS.

Profert & interpretatur Lactant. c. ii. lib. vi. Sic Tertyllian. lib. de cultu feminar. *Succis herbarum, & concharum alueis incoquere lanas.*

Incoctum valde coctum. *Impotens* valde potens. Cariſius lib. ij. *Inmedicatum os*, valde medicatum. Apuleius Apolog. ſiue actione ij. *Inpromiſcuus*, valde promiſcuus. A. Gell. c. vii. lib. j. *Inſegnes*, valdè ſegnes. Gloſſæ Philox. *Inſegnes, ἀδρανεῖς.* *Inpranſus* probe ſatullus, apud Horat. epiſt. xv. Sic & *incoctum* pro validè cocto identidem apud Marcellum Empiricum, vt c. j. iv. xxii.

At *incœnare* Suetonij Tiber. cap. xxxix. eſt Atticum, pro cœnare. Ἐμφαγεῖν pro φαγεῖν, ἐνδυστυχῆσαι, ἐμβρέχω. Interpr. Ariſtophani ad Veſpas.

GENEROSO HONESTO.

Generoſo interpretatus Lactantius, *naturali.* Sic & Græce γενναῖον, τὸ μὴ ἐξιστάμενον τῆς φύσεως. Ariſtotel. c. j. lib. j. hiſtoriæ animal. *Quod à natura ſua non abit.* Similiterq. c. xv. lib. ii. ad Theodect. Generoſum

itaq. honeſtum quod animis inditum à natura. Tull. Dial. de partit. *Eſt genus hominum ad honeſtatem natum*, &c. Ne rectè in hunc Perſij locum de generoſo gloſſæ, veteres. Gloſſæ nouæ, aut potius noui λόγων διάρροιαι prorſus extra oleas, vt adſolent.

VT ADMOVEAM TEMPLIS.

Admouere verbum ſacrorum, vt exempla vbiq. in oculis. Sic Iul. Pollux c.j. lib.j. ἱερεῖα προσάγειν βωμοῖς.

ET FARRE LITABO.

Hinc illud Primitio Felici *Litabilis hoſtia*, &c.

Far autem pro mola ſalſa, nota res. Far nempe pium. Sic far pium, mola ſalſa Arnobij lib.ij. Aſconij ad iij. Verrinam, Seruij ad Eclog. iix. Marcell. in *Ador*.

SATYRA III.

NOTANT gloſſæ veteres tranſlatam eſſe hanc Satyram *ex Lucilij lib.iv. caſtigantis diuitum luxuriam & vitia*. Sed Lucilius in diuitiis & vitiis potentes inuectus generatim: Perſius ſpeciatim mucronem ſtili ſui ſtringit in adoleſcentes diuites, Stoïcę philoſophiæ ſtudia profeſſos, ſed ignauia torpentes, profluóſq luxu & delitiis.

Tractatum verò principium ſatyræ quaſi dialogiſmo & perſonis, vna doctoris ſiue philoſophi Stoïci, non vt gloſſę notant, pædagogi: altera diſcipuli, ſiue candidati philoſophiæ.

NEMPE HOC ADSIDVE.

Orditur Stoïcus à reprehenſione conſuetudinis prauæ dormiendi in lucem, ſiue de die, ſiue in medios dies.

Eorum qui philoſophiam docebant Romæ genus duplex. Vnum eorum qui veniebant ad ianuam; quod Græcis, ἰέναι ἐπὶ θύρας. Tales philoſophi apud Laërt. in Ariſtippo. Eoſdem & A. Gellius pingit c. x. lib.vj. *At nunc*, inquit, *videre eſt philoſophos vltro currere vt doceat, ad fores iuuenum diuitum, eóſque ibi ſedere atque operiri, prope ad meridiem, donec diſcipuli nocturnum omne vinum edormiant*. &c. Alterum genus eorum qui domeſtici, & in comitatu ipſo diuitis, qualis philoſophus nunc Perſij. Itaq. dicitur poſt paullò, *comes*. *Vnus ait comitum*— ſcilicet, magiſter philoſophiæ Stoïcus qui in comitatu.

IAM CLARVM MANE.

Imitatus Auſonius Ephemeride.

Mane iam clarum reſerat feneſtras.

ET ANGVSTAS EXTENDIT LVMINE RIMAS.

Martian. Capella fine lib. ij.

Aurora primo conuenuſtans habitu
Surgens feneſtras diſſecaret lumine.

Lege.

Aurora primo cùm venuſtans habitu
Surgens feneſtras diſſicaret lumine.

Lumine rimæ feneſtrarum quaſi extenduntur, & diſſicantur, quia diffuſio fit lucis, ſiue radiorum ἔκχυσις, de qua Tullius epiſt.iii. lib.ii. ad Atticum.

QVOD DESPVMARE FALERNVM SIT SATIS.

Tantum ſtertis, quantum ſatis ventriculo, vt deſpumet in eo vinum, ſiue deferueſcat, & concoquatur. Deſpumat vinum in ventriculo, quaſi dolio, ſiue ἀποπλύζ, vt Geoponicis lib.vi. Sic *deſpumare*, L.Senecæ epiſt.lxiix. D.Hieronymi lib.ii. in Iouinian.

INDOMITVM.

Eleganter, *Falernum indomitum*, pro mero. Vinum aqua temperatum, quaſi domitum eſt, & innocens: merum, indomitum & nocens. Itaq. Plato vi. de legib. iubet. Μαινόμενον θεὸν ἑτέρῳ θεῷ νήφοντι σωφρονίζεσθαι κολαζόμενον. *Furentem Deum caſtigari plectiq. adhibito alio numine ſobrio.* Furens Deus Bacchus, ſobrium numen Nymphæ. Profert & Plutarchus, lib. An ſeni capeſſ. reſpubl.

Indomitum autem peculiariter Falernum, quia difficulter concoquitur. Athenæus lib.j.

DVM QVINCTA LINEA.

Lineas audi, quib. horæ notatæ in ſolario, ſiue horologio ſciaterico. Lineæ quæ proficiſcuntur ab vmbilico ſiue gnomone ſolarij, notæ, quæ indicant horarum numeros. Auſon. Ephemeride.

Ad quinctam flectitur vmbra notam.

Linea, ſiue nota quincta, quæ meridiei proxima. Meridies enim hora ſexta, Ergo & Perſius hoc lineæ quinctæ tempus quaſi pænè meredianum depingit,

———*Patula pecus omne ſub vlmo eſt.*

TANGITVR VMBRA.

Quæ proficiſcitur ab vmbilico ſiue gnomone, ſiue clauo, vt loquitur Iſidor. c. propenult. lib. vlt. *A clauo*, inquit, *per lineam currit vmbra.*

INSANA CANICVLA.

Inſana, vel quia in rabiem agit canes, Plinius c. xl. lib. ii. c. xl. lib. iix. vel quia & ipſa rabere videtur, radij ſui æſtu vehemente. Itaq. Horatius eam *furere* dixit Oda xxix. lib. iij. vel quia multi eo tempore homines ægrotant. Homerus Iliade xxij. vbi & Euſtath. notat icirco καύσους ſiue καύσωνας, ſiue febres ardentes quæ ſub cane, vocari loquelariter κυνοκαύματα, quaſi æſtus caninos. Legend. Ariſtot. Probl. iij. Tomi j. Seru. ad Æneid.iii.

ij. & *vitream bilem* Perſio, vt Horatio, *ſpendidam bilem* eſſe ait tralucentem, quia irati nihil cælant. Sic vitreæ togæ multitiæ ac perlucentes, Varroni apud Marcell. in *Vitream*, & in *Tunica*. Et Horatio futilitas, *perlucidior vitro*, Oda xiix. lib. j.

Sed meliùs in Aduerſar. c. xxiij. lib. xxiij. *vitrea bilis*, & ſplendida quæ in ore ipſo enitet, vnde & nomen excandeſcentiæ: aut quæ cito vaneſcit frangitúrque vt *vitrea fracta* Petronij, & vitrea fama Horatij Sat. iij. lib. ij. At vitreæ bili pro aperta, locus hic nullus, nihil enim arcani prodit.

FINDOR VT.

Alij libri *Finditur*, *Arcadia*, &c. Vtriſq. mens eadem. Findor, enallage, pro finditur. Finditur, inquit Stoicus, ebriolus hic rudens vt Arcadica pecus. Qui clamat, oris hiatu quaſi finditur. Ne rectè in Aduerſ. c. xxij. lib. xxiij. de bile interpretati, refellit ἀκολουθία.

ARCADIÆ PECVARIA.

Profert Lactant. ad Papinij Thebaid. iv. & Arcadiæ pecuaria inquit à Perſio dicta, quia Phylios Arcadiæ regio, *abundet egregio pecore*, Veriùs dixeris, Arcadiæ pecuaria, aſinos. Arcadia, aſinorum patria in Græcia, in Italia Reate. Varro c. j. lib. ij. de re ruſt. Plinius c. xliij. lib. iix.

Comparat autem eleganter Flaccus hic Perſius, cum illis Arcadiæ ciuibus, hunc Arcadicum iuuenum.

RVDERE DICAS.

Ita Seruius ad iij. Georg. Sed idem, *credas* ad Æneid. iix.

IAM LIBER.

Pergit Stoicus.

ET BICOLOR MEMBRANA.

Explicat Iſidor. c. x. lib. vj. Bicolor ſcilicet membranum eſſe luteū, ſiue tinctum aut crocatum parte vna. Dixeris apertiùs. Bicolor membrana introrſum candida, extrorſum lutea purpureáue.

Et accipe membranam croceam purpureámue, qua inuolutus liber, vt Tibulli eleg. j. lib. iij.

Lutea ſed niueum inuoluat membrana libellum.

Et de purpurea Ouid. eleg. j. lib. j. Triſt.

Nec te purpureo velent vaccinia ſucco.

Martial. libello ſuo epigr. ij. lib. iij.

Et te purpura delicata velet.

Et epigr. vj. lib. v.

Quæ cedro decorata, purpuráq.
Nigris pagina creuit vmbilicis.

Papinius de libello ſuo Silua vlt. lib. iv.

Noſter purpureus nonnſq. charta.

Lucian. ad imperitum libros emturientem. Βιβλίον πάγκαλον, πορφυρᾶν μὲν ἔχον τὴν διφθέραν, χρυσοῦν δὲ τὸν ὀμφαλόν. *Libellus pulcherrimus, purpurea velatus membrana, & aureum habens vmbilicum.* Et libro de philoſophis mercenariis. Ὅμοιοι τοῖς καλλίστοις βιβλίοις, ὧν χρυσοῖ μὲν οἱ ὀμφαλοὶ, πορφυρᾶ δ' ἔκτοσθεν ἡ διφθέρα. *Similes pulcherrimis libellorum, quibus aurei vmbilici, & purpurea extrorſum membrana.* Hinc & διφθέρα ſiue membrana pro libello ipſo. Gloſſæ διφθέρα, *membranum, codex.*

POSITIS CAPILLIS.

Expolita pumice, vt Catullus donatione libri ſui ad Cornelium. aut, *æquata pumice*, vt idem ad Varum Tibull. eleg. j. lib. iii.

Pumex & canas tondeat ante comas.

Martial. epigr. lxxii. lib. iix.

——— *Aſperóq.*

Morſu pumicis aridi politus.

Sic & pumicatæ frontes libri. Ouid. eleg. j. lib. j. Triſt. Martial. epigr. lxvii. lib. j.

INQ. MANVS CHARTÆ.

Liber velatus membrana, in libro chartæ. Tibull. eleg. j. lib. iii.

Lutea nec niueum inuoluat membrana libellum.

Niueum chartis quarum laus *candor*. Plin. c. xij. lib. iii. Papin. Silua vlt. lib. iv.

Noſter purpureus, nouuſq. charta.

Hinc & chartæ pro libris populariter, ſiue ἐν τῇ συνηθείᾳ. l. lii. §. ij. Delegat. iii. Catull. Procemio. *Tribus chartis*, id eſt, tribus libris. Etiã *chartæ* pro inſtrumentis & epiſtolis, vt Capitul. Caroli M. CLIIX. lib. j. xxxiix. lib. iii. cciix. lib. vj. In libros exſcripſere de tabellis ceratis nempe, *ad purum*, vt loquitur D. Hieronym. Apol. iii. in Ruffinum. ſiue, *in mundum*, vt l. xvii. C. De fide inſtrum. εἰς χάρτην καθαρόν. vt Nouel. xliv. c. vlt. Aliqui tamen & *libri liturarij*, vt Auſonij Procemio Centonis nupt.

NODOSAQ. VENIT ARVNDO.

Venit, quaſi non cupienti, neq. ſumenti.

TVM QVERIMVR.

Pergit Stoicus. Tum queritur nugo ille atramentum aut craſſum nimis aut dilutum eſſe, aut calamum vitioſum.

VANESCAT SEPIA.

Sepiam dixit pro atramento, vt & Auſon. epiſt. iv. Iſidor. Gloſſis *Sepia incauſtum. Perſius*, &c. Intelligi vult hoc in loco, ſic vſurpari à Perſio. Sed propriè quidem ſepiæ humor non eſt atramentum. L. Plin. c. vj. lib. xxxv. quanquam & dicitur atramentum propter nigrorem, vt Plinij c. x. lib. xxxiii.

QVOD FISTVLA.

Vt *calami ſcriptorij fiſtulam* dixit Marcell. Empir. c. x.

HVCCINE RERVM VENIMVS?

Huccine rerum voluptariarum, ſiue huccine deliciarum, vt contra Æneide. i. *Feſſi rerum*, nempe aduerſarum.

AT CVR NON PÓTIVS.

At tu tantarum deliciarum, ſiue qui has delicias facis, & ambages quæris, quin potiùs apertè negas te velle philoſophari, ſiue reſpuis philoſophiam, vt *albulus columbulus Dionæus*, aut vt regis, ſiue beati, aut diuitis puerculus in crepundiis reſpuit papparium, aut lallum?

TENEROQ. COLVMBO.

Sic & Seruius legit ad Æneid. v. Alij libri, *palumbo*. Neutri malè. Nā & palumbi ſiue palumbes in deliciis, & palumborum genus quoddam regium. Ailius Lamprid. in Diadum. *Aquila ei palumbum régium adtulit*. Omen hoc nempe imperij. Regum itaque pueris conuenientes palumbi, rectéq. Perſius palumbos & regum pueros iunxit. Et columbi quoq. in deliciis, albi maximè. Vt ille Valerij Catulli epigr. xxvii.

———*albulus columbulus Dionæus*.

PAPPARE MINVTVM POSCIS.

Vt puerculi regum, pappare ſiue papparium recuſant, quia non ſat minutatum, aut præmanſum: lallum autem, ſiue nutricis næuiam, quia irati ſint.

Propriè, *pappare minutum*, vt Tullius ii. de orat. *minima manſa*. Sic Lucil. *Manſum ex ore daturum. Manſum* præmanſum, non vt Marcellus explicat, mandendum. Et intellige Lucilium dicere μέλλειν ἀποπελαργεῖν.

Papparium M. Seneca dixit Controuerſ. i. & lib. ii. *Pappo* eſt mando ſiue μασῶμαι, Plauti Epid. Sc. vlt. Gloſſæ, *Pappat* μασᾶται. Pappo autem à nomine *Pappa* qui lingua infantulorum eſt pater, vt Ariſtoph. Pace, & Veſpis. Ergo & nutricios, ſiue alerios, *Papas* vocauere. Iuuenal. Sat. vj. Nutricius enim ſiue patrimus quaſi pater eſt, nutrix quaſi mater. D. Hieronym. epiſt. j. *Nutricius, ſecundus poſt naturalem pietatem pater*. Vetus inſcriptio. *Nutricio ſuo & matri*, id eſt, nutrici. Sic *pater* & *mater* pro nutricio & nutrice l. j. §. vlt. D. De obſeq. par. præſt. Gloſſæ Iſidori. *Pappas, pædagogus qui ſequitur ſtudentes*. Et Gloſſæ veteres ad Iuuen. Sat. vii. *Pædagogi papati*, meliùs, *Papæ*.

Pappa, etiam cibus infantulorum Varroni apud Marcell. in *Buas*. Qui cum ex Lucilio adſcribit, *vini buas*, fortè an meliùs apud Lucilium legiſſet, *vini bias*.

Dixi *Pappare* eſſe mandere, intellige identidem mandere, nam hoc μασᾶσθαι. Diomedes c. iv. lib. j. *Propriè autem quod Græci dicunt μασῶμαι, hoc eſt identidem mando*. Sic ibi legendum. Illud autem. Ταυτὸ χάος, κόσμος, poſt ſcribendum ad verba illa. *Cohaum enim apud veteres mundum ſignificat*. Ταυτό χάος κόσμος.

ET IRATVS MAMMÆ.

Plato iv. de Reip. Τὰ παιδία θυμοῦ μὲν εὐθὺς γενόμενα, μεστά ἐστι. *Puerculi vt primum editi, pleni ſtatim iracundia.* *Mamma* autem vel vberi, vel nutrici, vt inſcriptio vetus. *Mammæ ſuæ B. M. Fec.* 1. nutrici vel matri, vt Varro apud Marcellum in *Buam*, atque ita Græci, μάμμαι vetres notiſſima ex Helladio apud Photium in Bibliotheca. Item aliis

LALLARE RECVSAS.

D. Hieronym. epiſt. i. *Antiquum referens mammæ lallare, congeminet.* Benè, *congeminet. Lallus* enim, vt Auſonius vocat, nihil aliud quam geminatio eſt vocis, *la.*

Benè autem Ariſtoteles, ſiue is Alexander eſt, problem. xxxiix. lib. xix. ῥυθμῷ καὶ μέλει χαίρειν τὰ παιδία εὐθὺς γενόμενα. *Numero & cantu gaudere puerculos, vt primùm editi.*

AN ISTO STVD. CALAMO.

Horat. Sat. iii. lib. ii. *Culpantur fruſtra calami.*

CVI VERBA.

Ex Horatij Sat. iii. lib. ii.

QVID ISTAS SVCCINIS AMBAGES.

Succinis, tanquam tibia ſiniſtra, ſiue ſuccentiua. Argutè dictum & condignè Perſij ſtilo, quem non capiunt hypercritici. Tibia dextra, incentiua: ſiniſtra, ſuccentiua. Varro c. ii. lib. i. de re ruſt. Incinit nempe hic philoſophiæ magiſter, ſiue Stoïcus: ſuccinit beatulus hic, ſiue diſcipulus. Præcepta induſtriæ & ſapientiæ incinit magiſter: diſcipulus ambages ſuccinit & fruſtrationes. Ergo neque ſymphonia ſiue σύνῳδον naſcitur, ſiue nulli progreſſus fiunt. Hinc itaque ſuccinere pro reſpondere, aut adſentiri, vt Varronis cap. i. lib. ii. de re ruſt. Horat. epiſt. xvij. At muſteus liber poſtea, *Succinere*, inquit, *eſt ſæpe reſpondere.* Sed hoc vt alia omnia illius ſiue muſtei, ſiue muſtacei, miſſa facio ego, nam alieniſſimis alieniora ſunt.

TIBI LVDITVR.

Gloſſæ explicant, *teipſe illudis.* Meliùs, Tibi ego ludo, nempe vt tibia incentiua, ſiue incino tibi: at tu effluis, ſiue futilis es, ſiue nihil capis.

CONTEMNERE.

Daturus nempe olim ſpecimen ſapientiæ.

SONAT VITIVM.

Contemnêre vt fidelia, quæ ſono, ſiue tinnitu ipſo vitioſa deprehenditur. *Sonat vitium*, vt mox, *malignè reſpondet.* Contra, *ſolidum crepare.* Sat. v. Dolia explorantur pulſatione & ſono. vt Sat. v.

——— *Pulſa dignoſcere cautus*
Quid ſolidum crepet ——— Anatolius Geoponicis cap. iij. lib. vj. Dolia probari à nonnullis τῷ κρουσθέντας ἀποδοῦναι

ἠχόν τινα ὀξὺν καὶ τόρον. *Si pulſatum reddat ſonum acutum & tinnulum.* Sic apud Stobæum Sermone ccxcvj. Ρωμύλος, τὸ μὲν κεράμιον ἐκ τοῦ κόπου ἔφη δοκιμάζεσθαι: τὸν δὲ ἄνθρωπον ἐκ τοῦ λόγου. *Romulus, fideliam quidem ait pulſatione probari: hominem autem ſermone.* Lucian. in Paralitica. καθάπερ αἱ πονηραὶ χύτραι, διακρουόμεναι σαθρὸν ἀποφθέγγονται. *Quemadmodum ollæ nequam, pulſatæ, reſpondent nequiter.* Tangit & Ariſtoteles fine libri περὶ ἀκουστῶν. Hinc κροῦσις pro exploratione ſiue ſpectione, ſiue δοκιμασία. Suidas in Κροῦσις.

VIRIDI NON COCTA FIDELIA LIMO.

Quam figulus non coxit ante quàm limus areſcens, rimas ageret. *Viride*, vdum. vt mox. *Vdum & molle lutum es.* Sic χλωρὸν pro ὑγρόν. Sophocles Trachiniis χλωρὰν ἄχνην δακρύων. Euſtath. ad Iliad. ij.

SED RVRE PATERNO.

Sed dixeris, inquit Stoicus, eſſe tibi cenſum.

PVRVM ET SINE LABE SALINVM.

Purum, ſale puro: *ſine labe*, Splendens, exterſum. Horat. Sat. iij. lib. j. *Concha ſalis puri.* Et Oda xvj. lib. ij. *Splendens ſalinum.* Tale autem ſalinum, pro *mundo victu* accipitur, quem vocat Horat. epiſt. iv.

CVLTRIXQ. FOCI SECVRA PATELLA.

Mundo victu, i iuncta patella. Mundus victus elegantiæ: patella religionis. Patellam adpoſuere in menſa, vt ante cœnam partes in eam de cœna darent, quæ diis penatibus ſiue domeſticis libarentur. Vt adponi patellæ poſſent, pediculis ſuſtinebantur. Valerius Max. c. iv. lib. iv. *C. Fabricius patellam ſuam corneo pediculo ſuſtineri voluit.* Varro apud Marcell. in *Patella. Quocirca oportet bonum ciuem legib. parere, & Deos colere, in patellam dare* μικρὸν κρέας. Plutarch. lib. de fort. populi Rom. Παρθένον τὴν Ὀκρισίαν ἀπάργματα καὶ λοιβὴν ἑκάστοτε λαμβάνουσαν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης ἐπὶ τὴν ἑστίαν κομίζειν. *Ocriſiam virginem, quotidie de menſa regis libamina ſumentem atque exſta, ferre ſolitam ad focum.* Ad focum nempe vbi lares, deferebatur patella. Itaque nunc Perſius *patellam foci cultricem* vocat. Et Dionyſ. lib. iv. ἐφ' ἑστίας συντελεῖσθαι, τὰς ἀπὸ τῶν δείπνων ἀπαρχάς. *Ad focum fieri libationes de cœna.* Partes ibi de patella in ignem ſoliti imponi, ſiue adoleri Plutarch. loco prædicto. τῷ πυρὶ τὰς ἀπαρχὰς ἐπιβάλλειν. *Igni imponere libamina.* Silius lib. vij.

——Ac primum Veſtæ deterſit honorem
Vndique, & in mediam iecit libamina flamam.

Deterſit, decerpſit vndique de omni parte cœnæ. Laribus nempe libationes illæ, & Veſtæ. Veſtæ vt loco illo Silij, Ouidij vj. Faſtor.

Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.

Laribus, vt Tibulli eleg. 1. lib. j.

——nec vos di paupere menſa,

atria dicunt, voluere, opinor, multiplicationem atriorum exprimere. Sic Papinius Thebaide ij.

——————Læto regalia cœtu
Atria complentur. Species eſt cernere auorum
Comminus, & viuis certantia vultibus æra.

Mutari nihil hic debuit, nam *æra* Græcanico ritu dixit, Romano dixiſſet *ora*. Tangitur quoq. atriorum multiplicatio epiſt. iij. lib. ij. ad Q. Fratrem.

VEL QVOD TRABEATE.

Admonet Priſcian. c. vlt. lib. xvij. eſſe pro, *trabeatus*. Trabeatus autem eques Romanus. Equites trabeati in pompis, vt tranſuectione Dionyſ. lib. vj. T. Liuij fine lib. ix. Valerij c. ij. lib. ij. In funere Germanici apud Cornel. Tacit. annali iij. In epulo Domitiani, Papin. Silua ij. lib. iv. Eidémq. Silua ij. lib. v. *Trabea* Remi, pro ordine equeſtri.

CENSOREM TVVM SALVTAS.

Salutas in tranſuectione. Duplex Romæ equitum luſtratio. Cenſio & Tranſuectio. Cenſio quinquennalis ſiue luſtrica; Tranſuectio ſollennis ſiue annua. Itaq. Dio in Nerone vocat ἐτησίαν ἐξέτασιν. *Annuam recognitionem.* In cenſione reſpondebant equites cenſori: in tranſuectione cenſorem ſalutabant. In cenſione rogare ſoliti cenſores equitem, vt, ecquid legitima ſtipendia confeciſſet? docebat eques ſe confeciſſe. Patet in Plutarch. Pompeio. Interrogabant item, cur equus ei ſtrigoſus, ſi talis forte videretur. A. Gellij c. xx. lib. x. c. xij. lib. iv. c. vlt. lib. vij. Item alia interrogati equites. At in tranſuectione tantùm recogniti equites, & ſalutati ab eis cenſores. In cenſione equites ſine trabea: in tranſuectione trabeati, vt prædixi. In cenſione pedibus veniebant, equum publicum manu ducentes, Plutarch. Pompeio. Liquet idem & imagine quæ in nummo Imp. Claudij: in tranſuectione in equis albis ſedentes, & oleæ termite coronati, ab æde Martis extramurana tranſibant per forum, & ante Caſtorum ædem, atque inde rectâ in Capitolium, & in tranſitu cenſores ſalutabant præſidentes in tribunali, & ſellis curulibus in foro ante Caſtorum ædem. Liquet narratione Dionyſij lib. vi. Tangit & Vlpianus l. ii. D. De in ius voc. & auctor de viris inluſtrib. c. xxxii. Sueton. Auguſti c. xxxiix. Plinius c. iv. lib. xv. Inquit auctor ille virorum inluſtrium, *Ab æde honoris.* Magis Dionyſio fides apud me, qui ab æde Martis extramurana, ἀφ' ἱεροῦ τινὸς Ἄρεως ἔξω τῆς πόλεως ἱδρυμένου. Maior, inquam Dionyſio fides, notat enim vectos in equis, ὡς ἐκ μάχης ἥκοντας, *quaſi victores è pugna reuertentes*, & tranſuectionem illam eſſe quaſi monimentum victoriæ de Latinis nunciatæ Romam à Dioſcuris. Conueniens itaque pompæ illius proceſſio, ex æde Martis Dei bellici.

Dixi equites tranſuectos in equis. Equi illi ſine ſtrato, ſiue ephippio, ſiue veſte ſtragula, ſiue dorſuali. Priſco id quidem ritu: ſed principe Nerone, magis magiſque creſcente luxu equi illi ſtrati. Dio in Nerone.

Λέγεται δ' ὅτι καὶ οἱ ἱππεῖς, οἱ ἐκ τοῦ τέλους ἐπὶ αὐτοῦ πρῶτοι ἐφ' ἵπποις ἐν τῇ ἐτησίᾳ σφῶν ἐξετάσει ἐχρήσαντο. *Aiunt & equites primum ſub iſto*, nempe Nerone, *in annua eorum recognitione vſos ephippys*. Male ibi ἐφ' ἵπποις, pro ἐφιππίοις. Quam tamen tuentur aliqui lectionem. Nam, inquiunt, ephippiis vſi iam olim etiam vulgo. Sanè, extra tamen quàm equites. Nam his in ſollenni tranſuectione, & cenſione luſtrali equus ſine ſtrato ex vetere diſciplina. Sic Varroni ex priſco ritu equus ſine ephippio. Marcellus in *Ephippium*.

Reſtat ſcrupulus vnus. Ait ſcriba ille virorum inluſtrium, *albis equis inſidentes*, Corrigunt, alii equis inſidentes. Fundus illi correctioni quod ſupra fidem, eo numero equi albi, & quod cauſa nulla cur albi tranſuehentium equi: ambifariam oppono, nempe & ouationis ſpeciem fuiſſe tranſuectionem illam: & de Clitumno Seruium dixiſſe *animalia* generatim, ad ij. Georg. Et qui minus de Clitumno credibile, quàm de Crathide fluuio, cuius aquatione, omnis quadrupedum grex altescit. L. Ælian. de animalib. c. xxxvi. lib. xii.

Cenſor autem Perſij ætate præſidens tranſuectioni, princeps ipſe, vt Auguſtus in tranſuectione præſidet Suetonij c. xxxiix. Caius c. xvj. Claudius c. xvj. De Conſule tamen aliquid apud Pſeudocornutum eſt.

Dixi Auguſtum præſediſſe in tranſuectione, accipe de ordinaria & ſollenni a. d. Id. Iul. Aliæ tranſuectiones exordinariæ, puta in aliis pompis. Ad recognoſcendas in his turmas equitum triumuiri creati ab Auguſto. Sueton. c. xxxvii. iiiviri illi non cenſores, ſed cenſoria poteſtate, vt apud C. Tacitum annali iv. Voluſius *cenſoria poteſtate legendis equitum decuriys functus eſt*. Neque, vt in illum Tranquilli locum obſeruant, munus hoc ita cenſorium, vt non & his iiiviris fuerit, præditis cenſoria poteſtate. His ita non enarratis, ſalutatio illa cenſoris explicari vix potuit. Glorij tamen aliqui ad rerum Romanarum hæc magis quàm Perſij commentarios facere aiunt, videlicet quia oculi eis doluêre, cum legerent.

Ad popvlvm faleras.

Benè equiti, *ad populum faleras*, dixit. Faleræ ſunt equitum. Itaque Polyb. lib. vj. inter dona militaria recenſet τῷ μὲν πεζῷ φιάλην, τῷ δ' ἱππεῖ φάλαρα. *Pediti fialam: equiti falera*. Et T. Liuij. lib. xxxix. *C. Calpurnius donat equites ſuos faleris*. Et C. Plinius c. j. lib. xxxiii. faleras equitibus adtribuit, vt proprias. *Fallit*, inquit, *pleróſq qui tum et equeſtrem ordinem id feciſſe arbitrantur. Eſt enim adiectum hoc quoque: ſed & falera poſita, propter qua nomen equitum adiectum eſt.* Vitioſus ab interpunctione locus, lego: *Fallit pleroſq qui tum et equeſtrem ordinem id feciſſe arbitrantur, eſt enim adiectum hoc quoque, ſed & falera poſita, propter qua nomen equitum adiectum eſt.* &c. Mens Plinij eſt. Quod in antiquiſſimis annalibus verba illa adſcripta ſint, *ſed et falera poſita*, factum eſſe vt nomen equitum deinde adiectum ſit, quia ſcilicet equo-

rum & equitum faleræ ſunt, & hinc pleríſque ſuſpicari anulos tunc abiectos etiam ordini equeſtri. Faleras equorum in narratione illa propalam Valerius intelligit c. iii. lib. ix. *Et faleras*, inquit, *equis detractas abiecerunt*. Faleras equorum eſſe ornamenta nemo neſcit. Quid ergo eſt, inquies, quod Silius lib. xv. Scipione dona militaria diſtribuente canit,

——— Faleris hic pectora fulget,
Hic torque aurato circumdat bellica colla?

Dico ego, duplex falerarum genus fuiſſe, vnum equis, hoc equitum peculiare: alterum & homini, quod equiti & pediti commune, equiti vt loco illo Polybij: pediti vt L. Siccio ſiue Sicinnio Dentato, Plinij c. xxiix. lib. vij. & Dionyſij lib. x. Hominum faleræ demiſſæ à collo in pectus. Itaque Silius,

——— Faleris hic pectora fulget.

Et apud Dionyſium vbi Siccius ille faleras detrahit hoſti, vt & torques detrahuntur. Huic autem obſeruationi contra etiam neſcio quid ſtrepere auſi, cuius piget, quia leuiculum eſt, pudet ipſorum vicem, quia neque ex re, neque ad rem. Et quia neſciuêre falerarum nomine accipi monilia, propterea que Plutarchum loco illo libri de amore diuitiarum, φάλαρα, & περιδέραια iunxiſſe, vt ſi diceret *monilia & torques*, vtraque non ſolum equeſtria & militaria, ſed etiam vt Plutarchus loquitur κορασιώδη ſiue *puellaria*, vt apud C. Tacitum Annali xvj. vbi de ſegmento huc monili, filiæ Sorani Gloſſæ. περιτραχήλιον. *Monile, hic Falarus Collare*. &c. Sic ergo faleræ equitum propriæ comparatione ad pedites: & communes nihilominus cum puellis. Sed anne diuergium aliquod falerarum equeſtrium & puellarũ, vt togæ virilis ac muliebris, non iſti rei auſpicaui hodie, vt docerem triumuiros Reip. Criticæ.

EGO TE INTVS ET IN CVTE NOVI.

D. Hieronymus epiſt. ad Paullinum. *Noli reſpicere ad faleras, & nomina vana Catonum. Ego te intus & in cute noui*. Profert idem Apolog. ij. in Ruffinum.

AD MOREM NACCÆ DISCINCTI.

Extrorſum faleratus, ſiue nobilis & ſpecioſus & eques: introrſum nacca. Naccæ fullones & homines non nauci. Feſtus. Apuleius lib. ix. Idem apologia ſiue actione ij. *Quid illi exiſtiment, nauci non putabo*. Meliùs libri veteres. *Quid illi exiſtiment nacca, nauci non putabo*. Adluſit originationem verbi, Nacca, non nauci. Satyricè autem & obſcœnè Perſius dixit morem naccæ diſcincti.

SED STVPET HIC VITIO.

Fruſtra moneo. Nam ſtupor animum eius occupauit.

ET FIBRIS INCREVIT OPIMVM PINGVE.

Omentum quaſi victimæ altilis & farræ. Obbrutuit, bellutus eſt. Ex opimo pingui hebetudo & ſtupor. Tertyll. c. xx. lib. de Anima. *Opimitas ſapientiam impedit*. Notaui & ad Sat. j.

SVMMA NON BVLLIT IN VNDA.

Reſpicit ἐκβρασμὸν ſiue ebullitionem maris.

VELIS.

Seruius ad illud Æneid.j. *Eſſe velis.*

FERVENTI TINCTA VENENO.

Explicat D. Auguſtinus c. vii. lib. ii. de ciuit. Dei, *Omnes*, inquit, *cultores talium Deorum, mox vt eos libido perpulerit, ferventi, vt ait Perſius, tincta veneno, magis intuentur quid Jupiter fecerit, quàm quid docuerit Plato, vel cenſuerit Cato.* Venenum itaq. illud, vis Lucilij, ſiue crementum. Tertyllian. c. xxvii. lib. de Anima.

INTABESCANTQ. RELICTA.

Crucientur dolore conſcientiæ quo nullus acrior. Docet comparatione cruciatuum, tauri Phalaridis, & gladij impendentis Damocli.

ÆRA SICVLI IVVENCI GEMVERVNT.

Gemuerunt muſicè, tibiis aheneis ad nares adpoſitis ſiue inſertis. Lucian. Phalaride j. προστιθέναι μὲν τοὺς αὐλοὺς τοὺς δὲ πρὸς τοὺς μυκτῆρας τοῦ βοός. *Adponere has tibias ad nares bouis.* Deinde. ἡ βοῦ δὲ διὰ τῶν αὐλῶν, μέλη σοι ἀποτελέσει οἷα λιγυρώτατα, καὶ ἐπαυλήσει θρηνῶδες, καὶ μυκήσεται γοερώτατον. *Eiulatus verò*, nempe incluſi hominis, *per tibias concentum tibi edet quam liquidiſſimum, et lamentabiliter incinet, & mugiet admodum lugubriter.* Hæc Perillus ibi ad Phalarim, tauri ſui opus ei laudans. Narrat verò hiſtoriam de Perillo etiam Dorotheus lib. i. Rer. Sicul. apud Stobæum Serm. cxliix.

PVRPVREAS SVBTER CERVICES TERRVIT.

Ceruices Damoclis paraſiti. Narrat rem Tullius v. Tuſcul. Macrob. ad ſomn. Scip. c. x. lib. j. Ammian. Marcellin. lib. xxix. Sidon. Apollin. epiſt. xiii. lib. ii. alij. Pſeudocornutus autem iocularia exerratione Democritum philoſophum pro Damocle ſiue Democle paraſito ſubſtituit. At neque res neq. tempus conuenit.

Purpureas verò *ceruices*, aut quia Democles ille inter Dionyſij purpuratos: aut *purpureas* candidas. Vt *purpurei olores*, candidi, Horat. Oda j. lib. iv. Et Anacreonti Venus πορφυρῆ pro candida. Et Albinouano carmine ad Liuiam, *nix purpurea*, Et *cinis purpurea* apud Victorinum lib. iv. Candida enim quædam purpura, purpura Hermionica, de qua Plutarch. in Alexandro, Xenophon iix. Pædiæ, Lucian. in Pſeudomante. Neq. dixeris Albinouano de niue rubra quæ in montibus Armeniæ, cogitationem fuiſſe, de qua Euſtathius ad xi. Iliad. de quali etiam Franciſc. Lopeſius hiſtoriæ Indicæ c. ii. lib. iv. Nam διὰ πάθος, illa nix, καὶ τοῦτο σπάνιον vt diceret Ariſtoteles c. vi. lib. iv. de ortu animal. c. ix. lib. ix. ſap.

Vt autem Perſius, *ceruices purpureas*, ſic & *roſeam ceruicem*. Virgil. Æneide i. Horat. Oda xii. lib. i. pro candida nempe. Nam & roſa candida eſt.

IMVS IMVS PRÆCIPITES.

Vt Tiberius Suetonij c.lxvij.

MORITVRI VERBA CATONIS DICERE.

Declamationes intelligi vult gloſſographus, ſed diſconuenit. Nam de puerulo Perſius nunc agit: declamationes adoleſcentulorum, & ſub rhetore ſunt. Veriùs itaque dixeris recitationes pueriles. Recitabant pueri laudabilia ſiue quotidiana, ſiue aurea, ſiue oracula & priuatim magiſtro, vt Colloquio Doſithei magiſtri ij. & inter amicos vt nunc. In hoc itaque genere *verba morituri Catonis*, hoc eſt præcepta quæ M. Cato philoſophus moriens filio ſuo dedit, vt inter cetera, *ne remp. capeſſeret.* Plutarch. in Catone.

Priſcus autem ille ritus eſt, vt parentes liberis, & amici amicis morientes mandata darent, quaſi teſtamento nuncupatitio, ſiue nuncupatiuo. Flaccus Sat. iii. lib. ii.

——& hæc pueris dixiſſe vocatis
Ad lectum—— Propert. eleg. v. lib. iii.
Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis.

Fabius Declam. iix. *Cum data ſuprema mandata ſunt.* L. Seneca C. Taciti annali xv. *Et nouiſſimo quoque momento ſuppeditante eloquentia, aduocatis ſcriptoribus pleráque tradidit, quæ in vulgus edita eius verbis.* Sic & Scilurus Scytha, Plutarchi lib. de loquacitate. Atque hoc *teſtamentum Phyſicum,* Varroni apud Marcell. in *Belliores.*

MVLTVM LAVDANDA.

Laudabilia, vt in notis Valerij Probi L. L. *Locus laudabilis.* Et *operum laudes.* Vitruuij c. j. lib. iii.

Sic Manilius lib. v. in magiſtrorum genitura.

Paſcentur curis, veterúmque exempla reuoluent
Semper, & antiqui laudabunt verba Catonis.

NON SANO MAGISTRO.

Iracundo & litigioſo, vt Domitius Grammaticus Romæ cognomento, *Inſanus*, A. Gellij c. vii. lib. xiix. Cuiuſmodi & Linus Pædagogus, Bacchid. Plauti. Et, *pædagogi lites.* apud Cornufic. lib. iv. ad Herenn. Ouid. iii. Faſtor.

——Turba feri ſenſu fraudata magiſtri.

Legunt aliqui, *cenſu*, repugnat Ouid. ipſe, cum ait, *feri magiſtri.* Itaque neque rectè hic aliqui legunt, *incano magiſtro.* Pſeudocornutus explicat, *inſanum, valde ſanum*: ſed nihil ad ſatyram.

QVÆ PATER SVDANS.

Aut labore corrogandi amicos, aut lætitiâ, vt Sat. ij.

IVRE.

Eſſe debet στιγμή. *iure. Etenim id ſummum,* &c. Iure oculos tingebam oliuo, nam puerculus eram, neſciens quid boni literæ, quid mali otium & alea: at tu iam adoleſcens, hæc diſcernere potes. *Haud tibi inexpertum eſt.* &c.

ETENIM ID SVMMVM.

Vitioſus hic locus ab interpunctione, ſanus erit hoc modo.

———*Etenim id ſummum, quid dexter ſenio ferret.*

Scire, erat in voto ————————

Summum ac primum hoc mihi in voto. *Scire quid dexter ſenio ferret.* &c. Scire ludum talarium cupiebam.

QVID DEXTER SENIO FERRET.

Senio talorum iactus ſiue bolus numeri ſenarij ἑξίτης Græcis ſiue ἑξὰς, & χιας & κῶος. Iul. Pollux c. iix. lib. ix. Lucian. Saturnal. Euſtath. ad j. Odyſſ. & Iliad. penult.

Dexter ſenio quia lucroſus. Lucian. Saturnal. εἰ μὴ (δ)ὲ μικρὸν δοκεῖ νικᾷν κυβεύοντα, καὶ τοῖς ἄλλοις ἐς τὴν μονάδα κυλιομένου τοῦ κύβου, (σ)οὶ τὴν ἑξάδα ὑπεράνω ἀεὶ φαίνεσθαι. *Niſi parua tibi felicitas videtur vincere aleâ, & cum aliis in vnionem euoluitur teſſera, ſibi ſemper ſenionem emergere.* Iſidor. c. lxvj. lib. xiix.

DAMNOSA CANICVLA.

Vnio in talis propriè canis ſiue κύων: vt in teſſeris aſinus ſiue ὄνος. Iul. Pollux c. iix. lib. ix. Iſidor. c. lxv. lib. xiix. Iactus ille & caſus damnoſus eſt, & quaſi mordet luſorem. Itaque nunc *damnoſa canicula, & damnoſi canes,* Propert. eleg. iix. lib. iv. Ouid. ij Triſtium, & ij Nequitiæ. Bene itaque Perſius ſenionem & canem oppoſuit, vt & Iulio Polluci & Euſtath. ad Iliad. penult. hæ πτώσεις ἀντικείμεναι.

QVANTVM RADERET.

Raderet, ſiue abraderet de ſumma vtrinq. depoſita, quod Iulio Polluci loco anted. τὸ ἐπιδιακείμενον ἀργύριον. Ad Suetonij Auguſtum c. lxxj. eandem arbitrati σύνθεσιν ex l. j. C. De aleatoribus. Non eſt. Σύνθεσις enim illa Iuſtiniano eſt non in puncta vt illud Polluci, ſed bolos. Itaq. non eſt eadem res niſi communiter, ſiue in puncta, ſiue in bolos, τὸ ἐπιδιακείμενον. Quod autem illi cenſuere idem eſſe A. Gellij, c. xiii. lib. xviii. *Æs manuarium,* poteſt anaphoricè ita ſumi, propriè non item. A. Gellio enim *æs manuarium* ibi ſymbolarum collectio eſt. Sed hoc agamus. Locus & hic ab interpunctione vacillat. Legendus autem

——— ; ———*raderet anguſta.* &c.——— Nempe mens Perſij eſt, & in voto erat ſcire vſum orcæ, quo cauerē ne colluſor meus talos componeret, & falleret. Plenè planeq. his iam olim traditis à me ſuperuenit, qui nodum in ſcirpo quæreret, neque hoc tantum, ſed etiam ſuperbè contumelioſéque conuiciaretur, ac diceret. *Nimis perſpicuus error eſt.* &c. item, *quo nihil* ἀτοπώτερον, (nam dicere, *quo nihil abſurdius*, religio ei fuit) aliaque id genus trogalia, aut ocima vetius, adponeret. At ego ſic, laborantem ab interpunctione hunc Poetæ noſtri verſum, ſanaueram.

Raderet anguſtæ collo, non fallier, orcæ. Accipe itaque nunc ſtructuram ſiue σύνταξιν, quoniam quidem me hunc tibi ludum ape-

tire cogis. Et ſcire, inquit Perſius, mihi puero, erat in votis, non falli, ſiue quo pacto non fallerer, ſiue non neſcirem, quantum damnoſa canicula de ſumma vtrinque depoſita abraderet, coniecta ſiue miſſa per collum anguſtæ orcæ: ſiue quantum canicula hinc inde lucri damniue daret. Punctum autem illud ſiue πλεία στιγμή de qua tam iracundè queſtus es, librarij exerratione, aut caſu aliquo incidit, propter notam illam ſiue compendium ſcripturæ ſequens, *&c.* ſiue, *& cetera.* Sed tu qui punctũ illud tam acutè vidiſti, quomodo præteruidiſti obſecro, quàm planè laudabilis, & πάγχρηστος illa obſeruatio tua eſſet, cum Poetæ noſtri hunc verſum obtorto quaſi collo traheres à *collo anguſtæ orcæ*, ad τρόπαν, ludi genus de quo Iulius Pollux c. vij. lib. ix. cuius locum adſcribo, quia hunc quaſi arbitrum adigis. ἡ δὲ τρόπα, inquit, καλουμένη παιδιὰ γίγνεται μὲν ὡς τὸ πολὺ δι᾽ ἀστραγάλων, οὓς ἀφέντες στοχάζονται βόθρου τινὸς εἰς ὑποδοχὴν τῆς τοιαύτης ῥίψεως ἐξεπίτηδες πεποιημένου· πολλάκις δὲ καὶ ἀκύλοις καὶ βαλάνοις, ἀντὶ τῶν ἀστραγάλων, οἱ ῥίπτοντες ἐχρῶντο. Dicam Latinè. *Ludus autem qui Tropa dicitur, luditur quidem plerumque talis, quos mittunt* ſiue iaciunt *collineantes* (tu quemadmodum quidem ſolitus es dixiſſet, *collimantes*) *in ſcrobem aliquam, eiuſcemodi coniectioni paratam dedita opera. Sæpe verò etiam, talorum vice, vſi in coniectione illa glandibus ilignis aut quernis.* &c. Malè interpres Latinus reddidit, *glandibus & nucibus.* &c. Quid ais tu, anne pulchrè A. Perſij *orcæ collo*, cum Iulij Pollucis *ſcrobe* conuenit?

ANGVSTÆ COLLO NON
FALLIER ORCÆ.

Orca, purgus, turricula, phimus. Et benè collum orcæ dixit: oblonga enim, quippe turricula. Pomponius apud Priſcian. c. iij. lib. iij.

Interim dum contemplor orcam, taxillos perdidi.

Eadem res etiam *purgus.* Horat. Sat. vij. lib. ij.

———Qui pro ſe tolleret, atque
Mitteret in purgum talos ——— Siue vt alij libri *phimum.* Suidas in τάβλα· ὁ δὲ πύργος. &c. Eadémque Cedrinus. Sic & Iſidor. c. lxj. lib. xiix. & identidem Sidonius Apollinaris. Martiali autem turricula, vt epigr. xvj. lib. vlt.

Eadem res & *phimus.* Iul. Pollux c. xxxj. lib. x. Æſchines in Timarchum. Ἀστραγάλους τέ τινας διασείστους, καὶ φιμοὺς, καὶ κυβευτικὰ ἕτερα ὄργανα. *Talos aliquos luſorios, & phimos, & alia inſtrumenta aleatoria.* Διασείστους dixi *luſorios.* Nam talis qui ludit eos διασείει ſiue quatit fritillo. L. Suidas in Διασείστους.

In orcam mittebantur tali fritillo. Id acetabulum quo concuſſi tali antequam mitterentur, in qua concuſſione ſtrepitus talorum, ex

quo & nomen ipſum fritilli. Ergo & L. Seneca in ſatyra Claudiana dixit, *Teſſeras mittere reſonante fritillo.* Et Martial. epigr. j. lib. xiv.

Nec timet ædilem moto ſpectare fritillo.

Sidonius epiſt. ix. lib. ij. *Crepitantium fritillorum teſſerarúmque ſtrepitu.* Suidæ ψηφιβόλον eſt in τάβλα. Gloſſæ, *Fritillum* πύξις.

In latere orcæ ſiue turriculæ gradus per quos tali deciderent, & quaſi tripudiarent. Auſon. Parentalib. eleg. j. ——*bolos*

——*Fundunt excisi per caua buxa gradus.*

Sidonius epiſt. xii. lib. iix. *Hic teſſera frequens eboratis reſultatura purgorum gradib.* Agathias lib. j. antholog. epigr. εἰς τὰ λυτὰ Ζήνωνος τ̃ βασιλέως. Meliùs. Εἰς τάβλαν Ζήνωνος τ̃ βασιλέως. *In tabulam Zenonis imperatoris.* Hoc primùm: deinde verſus ille

Πύργου δουρατέου κλίμαξι κευθομένῳ.

Purgi duratei qua latet in gradibus.

accipiendus de turriculæ gradibus. His gradibus in talario ludo teſſerarióque vſi, ne teſſeræ aut tali artificio compoſiti fallerent, quæ & turriculæ totius ſiue orcæ vtilitas, Martial. epigr. xvi. lib. vlt. Ex orca itaq. propriè caſus tabulæ Iuuenali Sat. j. quanquam & caſus ſine orca dici poteſt. Nam ſiue per orcam, ſiue de plano iacti tali teſſeræúe, cadunt, ſiue πτώσεις faciunt.

Pſeudocornutus orcam interpretatus amphoram. benè conuenit, vt mari arbores, nemori piſces.

HAVD TIBI INEXPERTVM EST.

At tibi non idem ius quod puerculo. Tibi pura ſiue virilis toga iam, notúmque biuium virtutis ac vitij, & guſtatus aliquis ſapientiæ Stoïcæ.

CVRVOS DEPRENDERE MORES.

Stoïcè, recta, virtutes & laudes: curua culpæ & vitia.

QVÆQ. DOCET PORTICVS.

Stoa, Poëcile, Πεισιανάκτειον. Laërt. Zenone. Suidas in Ποικίλη, & in Στωϊκοί. Gloſſæ in Perſium. Interpres Ariſtophanis in Lyſiſtratam. & epiſt. Theodoſij Zygomalæ, in Turcogræcia.

BRACCATIS MEDIS INLITA.

Vbi depicta ad parietes Athenienſium victoria de Xerxe & Perſis ſiue Medis.

Medi pro Perſis nota res. Braccati autem Medi & Perſæ, vt & Parthi. Obſcœni carminis poëta.

Medis laxior Indicíſue braccis.

Propert. eleg. iij. lib. iij. ——*Braccati militis arcus.*

Etiam ſui generis braccæ de pellibus, populis ad ſeptentrionem. Heſych. Βράκκαι ἀγγεῖοι διφθέραι παρὰ Κελτοῖς. Sed alius hæc dicendi campus. Ecce autem præuertere huiuſce campi curriculum voluit aliquis, qui cum alia ineptè ſiue *muginatus*, ſiue *nuginatus*, ſiue *muſinatus* eſt, tum illud, Medis fuiſſe togas ποδήρεις. At ego eis ſtolas tribueram

rectiſſimè

rectiſſimè. Quid tu ais *toga* & *Stola* idem? Ferulam hoc quidem laceſſit, ſed bene Orbilianam. Braccas verò, tunicas & ſtolas Medicas differre, nihil neceſſe à tali doctore aliquo diſcere, noſcente quo pacto ἐσχηματισμένως, *Bracatè Medi* ſtolati accipi poſſint, & quemadmodum ſtola Medica, veſtis militaris, quamque abſurdè illius menti, cum de braccis ageret, obuerſata ſpecies *ſubligaculi* alicuius aut *campeſtris*.

ET DETONSA IVVENTVS.

Detonſa iuuentus Stoïca, ſiue Zenonis æmula Athenis. Stoïci ἐν χρῷ κουρίαι. Lucian. vitarum mercatu. Arrian. Epicteti c. ij. lib. j. c. iix. lib. iv. Iuuenal. Sat. ij. Pſeudocornutus legit, *indetonſa*. Forte an Perſij manus fuit, —*Quibus et intonſa iuuentus.*
Intonſa, pro valdè ſiue ad cutem tonſa, vt Plauti Rudente Sc. xiix. *Inraſum caput*, pro raſiſſimo. Dixi ad Sat. ij. Mihi hæc ſincera Perſij lectio videtur, eámq. corrumpi cœptam ab his qui ſtultè conati fulcire ruinam carminis, neſcientes litera illa finali, extendi ſyllabam. Oſtendi ad Sat. ij. De Stoicorum *intonſo capite* narraui ad Iuuenalis Satyram ij. inde pateſcet veritas lectionis meæ.

SILIQVIS ET GRANDI PASTA POLENTA.

Iuuentus & tonſu & victu Stoico. Polenta panis Græcanicus Plinij c. vij. & ſeq. lib. xiix. c. xxv. lib. xxij. Sic ergo & philoſophis conueniens vt Lactantij c. xvij. lib. iii. & maximè Stoïcis vt L. Senecæ epiſt. xiix. & cx. Sed & communiter polenta etiam quiuis panis, & vero etiã farina. Gloſſæ, *Pulenta*, ἄλφιτα. *Siliquas* verò intelligi vult lupinos.
Riſi qui *ſiliquas leguminum pecoris immundi* pabulum hic commentatati, ex D. Lucæ euangelio c. xv.
Sic & Cariſius accipit lib. j. cùm polentam dici ait, *quod vſu omnium poliatur*. Sed lego, *polliatur*. Pollire & polire multum intereſt. Quid polire nota res. Pollire autem eſt cribrare cribro pollinario, ſiue cribrare pollinem. Qua de re Plin. c. xj. lib. xiix. A polliendo pollitor M. Catonis c. v. de re ruſt. Pollitor ille ad vſum cribri, non autem vt ad occationem agri politor. Sic eſſe manifeſtaria res M. Catonis c. cxxxvij. vbi male ſcriptum *politori* & *politor* lege, *Pollitori* & *pollitor*. Etiam apud Feſtum hæc aberratio. *Piſtum*, inquit, *à pinſendo pro politum*. Lege, *pollitum*. Erratica illius correctio eſt qui reſcribit, *molitum*.

SAMIOS RAMOS.

Biuium vitæ Pythagoricum. L. Iſidor. c. iij. lib. j.

DEXTRO SVRGENTEM LIMITE CALLEM.

Benè virtutis viam *callem* dixit. Nam & callo ſiue labore teritur, & anguſta eſt, vt callem definit Seruius ad Æneid. iv.

OSCITAT.

Oſcitat, quia *vagus* tibi *animus*, *& hallucinans*, *& fluxè apertéque ſecurus*. A. Gellius c. vlt. lib. iv. Interpres Terentij in Andr. Sic χασμώμενος pro pigro. & ſecuro. Themiſt. Euphrad. Orat. iv. Et, *oſcitat*, ergo nec audis, aut ſurdè audis. Oſcitantes ſurde audiunt. Ariſtot. c. ij. lib.

v. de ortu animal. Problem. xxix. & xliv. Tomi xj. Maximè autem ſurdè audientes illi qui oſcitant à ſomno. Tomi eiuſdem Problem. xxix. Omnes hæ oſcitantium notæ in hunc Stoici diſcipulum rectè conueniunt.

DISSVTIS VNDIQ. MALIS.

Genis pendulis, vt Plinij c. xxij. lib. xiv.

ET IN QVOD DIRIGIS ARCVM?

Sic *iaculari* Horat. Oda xvj. lib. j.

AN PASSIM SEQVERIS CORVOS.

Τὰ πετώμενα διώκειν. *Sectari volantia.* Plato Eutyphrone. Ariſtoteles c. v. lib. iii. Sap. Τὰ συμβαίνοντα διώκειν. *Fortuita ſectari.* Demoſth. Philipp. j.

QVO PES FERAT.

Theocrit. Ecloga iij

——ὁ δ' ἇ πόδες ἆγον ἐχώρει.

——*at ille pedes, ibat, quocunq. ferebant.*

ELLEBORVM POSCENTES VIDEAS.

Cataplaſma aut malagma ventri, ex veratro nigro, ſiue melampodio. Dioſcorides c. clj. lib. iv. Plin. c. v. lib. xxx. Oribaſius tetrabibli iij. Serm. ij. c. xxiij.

CVM IAM CVTIS ÆGRA TVMEBIT.

Hydrope τυμπανίτῃ. Itaq. ipſe poſt paullò,

——*atq. albo ventre lauatur.*

L. Cornel. Celſ. c. xxi. lib. iii. Aretæus de ſignis chronior. c. j. lib. ii.

FRVSTRA.

Nam hic morbus inter initia curandus. Cornel. Celſ. loco anted. Item alij Aſclepiadæ.

VENIENTI OCCVRRITE MORBO.

Sic interducendum. *Venienti occurrite morbo, (Ecquid opus——* Nam hæc παρένθεσις ſiue interpoſitio eſt.

ECQVID OPVS CRATERO.

Non opus Cratero ſiue corporis medico, ſed philoſopho ſiue animi medico. De Cratero Tullius epiſt. xv. lib. xii. ad Att. Horat. Sat. iii. lib. ij. Porphyr. lib. j. περὶ ἀποχῆς.

DISCITEQ. Ô MISERI.

Occurrite venienti morbo, & diſcite. Benè interpretatus D. Auguſtin. c. vj. lib. ii. de ciuit. Dei.

ET CAVSAS COGNOSCITE RERVM.

Sapientiam Stoicam, quæ tradit cauſas rerum, id eſt, viam ad felicitatem.

QVID SVMVS.

Quæ natura hominis.

AVT QVIDNAM VICTVRI GIGNIMVR.

Quis finis ſiue qua fini naſcimur.

ORDO QVIS DATVS.

Quis ordo vitæ, quaſi in agone λαμπαδοῦχα, ſiue in λαμπαδοδρομία, vt Sat. vj. vbi hæc dicendi locus.

AVT METÆ QVAM MOLLIS FLEXVS.

Quantæ ſit artis & operæ, metam adtingere vitæ, nempe felicitatem. Molle artificioſum, vt *æra mollia*, Æneide vj. *ſaxa mollia*, iii. Faſtor, *mollia ſigna*, Tullij Bruto.

Perdifficilis autem & periculi aleæque plena metæ tactio fuit. Stringi enim debuit axe interiore, ſed tali cautione ac temperamento, ne inliſus in metam axis frangeretur. Depingit hoc eleganter poetico penicillo & coloribus ſuis Homerus Iliade xxiii. Theocrit. Ecloga xxiv. Sophocles Electra. Et Nonnus Dionyſiacis lib. xxxvii. in funere Opheltæ. Silius Italicus lib. xvi. Sidonius Narbone.

Sic metam vt ſtringerent interiori ſiue ſiniſtro equo habenæ contractæ, dextro ſiue exteriori laxatæ. Itaq. Nonnus de ſiniſtro inquit.

——σφίγγε κυβερνητῆρι χαλινῷ.
——Stringe hunc moderamine freni.

Et Ouid. eleg. ii. lib. iii. amor.

Tende precor valida lora ſiniſtra manu.

De dextro autem Nonnus.

Ἀθλιβέος μεθέποντα παρείμβρα κύκλα χαλινοῦ.
Laxati freni peragentem lenius orbes.

Vna igitur flexuræ illius ars, metam ſtringere, quod *terere metam*. Propert. dixit eleg. xv. lib. ii. *ſtringere* metam. Ouid. & Silius. ἐγχρίμψαι Homerus & Sophocles: altera ars cauendi metam ſiue ſeruandi, ne fortiter axis in metas impingeretur. Hinc *meta feruidis euitata rotis*. Horatij Oda j. lib. j. Et *meta cauetur*. Claudiani lib. iii. de raptu Proſerp. Et λίθου ἀλέασθαι ἐπαυρεῖν. Homeri Iliade xxiii. Sic niſi cauerent periculum eis amiſſio victoriæ, etiam diſcrimen capitis, cum manu habenis implicita, & curru excuſſis, aut lædi neceſſe, aut diſcerpi. & Sophoclis Electra, Sidonij Narbone, & Panopolitani loco quem dixi.

ET VNDE.

Quare, vt Hygini fabulis c. cxii.

QVID ASPER VTILE NVMMVS HABET.

Quæ nummi aſperi ſiue noui, ſiue candidi vtilitas. Non implere ollam denariorum, ſed vti liberaliter. In theſauris nummi aſperi, ſiue non detriti & quaſi decotes, deponebantur. Iiſdem & fieri ſolitæ numerationes. Patet L. Senecæ epiſt. xix. Suetonij Nerone c. xliv. Gloſſæ. Δηνάριον λευκόν, *Aſprum*. Item. Λαμπρότης, *Aſpritudo, Candor*. Nempe, qui nummi aſperi ijdem fere & candidi, necdum ſcilicet decolorati manuum tritura. Hinc & aſpratura, collybus. Gloſſę. *Aſpratura*, κόλλυβον. Hæc nempe collybi cauſa & origo, intertrimentum pecuniæ, vt pro eo quod nummis deteritur paruum hoc lucellum eſſet, danti nummos mutuos. Itaq. gloſſæ. Τέλεσμα μικρόν, *Collibū*. Loque-

lariter hoc *cambium* dicunt. Nec male. Sic enim & Latini *cambire*, Priſcian. c.ij.lib.x. Cambio ἀμείϐομαι ponit Cariſius, &c. Locus Cariſij eſt lib. iij. Gloſſæ. Cacumbeat, διαλλάσσει. Lego, *cambit*.

ET HVMANA QVA PARTE LOCATVS ES IN RE.

Quæ tuæ partes, quæ perſona. Tull. j. de offic. *Nobis autem perſonam impoſuit ipſa natura, magna cum excellentia præſtantiáque animantium reliquarum.*

IN LOCVPLETE PENV.

Seru. ad Æneid. j.

PINGVIB. VMBRIS.

Pinguibus, aut abdomine. Catull. *Aut pinguis Vmber, & pinguis Hetruſcus.* Virgilij lib. ij. Georg. aut vbertate ſoli. Athenæus lib. xij. Propert. eleg. xxii. lib. j.

ET PIPER.

Italicum. Plin. c. vii. lib. xii. c. xxxii. lib. xvj. At Sat. v. Indicum.

PRIMA ORCA.

Quæ prima in ſeriola, ſiue orcarum ordine. Iſidor. c. vj. lib. xx.

DE GENTE HIRCOSA CENTVRIONVM.

Hircoſa, barbata & priſca. L. Seneca apud A. Gell. c. ij. lib. xii. *Quidam ſunt tam magni ſenſus* Q. Ennij, *vt licet ſcripti ſint inter hircoſos, poſſint tamen inter vnguentatos placere. Inter hircoſos*, inter barbatos, ſiue priſcos qui omnes barbati. Prudent. Apotheoſi.

Conſule & hircoſos Cynicos ————

id eſt, barbatos. Cynici barbati, vt dixi ad Sat. j. Ab hirquo barbato, hirquoſi. Plaut. Pſeud. Sc. xii. *Tu qui cum hirquina ſtas barba.* Hirquoſe. Gloſſæ veteres in Perſium interpretatæ hirquoſos, fœtentes, barbaros. Nec meliùs ad Theophraſti characteres. c. Περὶ δυσχερείας, centuriones hircoſos accipiunt, quib. hircus in alis. Nec moueor à L. Seneca hircoſis opponi vnguentatos. Nam & veteres illi ſiue barbati ſine vnguentis. Itaque & fetentes, non reapſe illi quidem: ſed vnguentatis. Δυσχέρεια, verti non debuit fœditas. Non debuiſſe oſtendam.

Centuriones autem Perſius dixit nobiles. Nobilitas Romana ex rebus geſtis. Sic Horat. Sat. vi. lib. j. Perſ. Sat. vi.

ÆRVMNOSIQ. SOLONES.

Arceſilas philoſophus de ſchola: Solo philoſophus de foro, & legiſlator. Vtroſq. & ſcholaſticos, & forenſes ſiue politicos ſapientes, ſiue legiſperitos adſpernatur hic ſuperbè, hircoſi filius.

Philoſophi illi de foro & comitio, veri non adfectati philoſophi. l. j. D. De iuſt. & iure. Et Politica illa, ἀληθινὴ φιλοσοφία Dionyſ. in Iſocrate.

De Solonis autem, item illorum qui Solones in ciuitatibus ſuis, ærumnis, nota res.

OBSTIPO CAPITE.

Expreſſit hunc Perſij locum D. Hieronym. epiſt. iv. *Alij*, inquit, *ſublatis in altum humeris, & intra ſe neſcio quid cornicantes, ſtupentibúſque in terram oculis, tumentia verba trutinantur, vt, ſi præconem addideris, putes incedere præfecturam.* Cinnus hic quidam D. Hieronymi ex Perſio. Nempe illud, *ſtupentib. in terram oculis*, &, *trutinantur*, ex hac ſatyra eſt. *Cornicantes* autem ex Satyra v.

Obſtipo autem *capite* Perſius intelligi vult *ceruice rigida* & *obſtippa*, qualis apud C. Suetonium Tiberij ceruix c. lxiix. vbi *arrogantiæ* notam illam fuiſſe, obſeruat ipſe C. Suetonius. Etiam apud Epictetum Arriani eiuſcemodi ceruix eſt hominum arrogantium. τί ἡμῖν ὀβελίσκον καταπιὼν περιπατεῖς; ἤθελον ἵνα με καὶ οἱ ἀπαντῶντες θαυμάζωσι. *Quid tu nobis ſic quaſi veruculo deuorato incedis? Quia volui eſſe in admiratione occurrentium mihi.* &c. c. xxi. lib. i. Talis itaq. nunc Stoicorum quoque ceruix propter familiarem ſectæ illi arrogantiam, vt Epicteti loco ante laudato. Sic Tigellinus apud C. Tacitum Annali xiv. in Rubellij Plauti accuſatione. *Stoicorum*, inquit, *arrogantia, ſectaq. quæ turbidos & negotiorum adpetentes facit*, &c. Hinc etiam apud eundem Annali xvi. Pætus Thraſia, & æmuli eius Stoici accuſantur vt *rigidi ac triſtes. Rigidi*, nempe rigidæ ceruicis ac ſuperbi.

Prolapſi ſunt in animaduerſionibus ſuis ad Suetonium, qui *Tiberium ceruice rigida & obſtipa* interpretati βυσαύχενα, id eſt, *qui humeros adtollit, & contrahit ceruicem*, vt accipit Iul. Pollux c. xxx. lib. ii. & notam eſſe vult hominis inſidiatoris, teſtem ſibi faciens Ariſtotelem. Eſt quidem eiuſmodi βυσαύχην, & inſidiator fuit Tiberius. Sed cum C. Suetonius ceruicem Tiberij fecerit arrogantiæ indicem, vtri potior fides atq. auctoritas, animaduerſionib. an ipſi Suetonio? Planè quidem itaq. non βυσαύχην, ſed σιμοτράχηλος Tiberius, quemadmodum hi quoque apud Perſium Stoici σιμοτράχηλοι.

ET FIGENTES LVMINE TERRAM.

Vt meditabundi. Homeri Iliade iii. Apollonij lib. iij. Theocriti Ecloga ij.

RABIOSA SILENTIA.

Qualia canis rabioſi. Canis rabioſus ſilet. Paull. Ægineta c. iij. lib. v. deſcriptione canum rabioſorum. Καὶ ἄφωνοι τουπίπαν εἰσί. Et mox χωρὶς ὑλαγμοῦ. &c.

SECVM RODVNT.

Imitatus Auſonius. Ecloga ix.

Murmure concluſo rabioſa ſilentia rodunt.

TRVTINANTVR VERBA.

Vt Æneide xj.

———*& pictis bellantur Amazones armis.*

Vbi Seruius. Imitatus autem D. Hieronym. apol. j. in Ruffinum. *Contractis rugatiſq. naribus concaua verba trutinatur.* Et epiſt. c. *Caua ver-*

ba & in modum veſicarum tumentia, buccis trutinatur inflatis.

Similiter de philoſopho, Varro apud Marcell. in *Roſtrum.* *Itaque videas barba roſtro illum commentari, & vnumquodque verbum ſtatera auraria pendere.* Meliùs, *barbato roſtro.*

ÆGROTI VETERIS SOMNIA.

Horat. ad Piſones. Lactant. c. x. De ira Dei.

GIGNI DE NIHILO NIHIL.

Hæc, κοινὴ δόξα τῶν φυσικῶν. *Communis phyſicorum ſententia.* Ariſtotel. c. iv. lib. j. Phyſicor. Democrito adtribuit Heſychius Mileſius, & Suidas in Ἀναγκαῖον. Idem Diogeni. Riſêre & comici hanc philoſophiam Athenæi lib. iii.

HOC EST CVR PALLES?

In philoſophos pallentes. Sic Ariſtophani Nebulis, ὠχριῶντες. Hæccine ſapientia illa propter quam, &c. L. Seneca epiſt. xlix. *Hoc eſt quod triſtes docemus & pallidi.* Lucianus in Ioue Tragœdo. φιλοσόφου τὸ χρῶμα ἔχων. *Præditus philoſophi colore.* Id eſt Pallidus.

HIS POPVLVS RIDET.

Meliùs. *Hoc populus ridet.* Ne rectè Pſeudocornutus, *His populus ridet.* aut alij, *Hos populus.* &c. Hanc talem ſapientiam populus Romanus ridet. Riſor & oſor philoſophiæ populus Romanus. Notaui ad Sat. j.

TOROSA IVVENTVS.

Iuniores. Omnes qui inter pueros medij, & ſeniores. Dixi ad Sat. i.

CACHINNOS TREMVLOS.

Quibus corpus tremit. Cachinnus, riſus quatiens. Horat. epiſt. ii. lib. ii. ——*Riſu populum quatit.* Γέλως συγκρούσιος. Cornuto in Sat. i. μωρογέλως. Idem καγχασμός. Cachinnare καγχάζειν. Gloſſæ. *Cachinnat* καχάζει. Lege καγχάζει. Non καχλάζει. Fidem facit originatio ipſa.

NASO CRISPANTE.

Vt Sat. v. Naſi *rugoſa ſanna.*

INSPICE.

Hactenus ille hircoſi filius: pergit iam Stoicus in beatulos. Rident, inquit, illi fortunæ filij philoſophos pallidos & impranſos: at philoſophi non vnum de his torſulis vident talem vt hic depingitur. *Inſpice.* &c.

TREPIDAT MIHI PECTVS.

Signum febris in proximo, ſiue propinquantis. Cornel. Celſus c. ii. lib. ii.

FAVCIB. EXSVDAT.

Sic aliqui libri; alij, *faucibus exſuperat.* Neutra lectio ſincera, ſed poſterior tamen veræ indicium facit. Scripſiſſe Perſium ſcilicet. *Faucibus exſpirat. Ex faucibus* ſiue ore *ſpirat grauis halitus.* Ægrè ſiue gra-

uiter reſpiro. Hæc item nota febris vicinæ, *ſi ſpiritus grauior eſt.* Cornel. Celſus loco antedicto.

Malè Pſeudocornutus *ægras fauces* intelligit ægrotantis. Huiuſmodi ſigna denunciant febrim, ſed necdum illud morbi principium. Paull. Ægineta c. iii. lib. ii.

IVSSVS REQVIESCERE.

Iuſſus à medico. Quippe inter initia morbi, *omnium optima quies & abſtinentia.* Cornel. Celſus c. ii. lib. iii.

POSTQVAM TERTIA NOX.

Nox magis quàm lux ſiue dies, Quia bonæ valetudinis ſignũ, quies nocturna, diurna vigilia. Cornel. Celſ. c. iii. & ſeq. lib. ii. Et *tertia* dixit, quia toroſulo huic hyderus cum febri. Ex febri querquera ſæpe hyderus. Cornel. Celſ. c. xxi. lib. iii. Sammonicus, alij.

COMPOSITAS VENAS.

Quales dormientium ſine febri. Pulſus moderatus. Actuarius methodi c. ix. lib. i. Aſclepiadæ item alij.

DE MAIORE DOMO.

Domo maioris ſiue potentioris amici, ὑπερέχοντος φίλου, vt Sat. i. *Maiorum limina.* Ergo & ſequitur nunc, *rogauit.* Fruſtra gloſſæ veteres aliter.

LAGENA MODICE SITIENTE.

Alij, *modicum.* Modicum autem ſiue modicè ſitiens lagena, eſt paruula, non multum capax. Modicum ſitire eſt capere, vt contra Plauti Curcul. Sc. ij. *Anus ſitiens quadrantal.* Et Iuuenal. Sat. vj. matrona *totum œnophorum ſitiens.* Lagenæ paruulæ ſunt. Itaq. Galenus lib. xii. Therapeuticæ methodi oppoſuit κεράμεια μεγάλα, & λαγύνια μικρά. Pſeudocornutus fallitur cui *lagena modicè ſitiens,* eſt non plena.

LENIA SVRRENTINA.

Lenia Surrentina de maiore domo ſibi gumia hic rogat, quia lene Surrentinum, rariùs inuentu. Pleraque enim omnia acerba & crucia. Itaque Tiberius Cæſar vinum Surrentinum ſolitus indigetare, *generoſum acetum,* & Caius, *nobilem vappam.* Plin. c. vj. lib. xiv.

Et Surrentina hic petit, quia *tenuia ſalubriáque ideoq. conualeſcentib. maximè probata.* Plin. c. vj. lib. xiv. Etiam *medicis maxime probata.* Idem c. j. lib. xxiii. Ex Dioſcorid. c. x. lib. v.

Facit ingenium ſuum Pſeudocornutus, *lenia* explicans *bona, fortiſſima.* Neque audiam ſi quis lenia interpretet, caſtrata, ſaccata, ἠθικά.

ROGAVIT SIBI LOTVRO.

Vt bibat ſcilicet balnei ingreſſu ipſo. Nam ſic toroſulis Romanis ſolitum. L. Seneca epiſt. cxxij. *Atqui frequens hoc adoleſcentium vitium eſt, qui vires excolunt: in ipſo penè balnei limine inter nudos bibunt, immo potant, vt ſudorem quem mouerunt potionib. crebris ac feruentibus, ſubinde diſtringant.* Hæ προπόσεις illæ de quib. Plutarch. in præcept. valetud. Sic & Alexander λοῦτρα καὶ πότους iunxit, Problem. vii. lib. j. Fabius

c. vj. lib. j. Iuuenal. Sat. iix.

HEVS BONE.

Hoc iam Stoicus toroſulo illi nominatim.

TV PALLES.

Palles hydero ſimul & febri. Alexander Trallianus c. iij. lib. ix. Sic poſt paullò *albus venter*, huius pallentis. *Atq. albo ventre lauatur. hoc eſt, pallenti,* inquit Acro ad Odam ij. lib. ij.

NIHIL EST.

Inquit toroſulus, *nihil eſt*, rectè omnia.

VIDEAS TAMEN.

Stoicus.

SVRGIT TIBI LVTEA PELLIS.

Propriè *ſurgit*, & , *lutea pellis* quippe hydropico. Prudentius in Coronis hymno ij.

Hydrops aquoſus lurido

Tendit veneno intrinſecus. Sic *album* hydropici *corpus* accipiendum Horatij Oda ii. lib. ii. & *albentia membra*, apud Serenum. Et *ſulphureus color*, apud Martial. epigr. xlix. lib. xii. Horat. Satyra ij. lib. ii. *Vides vt pallidus omnis Cœna deſurgat dubia*, peccant qui Martialem accepêre de cruditate ſtomachi.

AT TV DETERIVS PALLES.

Glutto hic Stoico. Tuus pallor meo deterior. Vituperat blennus hic, vt & alij Midæ Romani, pallorem philoſophicum. Dixi ad Sat. j.

NE SIS MIHI TVTOR.

Plaut. Aulul. Sc. xiii.

IAMPRIDEM HVNC SEPELII.

Prouerbium Iſidor. notat lib. x. *Tutor*, inquit, *qui pupillum tuetur, de quo in conſuetudine vulgari dicitur. Quid me mones? Et tutorem & pædagogum olim obrui.*

TV RESTAS.

Tu reſtas tutor alius, mihi qui iam pupillum exſui. Sic Caius apud Herenn. Philonem lib. de legatione ad Caium, in Macronem præfectum prætorio. Πάρεστι ὁ διδάσκαλος τοῦ μηκέτι μανθάνειν ὀφείλοντος· ὁ παιδαγωγὸς τοῦ μηκέτι παιδὸς ὄντος· ὁ νουθετὴς τοῦ φρονιμωτέρου. *Ecce*, inquit, *additus doctor mihi, cui nec opus iam diſcere, pædagogus mihi qui iam puer non ſum, monitor mihi qui eo ipſo ſapientior.*

PERGE.

Stoicus. Perge ſanè, quia nihil audis.

TVRGIDVS HIC EPVLIS LAVATVR.

Pergit Stoicus pingere iam exitum huius tam væcordis gumiæ. Turgens hic & ſaburratus epulis, rectâ in balneum. Ritus nempe ille Græcis & Romanis vt cœnati in balneum irent, perſuaſi hoc vtile coquendæ in ventriculo cœnæ. Plin. c. j. lib. xxix. *Balinea*, inquit, *ardentes, quib. perſuaſere medici in corporibus cibos coqui.* Aliis & ille ſcopus bal-

nei,

nei, vt in balneo ipſo perpotarent vt toroſulo huic, & dixi ex L. Senecæ epiſt.cxxii. Aliis vt ſudarent procliuius, venirentq. noui ac ſitientes ad cœnæ repotia. Apuleius Apolog. j. *Aut ſecundo lauacro ad repotia cœnæ obeunda, vinolentum ſudorem in balneo deſudare.* Plutarch. lib. de cura valetud. οἱ μὲν ὑπὸ λαιμαργίας καὶ φιληδονίας ἐμβάλλουσιν ἑαυτοὺς ἐπὶ τὰ βαλανεῖα, καὶ σπεύδουσιν ἐπὶ τὰς περιπότους. *Alij gula & deliciarum cauſa proyciunt ſeipſi in balnea, feſtinántq. ad repotia.* De repotiis intelligi patet cũ ſubiungit, ἀπεψίαι καὶ βαρύτητα, καὶ πλησμονὴν σώματος εἰς βαλανεῖον ἑλκομένου. *Cruditatem, grauitatem, oppletionem corporis pertracti in balneum.* Crebra ſic poſt cœnam balnea. Horat. epiſt. vj.

Crudi tumidique lauemur. Iuuenal. Sat. j.

Pœna tamen præſens cum tu deponis amictus

Turgidus, & crudum pauonem in balnea portas.

Tangit & Artemidor. c. lvj. lib. j. οἱ μὲν οὐ πρότερον ἐσθίουσιν εἰ μὴ λούσαιντο. οἱ δὲ καὶ ἐμφαγόντες. *Alij non ante cibum capiunt quàm lauerint: hi autem et à cibo.* nempe lauant.

Sed cœnæ in ventriculo excoquendæ duplex mandonibus illis ſiue manducis via, vna balneo & lotione, de qua dixi: altera verò ſudatione aſſa, & ſine lotione, in Laconicis videlicet. Vitruuius c. x. & ſeq. lib. v. Itaque & Dio lib. liii. dixit πυριατήριον λακωνικόν. vbi & ratio nominis. De hoc genere ſudationis aſſæ Iun. Columel. prooemio lib. j. *Mox deinde vt apti veniamus ad ganeas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exſucto ſudore ſitim quærimus.* Sic & Vitruuius c. xj. lib. v. oppoſuit *Laconicum & caldam lauationem.* Et Cornel. Celſus, *balnea & aſſas ſudationes* c. vlt. lib. iii. Depingit hæc Laconica L. Seneca Natural. quęſtion. c. xxiv. lib. iii. Idémq. nuperum hoc ſiue memoria ſua inuentum eſſe ait epiſt. xc. Sed memoriam ſuam accipit ἐν πλάτει Nã Laconicum Romæ iam Vipſanius Agrippa fecerat. Dio lib. liii.

Hæc itaq. *aſſa calla*, id eſt, ſicca & ſine lotione. Gloſſæ *Aſſa cella* ἀφιδρωτήριον. Sic & in Epicteti cum Hadriano altercatione *aſſam perferentariam* accipe ſiccam, ſiue Laconicum. Neque illi altercationi gloſſæ pugnant, vt eſt in commentario ad notas Theophraſti c. de impudentia. Nam vtriſque & Epicteto & gloſſis aſſa cælla eſt ſudatoria: ſed duplex ſudatoria cælla eſt, aſſa, & cum lotione. De aſſa tantùm gloſſæ: Epictetus de vtraq. Eleganter Epicteto pueritia, *calla* vitæ *ſudatoria*: iuuentus *aſſa perferentaria*. Pueritiæ ſudatio humida: iuuentutis ſicca. Pueritiæ ludicra: iuuentutis perferentaria. Pueri humidi & calidi, qualis ſudatio balnei: iuuenes calidi & ſicci, qualis ſudatio Laconici.

Balneorum itaq. propriæ tres cællæ, Frigidaria, tepidaria, & caldaria ſiue ſudatoria. Pleriſq. balneis quaſi adpendix quarta, Laconici ſiue cælla aſſa. Hæc vbi, ea balnearia magis quàm balnea. Proprié dictum a Cicerone epiſt. j. lib. iij. ad Q. Fratr. *Aſſa in balnearijs.*

Plerumque ergo tres balnei cællæ numerantur vt Plinij epiſt. vj. lib. v. vbi pro *tepidaria*, *mediam* dixit. Tepidaria enim media ſiue interiecta inter *caldariam*, & *frigidariam*. *Frigidaria*, inquit, *cella connectitur media, cui ſol benigniſſimè præſto eſt, Caldaria magis.* Magis caldariæ, quia & huic magis opus ſolis radius. Male ibi corrigunt, *Caldaria magis.* Sic eadem *tepidaria* & *vnctuaria* Epicteto, & Plinio epiſt. xvij. lib. ij. *Unguentaria.* Sidonio epiſt. ij. lib. ij. Galenus autem Methodi lib. x. quatuor cællas balnei, & quidem aliter recenſet. Primam (cuius mentionem facit quoque lib. ix. Simplic. medic. c. De chalcanto) προμαλακτήριον ſiue *præmolliendi*. ij. λουτρὸν ſiue *aqua candida*. iij. *aqua frigida* iv. *ſudatoriam*.

Neq. illud ſincerum ad notas Theophraſti, ahena Vitruuio accepta pro cællis c. x. lib. v. Abſciſè ibi *Caldarium* & *tepidarium*, pro *cella caldaria, tepidaria,* vt etiam L. Senecæ epiſt. xxcvj. Notari & illud in notas illas ibi iacta ahenorum mentione debuit, ahena illa tria quæ Vitruuius ponit, eſſe miliaria thermopolij, de quo dicam poſt paullò. Neq. rectiùs eadem fecêre *ahena, miliaria, ſcutra*, & *cucumas.*

Teletis philoſophi locus ex Stobæi Sermone cxxxvij. ad notas illas in menda relictus τὴν μὲν εἰδῶν ἀποπυρίαν ποιήσας. Et τὴν μὲν εἰδῶν ἀπόπειραν ποιήσας. *Poſtquam ſpecies omnes pratentauit.* nempe aquas aheni frigidarij, tepidarij, caldarij, ſiue ſpecies omnes thermopolij, περιχέας, &c. tùm perfundit Cynicus ille ſeipſe & abit. Planiſſimè quidem hoc Cynicus ille vt Theophraſti impudens αὐτὸς αὑτὸν καταχέει perluit ſeipſe, & abit inquiens balneatori. *Laui*, χαχεῖθεν οὐδεμία σοι χάρις, *neque vlla tibi inde gratia.*

Dixi de balneo & Laconico, fuit & tertium gumiis illis ad poſtcœnium & repotia iter, *inſolatio.* De qua dixi, ad Sat. iv.

ATQ. ALBO VENTRE.

Hydero tympanite, vt ante dixi.

GVTTVRE LENTE EXHALANTE.

Exhalante animam qualis crudorum, & ructantium cœnam dubiam.

SVLFVREAS MEPHITES.

Seru. ad Æneid. vij. Priſcian. c. xix, lib. vij. Sic & ſulfureus color crudorum. Martial. epigr. xliix. lib. xij.

SED TREMOR INTER VINA SVBIT.

Horat. epiſt. xvj. *Donec manibus tremor incidat vnctis.*

Balnei vſus noxius ægris. Plin. epiſt. iix. lib. ij. *Quæ ſic concupiſco, vt ægri vinum, balinea, fontes.* Et epiſt. j. lib. vij. quæritur an viceſimo poſt febrim die tuto iret in balneum. Artemidor. Dald. c. lvj. lib. j. Ægroto ſomnianti ſe in balneo eſſe, denotari valetudinis reciperationem. Ἐρρωμένων γὰρ, inquit, τὸ λούεσθαι. *Nam valentium eſt vti balneo.* Maximè autem hydropicis balneis vſus capitalis. Cornel. Cel. c. xxj. lib. iij. Peccat ergo bifariam vappa hic. Nam & in febri eſt, & cum aqua intercute. Hinc itaque vt ex inritatione morbi vtriuſque tremor. Sic

Lucret. lib. iij. de illo cui morbus acer.

———*Ingemit, & tremit artus.*

Inueteratis morbis tamen vtile balneum. L. Seneca epiſt. xcv. *Diutinam ægrotationem, balneo ſudoribúſque laxare* Et quidem iam olim Dionyſius Ægeus in Dictyacis apud Photium Bibliothecæ p. 279. quaſi de problemate in vtramque partem diſco ruerat. Ὅτι λουτρὸν τοὺς πυρέσσοντας λυσιτελεῖ, καὶ ὅτι ἀσύμφορον. *Balneum his qui febrim habent*, vtile eſſe: & non eſſe.

Calidvmq. trientem.

In balneis enim θερμοποσίαι. L. Seneca epiſt. cxxij. *Vt ſudorem quem mouerunt potionibus crebris ac feruentibus ſubinde diſtringant.* Eaque fini & thermopolia in balneis. Patet vetere pictura thermopolij, vbi nudi ad miliaria. Et thermopolium in thermis Diocletiani olim. Et in balneis thermopolium adpingit Vitruuius c. x. lib. v. Et apud Plautum Rudente balneatoris officium temperare balneum, & thermopolium Sc. X.

Legunt autem gloſſæ veteres. *Calidumque triental.* & triental eſſe aiunt, *calicem capientem tertiam partem ſextarij aut tres heminas.* Aptius alij, *trientem.* quæ pars ſextarij quarta. Notæ locutiones potandi non quadrantalia aut trientalia, ſed quadrantes, trientes, ſextantes, deunces, quincunces, beſſes. Pleni his potandi menſuris poetæ, & ante omnes Martialis. Hæc cum certis certiora ſint, venit tamen aliquis poſtea cum *trientali* ſuo. Apage.

Dentes retecti.

Sic morientium, & mortuorum dentes. Ergo Appius Clauſus Z literam *deteſtatus quod dentes mortui dum exprimitur, imitatur.* Martianus Felix lib. iij. Dentes ſcilicet, huius elementi adpellatione reteguntur.

Crepvere.

Geſtus morientis. Apuleius lib. x. *Et adtritu dentium longo ſtridore reddito, ante ipſos præſidis pedes exanimis corruit.* Sic & letale in febribus ſignum ὀδόντας συνερίζειν ἢ πρίειν. Hippocr. in Coacis. Et in Prognoſtico. Et in Protrepticis. Paullus Ægineta c. iv. Cornel. Celſ. c. vj. lib. ij. Hic ſuperuenit aliquis poſtea negans hæc ſigna eſſe mortis propinquantis hoc Perſij loco. Ita? Quid ergo eſt, dic ὦ φιλότης, ſequens illud. *Hinc tuba, candela, tandemq.* &c. Deinde meam ex medicis ſubtilem περιεργίαν vituperat, & quaſi geſtiens lætitia, aut *vitulans victoria* clamat, ſic interpretantes *nihil aliud conſequi, quàm vt mentem auctoris ſe non vidiſſe palam faciant.* Hæc enim talis eorum Latinitas. Ipſi autem quo explicant modo? Videre, an ridere magis? operæpretium eſt. *Dentes crepuere retecti, exeſis gingiuis.* &c. *Eu, hercle interpretem catum, malum, crudumque & callidum.* &c. Sed nolo ἀντιπεριχαλαζονεύεσθαι.

TVNC PVLMENTARIA.

Melius alij, *hinc pulmentaria*, pro, dehinc.

LAXIS LABRIS.

Hippocrates in Prognoſtico. θανατῶδες, χείλεα ἀπολυόμενα καὶ κρεμάμενα. *Mortiferum ſignum, labra ſoluta & pendentia.*

HINC TVBA.

Pinxit morientem, ſequitur funus. Tubæ in funere ad næniam ſiue carmen funebre. Patet Appiani lib. j. in funere L. Sullæ, & Plutarchi libro de animal. ſollertia, vbi & notabilis tubicinum cantantium næniam, & totius funebris pompæ ἐπίστασις ſiue ſtatio ad Græcoſtaſin. Propert. eleg. vlt. lib. iv. Hinc & Epicteto in altercatione. *Tuba, funeris deploratio.* Vt & Propert. eleg. iix. lib. ii. *Tuba vana querela fati*, ſiue mortis. Hinc & illud Petronij. *Ad tubicines mittere.* Tāgit hunc ritū & Horatius Sat. vj. lib. j. Ouid. eleg. vj. lib. ij. Amor. alij. Tubarum autem funebrium & næniæ ratio vna ex phyſicis, vt cantu aberrent pauliſper animi à luctu. Alexander Problem. lxxiix. lib. j. altera ex hiſtoria fabulari, quam tradit Hyginus c. cclxiv. A Tyrrheno inſtitutum vt mortui cum ſepelirentur populus ſono conchæ pertuſæ vocaretur, & cerneret non iam Tyrrheni comites ἀνθρωποφαγεῖν vt ante, ſed ſepelire. Ad hoc exemplum deinde natam Romæ conſuetudinem, vt in funere tubicines canant, & amici vocentur teſtificandi cauſa illum qui effertur, nec veneno, nec ferro exſtinctum, ſed morte ſua obiiſſe. Hinc C. Tacito lux lib. iii. vbi ait in funere Germanici requiſitam à populo næniam. Aculeus ille populi in Tiberium, quo non inſciente Germanicus necatus veneno. Dixi ad legem xii. Tabub. c. xc. Ex eadem cauſa receptus & collocandi ad ianuam mortui ritus, de quo iam mox dicam. Iul. Pollux c. j. lib. iix. καὶ αἱ προθέσεις δὲ διὰ τοῦτο, ἐγίγνοντο, ὡς ὁρῷτο ὁ νεκρὸς μήτι βίαιως πέπονθε. *Et vero etiam collocationes iccirco fiebant, vt cerneretur mortuus, ecqua ei vis allata.*

Ac propriatim quidem tubæ funeris indictiui & publici vt patet locis antedictis: tibiæ funeris priui, & non indictiui. Potuine ſperare venturum aliquem qui diſcrimine hoc tam apertè conſcripto, inſultaret nobis tamen, & πολυαιχμαλωσίαν tribueret, iudicium demeret, cuius ipſe οὐδὲ πασσάλην ἔχει. Ita licet huic tam *contemtim conterere* quib. inuidet? Licet, vt ſcripta quæ *laudat amatque domi, premat extra limen iniquus*? Sed ita nunc ferè viuitur, vt quò quiſq. *ruſtus* magis aut *ſtolo* eſt, ita *Phœnix literarum* aut *triumuir* audire velit: Dixi ad legem xii. tabular. c. xc. Bene itaque nunc tubam dixit in funere diuitis ac nobilis.

CANDELÆ.

Candela, cerei. Gloſſæ. *Candela*, λαμπτὴρ, κηρίων. Et benè cerei in toroſuli funere, quippe acerbo. Sic ritus Romæ. L. Seneca c. xj. lib. j. de tranquill. *Totiens præter limen meum immaturas exſequias fax cereuſque præceſſit.* Et epiſt. cxxii. *Quantulum enim à funere abſunt, & quidem acer-*

bo, qui ad faces & cereos viuunt? Et c.vlt. de breuitate vitæ. *At mehercule iſtorum funera ad faces & cereos ducenda ſunt.* Hoc eſt, digni ſunt funere acerbo. Propriſſimè autem funebres candelæ è ſcirpis. Plin. c. xxxvij. lib. xvj. In hanc obſeruationem prorepſit ridiculiſſima declamatio. *Si*, inquit, *indicij maturioris ſale condiſſet huinſce obſeruationis auctor* πολυαναγνωσίαν *ſuam, honori ſuo melius conſuluiſſet. Quàm multa enim peccat? vt cum tubam propriam funeris publici facit: cum ex candelarum mentione funus acerbum hic deſcribi coniectat, quo quid abſurdius?* &c. Hæc iſta illius clamationis eſt Latinitas. Sed de tuba quidem funeris indictiui ac publici propria, nihil opus reſoluere vlterius tam odioſam clamationem, ſatis eſſe poteſt, miſſa Philippi regis ſalutatio ad Menecratem.

De candelarum vero mentione, *quis hoc poteſt videre, quis poteſt pati*, exiſtere Ariſtarchos, qui quemadmodũ rureſter ille Thracius olim pro ſentibus ac rubis oleas detruncent, vites conuellant, fructetáq. & virgulta feliciſſima exſtirpent?

Ego acerbi funeris hanc deſcriptionem Satyricam eſſe dixi, quippe adoleſcentis ſub ſipario & larua Stoica, diuitiis, vitiis, luxu perditi, quique etiam ſuperius inducitur ſic reſpondens doctori ſuo. *An tali ſtudeam calamo?* &c. Et cui dictum eſt illud, *Diſce*, &c. Quid contra clamatio? Non de adoleſcente, inquit, Stoico, ſed viro militari agitur, vt vel ille fidem verſus vnus facit: *Hic aliquis de gente hircoſa centurionum*, &c. Tum ſeipſa demirans, magnificeq. circumſpiciens, & nobis inſultans, aut vt Afer ille dixerit, inequitans. *An*, inquit, *virorum militarium acerba ſunt funera?* vt ſi argumentetur. Qui *de gente hircoſa centurionum* eſt, is planè vir militaris eſt. Hic quẽ Perſius hac Satyra πλωΐς, de gente hircoſa centurionum eſt: Ergo plane vir militaris eſt. Atqui militarium virorum funera non *acerba*, ſed *iuſta, maturaq.* ſunt. Ergo non eſt hæc funeris acerbi deſcriptio. Quid pote διαλεκτικώτερον; Sed cum hæc pronuper neſcio quis in libro illo aperantologiæ gargaridato ad Perſij Satyras legeret, at ego, inquit, contra ſic argumentari facile poſſe videor. Is qui de gente hircoſa cẽturionum eſt, poteſt adoleſcens, poteſt etiam puer eſſe, vt apud Q. Horatium, *Quo pueri magnus à centurionibus orti.* Adoleſcentis autem eſt funus acerbum, Ergo eius qui de gente hircoſa centurionum eſt, *funus acerbum* eſt. Nunc ſedeamus pauliſper ad calculos, & numeremus quàm multa ſimul peccarit clamatio illa. *Primum*, funeris acerbi hanc deſcriptionem eſſe perſuaderi non potuit. *Alterum* quod *gentem hircoſam centurionum* accepit quaſi *nationem* dixiſſet Perſius. *Tertium*, quod aliquem de gente hircoſa centurionum videre ſibi viſa eſt, centurionem cum hirquina barba adſtantem aliquem. *Quartum*, quia cenſet omnes de tali gente eſſe viros militares, cum Perſius *de gente*, poſteros intelligi velit, vt aliquis de gente Cornelia, ſiue gentis Corneliæ, aliquis de gente hircoſa centurionum, alicuius hircoſi centurionis filius aut nepos. *Quintum*, quia neſciuit

clamatio, quid intereſſet funus *acerbum* ſiue *inmaturum*: & *iuſtum* ſiue *maturum*. Sic enim agit quaſi acerbum funus ſit tantum pueri aut adoleſcentis, neque vllum exiſtere poſſit viri militaris. Atqui eſt omnium qui ætate florente, funus *acerbum* & *inmaturum*; *iuſta maturaque* ſunt funera eorum qui conſenuêre. Nec moror Iſidori differentiam, *funus acerbum eſſe infantis: immaturum iuuenis: maturum ſenis*. c.ij. lib. xj. Nã funus infantis *ſuggrundarium* eſt propriè, vt apud Placidem in verbis antiquis. Vſus autem obtinuit, vt funus acerbum pro funere diceretur quouis non maturo. vt Amphitruonis Plautinæ Sc. j. Aſinariæ Sc. x. L. Senecæ epiſt. 1c. ſiue vt ego numero C. Auſonij tumulo xv. xx. xxix. Atque ſic Euripides ἀώρους θανάτους dixit, quas Cicero iii. Tuſcul. *mortes acerbas* reddidit Latinè, & *inmaturas exſequias* L. Seneca c. xj. De tranquill. Atque ſic oppoſita funera *iuſta* & *matura*, *acerbis*, vt Auſonij Parentalib. xlv. xlvj. lj. Hinc etiam illa Ciceronis definitio Tuſcul. iv. *Luctum ægritudinem* eſſe, *ex interitu cari hominis acerbo*. *Sextum*, quia ſine ratione vlla, tanquam Pythagoricus aliquis αὐτὸς ἔφα, negat clamatio L. Senecæ teſtimoniis, quib. ego rectè vſus ſum, id effici quod intendi ego. Atqui non apertius hæc mea contra clamationem illam numeratio venit, quàm illis pro mea cauſa, locis, L. Seneca. *Septimum*, quia ex delicato adoleſcentulo, & philoſophiæ Stoicæ deditum ſe fingente, centurionem hircoſum fecit. *Octauum* quia neſciuit Romæ vt quiſque deliciis luxuq. profluentior, ſic Stoicum ſe feciſſe maximè, vt Q. Horatij Epoda iix. Argutè hunc diſſerit ſenſum Epictetus Arriani c. xix. lib. ij. & inter alia queritur τὰ ἐπικούρεια, vocari λογάρια στωϊκὰ *Epicuri decreta* vocari, *ſententiolas Stoicas*, aut *paruulos ſermones* Stoicos. *Nonum*, diſcrimine cerei & funalis, non diſtingui funus acerbum à maturo. Hoc proinde eſt vt ſi diceret L. Seneca c. vlt. De breuit. vitæ c. xj. De tranquill. animi, & epiſt. cxxij. *admodum mentitus* eſt. At vt mihi oſtendere facile eſt, triplex differentia illa *Cerei* in funere *infantis* ſiue *ſuggrundario*: cerei & faces in funere *acerbo*: faces tantùm in funere *maturo*. Sed iam defeſſus ſum numerando, nam *ſi ante lucem* numerare *occipiam*, à *primo* errore.

Concubium ſit noctis, priuſquam ad poſtremum peruenero. Sic itaque tibi pro falſo gloriolæ choragio quæſito, manipulus errorum tuorum ô clamatio, inuentus eſt.

De candelis autem in funere, etiam C. Plinius c. xxxiix. lib. xvj. Seruius ad Æneid. xj.

TANDEMQ.

Parata iam funeris pompa.

BEATVLVS.

Satyrica dilogia, *beatulus*. Beatus Romæ vel diues, vel mortuus. Amian. Marcellin. lib. xxv. *Quem cum beatum fuiſſe Salluſtius reſpondiſſet præfectus, intellexit mortuum*. Forte an melior lectio. *Quem cum beatum, &c fuiſſe*. &c. Horat. Epoda iix. *Eſto beata*, &c. Sic *felices* pro mortuis,

Horat. Sat.ix. lib. j. Martial.epigr. I.lib.x. Et Atticis μακάριος, μακαρίτης, εὐδαίμων. Planiſſimè hoc Menander, Stobæi Serm. .cclxxv.

Διὰ ταῦτα γὰρ τοι καὶ καλοῦνται μακάριοι.
Πᾶς γὰρ λέγει τις. Ὁ μακάριος οἴχεται
Κατέδαρθεν εὐδαίμων.
Ergo & beatos nominitamus mortuos.
Abijt beatus ille. Ita omnes inquiunt.
Obdormit felix. Sic Theocrit. Pharmac.

Lucian. Philopſeude, & lib. de luctu.

ALTO LECTO.

Altus lectus feralis huic toroſulo, quippe in funere indictiuo & publico, vt diuiti, & nobili. Sic *feretrum celſum*, Silij Ital. lib. x. Et Virgilij Æneide xi. mortuus, *ſublimis*. Et Luciani lib. de luctu, ὑψηλὸς καὶ μετέωρος, ὥσπερ εἰς πομπὴν κεκοσμημένος. Celſus & ſublimis, & quaſi in pompam ornatus. Altus vero etiam lectulus feralis quia tomento fartus, & exaggeratus puluinis. Martial. epigr. xliv. lib. iix.

Fartus papiro dum tibi torus creſcit.

Propert. lib. ij.

Nec ſit in Attalico mors mea nixa toro.

Sed alia de lecto ferali, & de lectulis imaginum dicendi meta. Et quidem facilis de hac vna pompæ funebris parte, non breuis notæ, ſed libri iuſti ſcriptio mihi, vt & de ceteris omnibus quæ ſtrictim nunc tango ad Satyras Perſij. Addo, *præfiſcinè*.

COMPOSITVS.

Notat πρόθεσιν ſiue collocationem mortui de qua Iulius Pollux c. j. lib. iix. c. xix. lib. iij. Gloſſæ, Collocatio. εἶδος νεκροῦ. Menander. Generis demonſtratiui c. xvj. lib. j. Καὶ Θηνείοις νύκτωρ ἡ πρόθεσις, ἢ προθέσεως ἡμέρα τακτή, ὡς τὸ Ἀθήνησι. Lego. Καὶ Θουρίοις νύκτωρ ἡ πρόθεσις, ἢ προθέσεως ἡμέρα τακτή, ὡς Ἀθήνησι. *Et Thuriis noctu collocatio: aut collocationis dies præfinita vt Athenis.* Sic Attica lex apud Demoſth. in Macartatum. Τὸν ἀποθανόντα προτίθεσθαι ἔνδον ὅπως ἂν βούληται. *Mortuum collocato in ædibus*, ſcilic. dominus funeris, *vt voluerit*. Hoc verbo, *vt voluerit*, liberum facit domino funeris ornatum mortui, vt palliolum, coronam floream, aliaq; ſed non partem ædium. Collocationi enim præfinitus locus limen ſiue veſtibulum. Sic Iliade vij. Patroclus mortuus

Κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος.
Veſtibulum ſpectans iacet.

Sic & Suetonij cap. c. Auguſti funus *in veſtibulo domus collocatur*. Et Virgilij Æneide iix. Pallantis corpus poſitum in limine.

———Recipitq. ad limina greſſum,
Corpus vbi exanimi poſitum Pallantis, Aceſtes

Seruabat ſenior. Vbi & notabilis, cuſtos adpoſitus collocationi. Etenim mortuus neque ante collocationem, neque in collocatione ipſa, neque poſt collocationem & in pompa ipſa ſiue exſequiis, ſine cuſtode. Ante collocationem vt Apuleia ſini lib. ii. vbi & auctoratus cuſtos eiuſmodi feralis, ex formula. *Si qui mortuum ſeruare vellet, de pretio liceretur.* De hoc genere & illud l. xiv. §. iv. D. De religioſ. *Item & ſi quid ad corpus cuſtodiendum vel etiam commendandum. Ad cuſtodiendum,* vt à mercenario: *ad commendandum*, vt amico. Sic intellige, neque cauſa cur litigent, *commendandum* ibi an *commundandum.*

Collocationi autem cuſtos vt dixi: poſt collocationem etiam cuſtos ſepulchri ſubinde. Hinc illud l. lxxj. §. ij. D. De condic. & demonſtr. *Titio centum relicta ſunt ita, vt à monimento meo non recedat.* Hæ cuſtodiæ collocationum & ſepulchrorum ne defuncto cadaueri fieret iniuria, vt ab inimico, aut creditore, aut ſagana, aut violatore ſepulchri ſiue τυμβωρύχῳ. Quamuis copioſè hoc differerem, ſi Perſius nunc ſineret. Nam hic quidem magis quæ reliqua de collocatione ſunt, reddi poſcit.

Collocauêre funus propinqui, vt parentes, fratres, alij. Itaque Lyſias de cæde Eratoſth. vt inſolens notat quod triginta tyranni κλίνιον μισθωσάμενοι προὔθεντο αὐτόν. *Conduxére lectulum in éoque compoſuere illum.* Etenim caræ cognationis hæ partes, non extranei, aut iudicis. Etiam Dio lib. liix. Tiberium notat quod Liuiam οὔτε νοσοῦσαν ἐπεσκέψατο, οὔτε ἀποθανοῦσαν αὐτὸς προέθετο, *neque ægrotantem viſerat, neque mortuam ipſe collocauerat.*

Cur autem ritus hic collocandi receptus iam dixi, vbi de tuba ferali.

Sæpe ad ritum illum Poetæ ludunt, vt Plaut. Amphitruonis ſc. j. Martial. epigr. lxvj. lib. v.

Sed prô Critica Dea tuam fidem. Hypercritica enim aduerſus hanc meam obſeruationem clamatio venit, magnificéq. ignaua ſe inferens, adſerit hunc locum Perſij, non de compoſitione ad limen ſiue προθέσεως πέρι capiendum, ſed περιστολῆς νεκροῦ, qua corpus lotum atque vnctum & linteis inuolutum, corolliſque & id genus aliis ornatum ferali lectulo, imponebatur: Ieiuneq. de hoc iſto ritu, neſcio quid hietat, de quo *ſexcenta tanta*, & meliora promendi copia mihi eſt. Digna prorſus clamatio illa eſt, *quò* ferulæ *omnes confluant.* Quid enim? Perſius περὶ προθέσεως non agit? Quorſum ergo ſubiungit, *In portam rigidos calces extendit?* Compoſitus, inquit, lecto, & vnctus, *extendit calces.* Poteſt ne quiſquam cui modò ſanum ſinciput intelligere aliter, quàm ad limen collocatus eſt? Eoque magis non poteſt, quia ſequitur mox, —*at illum Heſterni capite induto ſubiere Quirites.* id eſt, elatus eſt. Compendio, vt Satyram decet, funeris curationem & pompam ita perſtrinxit. Conducti tubicines, accenſa lumina, collocatus ad limen,

elatus

elatus eſt. Et huius tam pulchræ clamationis pater, etiam gloriari audet, ſe velle cauere *ne rudiorib.* (ſic enim loquitur) *ego imponam?* Scilicet. *Hic poterit cauere recte, iura qui & leges tenet.* Sed *vltro* illum *à vobis* tirones. *Cantor ipſe captus eſt.*

GRASSISQVE AMOMIS.

Nam collocatio ſequebatur vncturam & pollincturam, Lucian. lib. de luctu. Μετὰ ταῦτα δὲ λούσαντες αὐτοὺς, καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα, καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι, προτίθενται. *Deinde lotos eos, vnguentóque optimo delibutos, & coronatos tempeſtiuis floribus, collocant.*

Dixi *vncturam & pollincturam.* Vnctio enim propinquorum munus, pollinctura vnctio ſeruilis Tull. j. de legibus, Expediui ad legem xij. Tabul. c. xciv.

Vnctionum feralium differentiæ multæ. j. Alia libera & priſca: alia ſeruilis & noua. ij. Vnctio vna mortui ante exſequias & collocatioñe, altera poſterior. iij. Vnctio aut mortui eſt, aut reliquiarũ. iv. Vnctio aut odoribus & aromatis fieri ſolita, aut abdomine. Aliæ item multæ vnctionum differentiæ, ſed iuſti voluminis ea res, non perfunctorij commentarioli ad Perſium. Tangit vero nunc Perſius vncturam primi generis vtramque ſecundi tertiique generis priorem.

Amomis autem dixit, quia frequens amomi vſus in feralibus vnctutis, vt Ouidij eleg. x. lib. j. Iuuenal. Sat. iv.

LVTATVS.

Oblitus craſſo vnguento tanquam luto. Sic M. Cato c. xcij. de re ruſt. eodem ſignificatu *oblinere luto*, & *lutare* dixit. Et Ail. Lamprid. in Alagab. *Lutare titulos ſtatuarum. Etiam delutare.* Cato idem c. cxxiix. Sic D. Hieronym. Apol. j. in Ruffinum, *Lutata facies.* Et lib. ij. in Iouinian. *Lutatis pedibus.* Plauto eſt *lutulare*, in Rudente. Vnguento autem lutare eſt μυραλοιφεῖν, cui oppoſitum χρίεσθαι. L. Clem. Alexandrin. Pædagogi c. iix. lib. ij.

IN PORTAM RIGIDOS CALCES EXTENDIT.

Homerus Iliade vij. de funere Patrocli. κεῖται ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος. Collocati ſcilicet pedibus in ianuam verſis. Ratio eccilla Plinij c. iix. lib. vij. *Ritu natura capite hominem gigni: pedib. efferri.* Senecæ epiſt. xij. *Foras ſpectare.*

HESTERNI QVIRITES.

Liberti manumiſſi teſtamento, liberti Orcini, ſiue Charoniani, ſiue charonitæ. Ambitus ille autem proceribus Romanis quamplurimos, ſæpe & omnes ſeruos manumittendi teſtamento, ἵνα χρηστοὶ καλῶνται νεκροί, καὶ πολλοὶ ταῖς κλίναις αὐτῶν ἐκκομιζομέναις παρακολουθῶσι, τοὺς πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες. *Vt bene eis diceretur, vtque multi lectulos eorum ferales ſequerentur pileati.* Dionyſ. lib. iv. Non dixit τῇ κλίνῃ, ſed ταῖς κλίναις. Secuti enim hi pileati patroni

ſui lectulum proximè illi quidem, ſed ante lectum ipſum mortui, erant lectuli omnes imaginum.

Plurimi vero illi & longiſſima ſerie plerumque imaginum lectuli. Etenim quot maiorum imagines totidem lectuli, ſiue ſuus ſibi cuique imagini lectulus. Patet C. Taciti annali iv. in funere Druſi, & annali iij. in funere Iuniæ. Et Dionis lib. lvj. in funere Auguſti. Sic in funere Marcelli filij Octauiæ ſororis Auguſti, lectuli ſexcenti. Seruius ad Æneid. vj.

Pono ante mortui lectulum, lectulos imaginum, vt & Silius lib. x. vbi de funere quod Marcello fecit Anibal.

——— *Nec celſis de more feretris*

Precedens priſca exſequias decorabat imago.

Priſcas imagines dixit maiorum imagines, quæ in lectulis. Cum inquit *precedens*, accipe curru vectam. Curribus vehebantur imaginum lectuli. Polyb. lib. vj. αὐτοὶ μὲν οὖν ἐφ' ἁρμάτων οὗτοι πορεύονται. Eo reſpiciens Papin. Thebaide vj. dixit.

Exin magnanimum ſeries antiqua parentum

Inuehitur.

At ipſius mortui lectus humeris geſtatus.

Ante currus illos lectulorum, lictores cum faſcibus, aliáque inſignia magiſtratuum, quos illi geſſere olim, quorum hæ imagines. Polyb. lib. eodem. Alia ſexcenta de his lectulis imaginum, & funere imaginario dicerem, ſed operam ſibi nunc Perſius dari vult.

CAPITE INDVTO.

Pileati. Liberti orcini, in patroni ſui exſequiis pileati. Dionyſ. loco antedicto. Appianus Mithridatica. Plura de his pileatis dico ad Sat. v.

SVBIERE.

Non quidem lecto ſiue feretro ſubiêre illi, ſed pone lectum, Soliti autem quoq. antecedere. Iuſtinianus l. vnica §. Sed & qui. De Lat. libert. toll. *Sed & qui domini funus pileati antecedunt, vel in ipſo lectulo ſtantes cadauer ventilare videntur.* Itaque Dionyſ. dixit παρακολουθεῖν ſiue ſequi. Appian. Mithridatica προῄεσαν.

TANGE MISER VENAS.

Inducitur ille quem Stoicus mortuum pinxit, refellens Stoicum, & viuere ſe ac valere aiens. Tange, inquit, miſer venam, belliſſimè valeo. ἅπτου τῆς φλεβὸς σχέτλιε. Miſer vt Homero σχέτλιε, ὀξὺ, ἰσχυρὲ, σφοδρέ. Conuenienter hoc ille in Stoicum cenſorem, & ἐπιπλήκτην. Interpungendum autem.

Tange miſer venas, & pone in pectore dextram,

Nil calet hic: ſummoſq. pedes adtinge manuſque,

Non frigent.

VISA EST SI FORTE PECVNIA.

Sane, inquit Stoicus, corpore vales, ſed ab animo peſſimè. Etenim ſi pecuniæ & lucri, aut adulteræ & mechimonij ſpes oblata, cor tibi non rite ſalit, ſed morbum tuum declarat, auaritiam & libidinem; ſi olus & panis cibarius adponitur, alius morbus tuus patere incipit; ligurius nempe & catillo deprehenderis. Sic itaque morbis toroſuli enumeratis auaritia, libidine, gula, metu, ira, oſtendit animo eum quaſi præmortuum eſſe, ac peiore loco quàm ſi efferatur.

SVBRISIT MOLLE.

Molliter, amatoriè. Vt Horat. Oda ix. lib. j.

CANDIDA.

Bella, vt Sat. ſeq. *Sum candidus.* Catull. epigr. xiij. *Cœnam, non ſine candida puella.* Et epigr. xxxiij. *Quamuis candida, millies, puella Euntem reuocet.*

VICINI PVELLA.

Filia aut vxor. Fabius Declam. cccj. *Puella pauperis.* id eſt, filia. Puella quæ iis mulier ætate virente, virgo, marita, vidua; vt L. xlj. §. vij. De legat. iij. Propert. eleg. iij. lib. iv. Alij.

COR TIBI RITE SALIT.

Lego interrogatorię, *ſalit?*

OLVS DVRVM.

Non autem teneri cauliculi & cymæ. Nam hæ in deliciis. Plin. cap. iix. lib. xix.

ALGENTE CATINO.

At in deliciis cauliculi calidi & virentes. Martial. epigr. cxx. lib. v.

Ponetur digitis tenendus vſtus
Nigra cauliculus virens patella.

Incorrecta correctio eſt, *Digitis tenendus vnctis.* Contra autem ſordium & paupertinæ vitæ, caules frigidi & pallentes. Iuuenal. Sat. v.

Pallidus offertur miſero tibi caulis.

Cauliculi vero illi etiam cymæ ſiue cymata Iun. Columel. in Hortulo. Marcellus in cyma. Sic Marcellus Empiricus c. xxx. *Lauriculi teneri, id eſt, lauri cymæ.* Item. *Sambuci coliculi teneri.* &c. De virore cauliculorum Palladius Februarij. Tit. xxiv. Plin. cap. iix. lib. xix. vbi tamen diſcrimine aliquo cauliculi & cymæ.

ET POP. CRIBRO DECVS FARINA.

Sic L. Senecæ epiſt. cxix. *Panis plebeius, eique oppoſitus, Siligineus.*

VLCVS.

Gulæ, catillationis.

PLEBEIA BETA.

Cauliculi & cymæ toroſulis: beta plebi. Martial. epigr. xiij. lib. iii.

RADERE.

Vt Horat. Sat. ij. lib. ij. *Gallina tergere palatum.*

ALGES.

Ὁ φόβος κατάψυξις. *Timor refrigeratio.* Ariſtoteles Problem. xxvij. Tomi vlt. Problem. iix. Tomi xxvij. Problem. xiii. Tomi x. Problem. xxxvj. Tomi xj. Et c. xiii. lib. ij. ad Theodecten.

TIMOR ALBVS.

Ex timore pallor. Ariſtot. Problem. iix. Tomi xxvii. Alexander Problem. xii. lib. j. Caſſius Problem. xlix. A. Gellius c. iv. lib. xix. Macrob. Saturn. c. xi. lib. vii.

EXCVSSIT MEMBRIS ARISTAS.

Horripilatio ex timore. Ariſtoteles Problem. iix. Tomi xxvii. Alexander Problem. xxvi. lib. ii. Macrobius loco eodem.

Ariſtas autem pro pilis, vt Sat. iv. *plantaria*, & *filix*.

NON SANI ESSE HOMINIS.

D. Hieronymus lib. j. in Iouinian.

SATYRA IV.

PRIMA Perſij Satyra in Neronis poeticam fuit, hæc in eius politicam eſt. Adoleſcentulus Nero imperij regimen ſuſcepit anno ſuo xvii. Suetonius Neron, cap. iix. Atque vt Satyra j. Nero Midas, ita nunc Alcibiades. De imitatione autem Perſij Platonica, Angelus Politianus Miſcellaneis c. iv.

REM POPVLI TRACTAS?

Ita? tu tirocinio tuo iam rei Romanæ dominus, ſiue Imperator?

BARBATVM MAGISTRVM.

Socratem. Sic *barbatos magiſtros*, Iuuenal. Sat. xiv. Et *barbatum* philoſophi *roſtrum*. Varro apud Marcell. in *Roſtrum*. Nota res de barbis philoſophicis ex Horatij Sat. iii. lib. ii. L. Senecæ epiſt. xliix. Luciani Hermotimo. A. Gellij c. ii. lib. ix. Sic Tatiano in orat. pro barbarie philoſophi πωγωνοτροφοῦντες *paſcentes barbam*. Et apud Plutarch. lib. de Iſi le philoſophorum πωγωνοτροφίαι.

Socratis quidem hermæ ſtatuæque omnes barbatæ, aliquæ & barba pexa in octonos pluteosve crines, quales Deorum & ſponſorum barbæ. Iuuenal. de ſponſo Sat. vi.

——*Jamque à tonſore magiſtro Pecteris.*——

Contrarium ἀπομαδαροῦν τὸν πώγωνα *facere caluitium barbæ*, in lege Moſaïca. Clem. Roman. Conſtitut. apoſtol. c. iii. lib. i. Hodie Leuitici cap. xix. eſt, φθείρειν τὴν ὄψιν τοῦ πώγωνος.

QVEM TOLLIT.

Tollit pro ſuſtulit, vt *tolliſſe* l. xiii. §. iv. D. De acceptilat.

SORBITIO CICVTÆ.

L. Seneca epiſt. xiii. *Cicuta magnum Socratem fecit.*

DIRA.

Nam vltimum & legitimum ſupplicium Athenis cicutæ potio illa. Plin. c. xiij. lib. xxv. Adde Valer. c. vj. lib. ij.

MAGNI PVPILLE PERICLI.

Sic C. Taciti annali xiv. Poppæa Neronem *pupillum* vocat, quaſi tutores ei Burrus & Seneca.

RERVM PRVDENTIA VELOX
ANTE PILOS.

Qualis apud Æſchylum in vii. ad Thebas ille qui

Γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει.

Mentem ſenilem, corpus veſticeps geris.

Et Pindar. Pythiis Oda iv. Κεῖνος γὰρ ἐν παισὶ νέος, ἐν δὲ βουλαῖς πρέσβυς. *Ille inter pueros iuuenis: in conſilijs ſenex.* Sic Tarchon canus prodiiſſe in lucem dictus, quia prudens à puero Geograph. lib. v. Et Tiberius ἔτι νέος ὢν ὁ πρεσβύτης ἐλέγετο. *Etiam iuuenis cum eſſet, ſenex nominabatur.* ſcilicet δι' ἀγχίνοιαν. *Propter ſagacitatem et prudentiam.* Herennius Philo lib. de legat. ad Caium. Et de ſophiſta Iuliano Eunapius. ὁ καὶ ἐν μειρακίῳ πρεσβύτης Ἰουλιανός. *Simul adoleſcentulus & ſenex Julianus.* Et Felix Caſſiodori amicus, *Senilis iuuenis.* Præfat. lib. xi. Et Macarius monachus. Παιδαριογέρων. Nicephor. eccleſiaſt. hiſtor. c. xiv. lib. ix. Palladius Lauſiacæ hiſtoriæ cap. xvii. *Ante pilos* verò, eſt ante barbam. Cum barba enim venire ſolita pleriſq. prudentia. Vnde conuicium in blennos & bliteos. *Barba ſine mente*, vt Theocriti Idyll. x. Et tangit Perſius Sat. j. Theodor. Serm. iv. De Prouid.

QVIRITES, HOC PVTO NON IVSTVM EST.

In Neronem hoc ad Quirites concionantem. C. Tacitus annali xiii.

IVSTVM GEMINA SVSPENDERE LANCE.

Interrogatoriè, *lance?* vt & ſequentia. *Ironiam* eſſe aiunt aliqui, & tollunt negationem; ſed vnâ ibi quoq. acrimoniam Satyræ tollunt Perſio. Lances verò inſigne iuſtitiæ. Dico ad legem xii. Tabular. c. xiv.

RECTVM VBI INTER CVRVA SVBIT.

Eiuſdem ſortis vetus dicterium. *Hic nobis curua corrigit.* L. Seneca ludo Claudij. Et *Inuenimus qui curua corrigeret.* Plin. epiſt. vlt. lib. v.

CVM FALLIT PEDE REGVLA VARO.

Ερωτητικῶς, *varo?* Malè in aduerſariis c. iix. lib. xxx. Perſium accipiunt de regula ſiue canone architecti. Quære, quis illius regulæ pes? *Scapus*, inquiunt, *ſiue haſtile regulæ.* At enim ſic regula erit pes regulæ. Pſeudocornutus autem vt ſolitus eſt perplexè, modo de lance, mox de norma. mera nugalia. Regula enim pede varo eſt decempeda ſiue

pertica non recta, quare & pedes in ea notati, vari ſint neceſſe eſt, & fallant agrimenſorem ſiue cenſitorem, ſiue decempedatorem, ſiue gromaticum. In decempeda ſiue pertica pedes notatos indicio eſt nomen ipſum decempodæ, & Græcis δεκάπους Priſcian. lib. vj. Iſidor. c. penult. lib. xv. Auctores varij de limitib.

Perticam ſiue decempedam bene regulam vocari ſciunt periti rei gromaticæ, neq. Philoxeni gloſſæ neſciunt. *Pertica*, inquiunt, χανών, χάμαξ.

Lances itaque, diſcrimen recti curuique, & decempeda, Perſio ſunt allegoricè officia principis & magiſtratuum. Lances iuris & iniuriæ, rectum & curuum, illud præmij hoc pœnæ, decempeda ſiue pertica, iuris regula inter contrahentes plus habenti adimens, minus habenti addens: quemadmodum cenſitores decempeda ſiue pertica ſua inter finitimos.

NIGRVM VITIIS PRÆFIGERE THETA.

Interrogatoriè & hoc, *theta*? *Theta vitijs præfigere*, iuſtam proferre in reos ſententiam. Leg. Iſidor. c. iii. lib. j. *Theta* nota mortis. Iſidorus lib. eiuſdem c. xxiii. Martial. epigr. xxxvi. lib. vii.

QVIN TV IGITVR.

Quaſi reſponderit Alcibiades ſe nihil horum ſcire, Quin tu igitur inquit, &c. Quin igitur deſinis imperator & magiſtratus eſſe velle, ſi ea quæ dixi, principis & magiſtratuum officia neſcis.

SVMMA NEQVICQVAM PELLE DECORVS:

Sic Horat. epiſt. xvi. & Sat. j. lib. ii.

CAVDAM IACTARE BLANDO POPELLO:

Oſtentare te & adulari, vt canes ſoliti cauda, qui inde σαίνουσι. Interpres Æſchyli in ſeptem ad Thebas. Atque hoc verbo vno χαρκώπιζειν. Suidas.

ANTICYRAS MELIOR SORBERE MERACAS.

Cui elleborum nigrum ſiue Melampodium opus magis quam imperium aut magiſtratus. Inſane. Veratrum nigrum optimum ex Anticyra. Dioſcorides cap. clj. lib. iv. Hinc *ſeceſſus Anticyræ*, Sueton. Caij cap. xxix.

QVÆ TIBI SVMMA BONI EST?

Quod τέλος, qui ſcopus vitæ?

VNCTA VIXISSE PATELLA SEMPER.

Reſponſum Alcibiadis ſiue Neronis impudens. Voluptas inquit mihi τέλος.

ET ADSIDVO CVRATA CVTICVLA SOLE:

Malè hic interrogatio in libris pleriſque. Cutem autem ſiue corpus ſole curatum accipe inſolatum, ſiue curatum inſolatione ſiue ἡλιοχαΐα. Ea verò duplex fuit, vna ſine arte ſiue naturalis, apricatio nempe vt illa

Zenonis apud Laërt. ἔχαιρε ἡλιοχαΐαις. Gaudebat inſolationibus ſiue apricationibus. Et apud Arrian. Epicteti c.iv.lib. ἰν. ἐν τῷ Λυκείῳ ἡλιάζεσθαι. *In Lyceo inſolari*, ſiue apricare. Gloſſæ ἡλιάζομαι. *Inſolor, apricor. Soliclatur* ἡλιάζεται *Solidatur* ἡλιάζεται. Vtrobique rectum eſt, *ſolicatur*, Cælius Aurelianus Tardar. Paſſion. c. ii. lib. iv. *Solicationes, quas Græci Helioſes vocant*. &c. Peccant qui in Gloſſis corrigunt, *ſolicuratur*. De hoc genere Martialis epigr. xii. lib. x.

I precor & totos auida cute combibe ſoles. Hinc *perſona colorata, vt iuuenis aut miles*. Chir. Fortunat. lib. iij.

Altera inſolatio arti & balnei, de qua Arnobius lib. j. *Rutilare ſe flamis, et cauſas potionibus præparare.* Dixerat ante. *Sole torrere ſe, & acquirere corpori ſiccitatem.* Hæc chromatiario illa de qua gloſſæ veteres in hunc locum. *Vngebant ſe*, inquiunt, *& in ſole erant, vt oleum corpus imbiberet.* atque eos qui ſic vngerentur, dictos *chromatiarios* aut *colorarios*. De hoc genere & illud ſequitur

At ſi unctus ceſſes, & figas in cute ſolem.

Si vnctus oleo inſoleris. Et illud Iuuenal. Sat. xj.

Noſtra bibat vernum curata cuticula ſolem.

De eadem balnearia inſolatione L. Seneca epiſt. xxcvi. *At nunc*, inquit, *blattaria vocant balnea, ſi qua non ita aperta ſunt vt totius diei ſolem feneſtris ampliſſimis recipiant, niſi lauantur ſimul & colorantur.* Et c. xiii. De breuit. vitæ. *Excoquendi in ſole, corporis cura*, &c. Gloſſæ. *Balneator.* Βαλανεύς. *Lutor* ἡλιαστής.

95

Exspecta.

Sic libri omnes, etiam membranæ legunt. Ego autem quoduis cum quouis pignus poſuero, manum Perſij fuiſſe, *En ſpecta*. Viden' tu (inquit Socrates Alcibiadi, Perſius Neroni) hanc aniculam, hic in vicinia, Baucin λαχανοπώλιδα ſiue *holeratricem*? Eam ſi rogem vt te interrogaui, *Quæ tibi ſumma boni eſt?* ſiue quid putas ſummum eſſe bonum, ſiue τέλος vitæ; non delitiùs reſponderit quàm tu Alcibiades, qui te Athenis principem eſſe vis, aut tu Nero, qui te Dominum facis rei Romanæ. Etiam gloſſarum veterum ſcriptor ſiue Pſeudocornutus ſic legit. Interpretatus nempe eſt. *Inſpice.*

Gloſſæ λαχανοπώλης. *Holerator.*

Ne iſta quidem correctio, etſi non minus certa, quàm à Perſij ſtilo ipſo eſſet, potuit tamen abire quin vapularet. Quo iure autem? Thraſymachico: Sic enim loquitur edictum illud. Exspecta, *dictum eſt venuſtate non vulgari, quam non capiunt illi qui tanta confidentia locum audent corrumpere.* &c. Atqui, en, specta legit quoque Pſeudocornutus, quem illius edicti patrem ipſiſſimum Cornutum autumat. Inter

pretatus enim ille gloſſographus eſt, *Inſpice*, ſcripſerat que haud dubiè EN, SPECTA, ſed deprauauêre qui errore populari caligãtes, fecêre, EXSPECTA. Dictum verò conuenienter Satyrico ſtilo δεικτικῶς, *En, ſpecta*. Ἰδοὺ ἐκείνην *eccillam*, aut *ellam* ſcilicet aniculam. Ἰδοὺ, θέασαι. At Prætor ille venit cum ſuo illo ἔχ' ἀτρέμας. Quis vnquam niſi aliquis forte πονηροῦ κόμματος, Græcum illud ἔχ' ἀτρέμας dicere Latinè voluit, *exſpecta*? Plautus quidem, Terentius alijq. probæ notæ, non *exſpecta* dicere ſoliti, ſed *mane*. Illud autem ex L. Senecæ c. xi. lib. v. De benefic. quod proferunt, longè longéq. diſſimile eſt. Nam illud ἔχ' ἀτρέμας, aut, *mane*, formula eſt, interrumpentis ſiue ſiſtentis ſermonem eius qui cum loquitur: *exſpecta* verò illud apud L. Senecam eſt iubentis aliud tempus exſpectare opportunius. *Exſpecta*, inquit, *etiam hoc veriùs dices, ſimul ac te ad has latebras perduxero*. &c. tanquam ſi diceret. Hoc tempore verè tu iſta quidem, ſed exſpecta tempus illud opportunius, cum *te perduxero ad has latebras*, tum veriùs dices. Non eſt ergo illud *exſpecta*, ἔχ' ἀτρέμας, ſiue reprimentis ſermonem: ſed ἐκδέχου. At illud quidem ex Iuuenal. Sat. x.

——*Oro parumper Attendas*——longè alieniſſimum eſt.

HÆC ANVS.

Σπικτέον. *Hæc anus. I nunc.* I nunc & gloriare tu Alcibiades, *Dinomaches ego filius ſum*; tu Nero, *Agrippinæ filius ego ſum.*

Mater Alcibiadis Dinomacha, Platoni Alcibiade priore, Plutarcho in Alcibiade, alijs. Mentita Plinio memoria eſt cap. iix. lib. xxxiv. cui eſt *Demareta*.

SVFFLA.

Vt Græcis φυσᾷν. & φύσημα. Sufflatus eſto genere materno, tu Alcibiades quod gentis Alcmæonidarum es: tu Nero, quod mater tibi Agrippina Germanici F. & per hanc vnus tu de ſtemmate domus Auguſtæ. Neque de patre gloriatur Nero, quia is omni parte vitæ deteſtabilis. Sueton. c. v.

SVM CANDIDVS.

Formoſus Alcibiades, pulcher & Nero. Itaque apud L. Senecam Satyrâ Claudianâ Phœbus de Nerone,

Ille, inquit, *mihi ſimilis vultu, ſimiliſque decore*. Item.
——*Adfuſo ceruix formoſa capillo.*

Vbi & Lacheſis fauet *homini fortiſſimo*, id eſt, pulcherrimo. Et adclamatum Neroni in ſpectaculis ὁ καλὸς Καῖσαρ, ὁ Ἀπόλλων. *Formoſus Cæſar, Apollo.* Dio in Nerone. Et C. Taciti Hiſtor. lib. j. tribuitur Neroni, *forma ac decor corporis*. Sed Sueton. cap. lj. *Vultu*, inquit, *pulchro magis quàm venuſto*.

PANNVCIA BAVCIS.

Pannis obſita, ῥακιώδης, vt Iſidor. c. xxij. lib. xix. *Pannuciam dici veſtem quod ſit diuerſis pannis obſita*. Puto ſcripſit Iſidor. *quod ſit diuerſis pannis conſuta*. Etiam gloſſæ ad Perſium veteres *Baucin pannuciam*

eſſe

eſſe aiunt *pannoſam ſiue pannis obſitam*. Minus rectè Donat. ad Terent. Andr. accipit, *pannuciā*, *craſſam*. Gloſſæ autē Iſidori. *Pannucenū*, inquiunt, *genus veſtis*. Puto fuiſſe Pannuciū. Neq. rectiſſimè tamen Iſid. pānuciū veſtis. Nec enim pānuciū veſtimēti genus, ſed veſtis quælibet pannis obſita, ſiue ῥάκιον. vt Petronio, *Veſtis pannucia*. Hinq. itaq. Pōponio titulus fabulæ, *Pannuciati*. Duo nempe fratres illi abdicati & eiecti domo, itaque pannoſi & laceri. Facilis coniectura ex fragmentis quæ apud Marcellum in *Nubere*, & *Nebulones*. Hinc & Martialis *pannucium* tralatè dixit pro rugoſo, epigr. xlvij. lib. xj. vt & *pannoſas mammas*, rugoſas, qualis pannucia veſtis, epigr. lxxii. lib. iii. Patet ſignificatus ille pomi genere, quod *pannucium* dictum, apud Macrob. Saturn. c. xix. lib. iii. De pomis pannuciis. Plinius c. xiv. lib. xv. *Celerrimè in rugas marceſcūt pannucia*. Forte an autem etiam Perſius nunc, pannuciam vult intelligi non *pannis* ſolum ſed *annis* quoque rugiſque obſitam. Sic Cæl. Arrianus Acutor. morb. c. xi. lib. j. *Cutis veluti rugoſa, vel ſulcata pannoſitas, quam Græci rhacoſin vocant.*

CVM BENE CANTAVERIT OCYMA VERNÆ.

Cùm benè ſeruulo exprobrarit, nequam eſſe & domini oſorem. Eoque ſapientior Baucis anicula quàm tu Alcibiades, aut tu Nero. Nam illa ſeruum admonet officij, & ocyma ei cantans virtutem vitio eſſe potiorem fatetur: at tibi voluptas vitæ ſcopus & meta eſt.

Cantare eſt prædicare, vt Atticè ᾄδειν ἀντὶ τοῦ φράζειν. Geographus lib. j.

Cur autem ocymi cantatio ſeruis, ſiue ocymum venale ſeruis clamare, eſt exprobrare nequitiam, & ſignificare ſeruum eſſe inutilem, & domini oſorem? Quia vt notant Suidas & Heſychius ὤκιμον, τὸ λεγόμενον βασιλικόν. *Ocymum eſt, quod dicitur baſilicum.* Et Simeo Magiſter, ſiue Sethi. Βασιλικὰ τὰ ὤκιμα. Baſilicum autem eſt regium. Paterfamilias eſt rex familiæ ſuæ. Ariſt. c. j. lib. i. de Republ. Πᾶσα γὰρ οἰκία βασιλεύεται. *Omnis familia, quaſi regnum eſt*. Et c. iv. Μοναρχεῖται γὰρ πᾶς οἶκος. *Omnis domus monarchia*. Et c. xi. lib. iii. ἡ οἰκονομικὴ βασιλεία τις οἰκίας ἐστίν. *Adminiſtratio familiæ, quaſi regnum eſt familiaricum*. Feſtus. *Regalia*, inquit, *exſta filiofamilias dominationem pollicentur*, hoc eſt, fore breui patremfamilias, qui tanquam rex familiæ. Baſilici itaque nomen ipſum odioſum ſeruis. Hinc Ocimum ſiue baſilicum dictum μισόδουλον. Sotio apud Caſſianum Baſſum in Geoponicis. Hæc vna ratio: altera, ocimum herba inutilis, immo & multifariam noxia, vt Sotio idem oſtendit. Bene itaque ocymum ſeruo inutili vt geminum ei germanum cantatur & ingeritur. Tertia quoque ratio eſſe poteſt, quod C. Plinius c. vii. lib. xix. commemorat, *præcipi ocima cum maledictis & probris ſerenda, vt lætius proueniant*. Recta itaq. Perſij ſcriptura non ocymum, ſed ocimum,

In ocymi tamen ſiue farraginis, quemadmodum ei nunc apud Perſium locus ſit, partem quoq. ratiunculæ ſunt. Ocymi nomen à celerita-

te. Plin. c. xxiij. lib. xvij. cantatio itaq. ocymi ſerus, exprobratio tarditatis & pigritiæ. Et furti, vt Sat. v. *Et in tenui farragine mendax.* Iucundè res autem ſtulta eſt reprehendi meam paullo ſuperius hac Satyra poſitam de tranſuectione equitum Romana hiſtoriam, vt Perſio alienam: & nunc de Ocimo narrationem deliquari, à reprehenſore illo petitam ex Arabia, non illa *vbi thus gignitur:* Sed illa *Ponti, vbi abſinthium fit, atque cimila gallinacea.*

DISCINCTO.

Quia præcincta tunica linteo amiciuntur vernæ, inquiunt gloſſæ. Immo enim *diſcincto*, male cincto. male ſeruienti, pigro. Viceuerſa *præcincti rectè pueri*, ſerui miniſtrantes, ſeduli Horat. Sat. iix. lib. ij. Et *ſuccincti popæ*, Propert. eleg. iv. lib. iii. Et *ſuccinctus* Perſij mercator Sat. v. Sic Seruio ad Æneid. j. *Accincti, induſtrij, negligentes diſcincti.*

Quod autem gloſſæ habent, *præcincta tunica linteo*. Lego *licio*.

VT NEMO.

Pergit Socrates in Alcibiadem, Perſius in Neronem. Tu, inquit, populum regere, & aliorum verrucas videre potes, ad tubera tua cæcus. Commune hoc tibi cum multis vitium. *Nam nemo in ſeſe*, &c.

IN SESE TENTAT DESCENDERE.

De ſe & vitiis ſuis cogitare. vt ἐγκύπτειν εἰς ἑαυτόν. Themiſtius orat. vj.

SED PRÆCEDENTI.

D. Hieronym. epiſt. xcj. *Si noſtram peram non videntes, aliorum iuxta Perſium, manticam conſideremus.* Sic & ante Perſium Catullus in Suffenum. Horat. Sat. iij. lib. ij. vbi & Acro Perſium laudat. Tangit & L. Seneca. Item alij.

Primus huic ſententiæ fons Æſopi fabella de duplice hominum mantica, Stobæus Serm. civ. Galenus lib. de curatione morborum animi. Et eleganter Themiſtius Euphrades Orat. j.

QVÆSIERIS.

Ponit exemplum illius cæci amoris, qui talpa domi lynceus foris. Si quæram, inquit, ex te Nero, aut alio tui ſimile. Noſtin' qua regione prædium Vectidij? Statim vt ſordidus ille a te & *triparcus* notatur.

VECTIDII.

In aliis. Ventidij.

CVIVS.

Sic ille qui interrogatus de Vectidij prædiis.

DIVES ARAT.

De Vectidio, inquit Perſius, diuite quæro.

QVANTVM NON MILVVS OBERRAT.

Vt Iuuenal. Sat. ix. ——— *tot miluis intra tua paſcua laſſis.* Et Gloſſographus de Licinio ad Iuuenal. Sat. j. *Dictus eſt habuiſſe nummos, quantum milui volant.*

Sic Pertinax verbo Luciliano. *Agrarius mergus*. Iul. Capitolin. No-

tatur ſcilicet magnitudo latifundiorum Vectidij ex miluij volatu. Nam hæc auis ſolita circare ſiue circitare, vnde & miluius, *auis circanea.* Feſtus.

HVNC AIS?

Nero, aut alius geminus germanus Neroni maledicus. Hunccine ais *aridum, auidum, parcipromum*, vt Plautus diceret, ſenem?

HVNC.

Perſius.

DIIS IRATIS.

Hæc iam maledicus. Et legendus hic locus totus interrogatoriè, aceti?

GENIOQ. SINISTRO.

Vt Plaut. Trucul. Sc. ij. *Iſti qui cum Genijs ſuis belligerant, parcipromi.* Exerrant gloſſæ interpretantes. *Dijs iratis Genióq. ſiniſtro natum.* Verba illius maledici hæc. Mens autem. Hunccine qui quandoq. ſiue quandocunque iugum figit. &c. Cum feſtus & genialis dies, compitalia nempe quæ alij profuſiſſimè celebrant, huic Genius dexter, ſiue propitius non eſt, tam ſordido. Sic Mæcenas apud L. Senecam epiſt. cxiv. *Genium feſto vix ſuo teſtem.*

PERTVSA AD COMPITA.

Compita dixit tangens compitalia feſtum diem, ruſticorum & ludos compitales, & epulas. De feſto & ludis, Varro v. de ling. Lat. Macrob. Saturn. c. vij. lib. j. Gloſſæ Philoxeni. Sic Horatio epiſt. j. lib. j. *Pagi* pro paganalib. *compita* pro compitalibus. Propter epulas vero *vncta compitalia* dixit Poëta ille quiqui eſt, carmine maledico in Lucium in additis Petronio. *Neq. in culinam, & vncta compitalia.*

FIGIT.

Vt feſto die, *ſuſpenſus vomer.* Tibulli eleg. j. lib. ii. *Aratrum palo ſuſpenſum.* Ouid. j. Faſtor.

SERIOLÆ VETERIS.

Membranæ. *Seriolæ veterem.*

INGEMIT. HOC BENE SIT.

Cum gemitu dicit. *Hoc beneſit.* Contenti agamus lætique hac cænula. Formula fauentiæ. *Hoc beneſit.* Horat. Sat. ii. lib. ii.

——— bene erat non piſcibus vrbe petitis
Sed pullo atq. hædo ———

Ouid. iv. Faſtor.

Poſtmodo glans nata eſt, bene erat iam glande reperta.

30 TVNICATVM CÆPE.

Pſeudocornutus. *Tunicatum*, inquit, *multis corijs purgatum.* Veriùs, quod velatur membranis tanquam tunicis. Et maiorum ſordium ne purgatum quidem cæpe mordere ſiue λεπιδίζειν.

FARRATAM OLLAM.

Pultem ex farina. Feſtus. In inſipere.

PVERIS PLAVDENTIB.

Vt epulo compitalitio, de quo dixi.

PANNOSAM FECEM.

Mucidam, mucoris pelle, obductam, & quaſi pannis obſitam.

MORIENTIS ACETI.

Vt Auidienus ille auidus apud Horat. Sat. ij. lib. ij.

———*veteris non parcus aceti.* Plura dixi ad Horatij Satyr. iij. lib. ij. *Acetum* eſt nempe duplex, *acetum, vinum quod acuit, & acetum, embamma*, ſiue acetum ad iuſcella. Vlpianus lib. ix. §. vlt. De contrah. emt. l. ix. §. Si acetum. De tritico leg. *Acetum* eſt ὄξος. Acetum in iuſcello, *embamma. Moriens* autem *acetum*, deficiens, vt Papinij lib. iv. Siluar. *dies moriens*. Proptereaq. Perſius adiunxit, *fecem*.

ET FIGAS IN CVTE SOLEM.

Vt ante. *Adſiduo curata cuticula ſole.*

IGNOTVS.

Ὁ τυχών. Eſt aliquis prope te, ſiue in tuo comitatu Neronianus, ſiue tuæ farinæ, qui &c.

CVBITO QVI TANGAT.

Fodere hoc Terent. Hecyra. Horat. epiſt. vj.

CEDIMVS.

Hoc Nero aut Alcibiades.

PRÆBEMVS CRVRA SAGITTIS.

Tangit pilæ luſum, in quo errantibus puerulis pœna, vt ſura exciperent pilæ ictum à victore. Plutarchus narrans de Lentulo Sura in vita Ciceronis. Iſidor. c. vlt. lib. xiix. vbi male ſcriptum *pilam ferendam*, pro, *pila feriendam*. Non diſſimile multum quod Dio Pruſæus Orat. iv. de regno, de puerculis agens. ὥσπερ, inquit, ἐκεῖνοι σφαίρᾳ στοχάζονται ἀλλήλων, ὁ δὲ πληγεὶς ἥττηται. *Vt illi pila collineant alter in alterum, & qui ictus fuerit, pro victo eſt.* Sed plane quidem verſus etiam hic Perſij ſpurcus eſt, & lethei fluminis aqua dignior, quàm acumine interpretis. Et feliciter hic quidem certe Pſeudocornutus, qui nihil adrigit.

VIVITVR HOC PACTO.

Lego ἐρωτηματικῶς, *Viuitur hoc pacto?* Perſius nempe aut Socrates miratur os illud ferreum & impudens.

SIC.

Reſpondet canatim κυνιστί ille ſiue Nero ſiue Alcibiades, Sic. Nam eſſe debet στιγμή, tanquam diceret, Planè, ſic viuitur.

NOVIMVS.

Non eram neſciens, inquit Perſius ſiue Socrates. *Nam ilia ſubter*, &c.

ILIA SVBTER.

Propert. eleg. iix. lib. iv. *Ilia ſubter, balthea.* Aratus Phœnomen. ὑπὸ ζώνῃ. Manil. lib. j. *Sub pectore.*

SED LATO BALTHEVS AVRO PROTEGIT.

Non minus impudenter ille hoc Alcibiades aut Nero. Habeo, inquit, cæcum vulnus, ſed defendit me baltheus, id eſt, principatus Athenis, imperium Romæ. Benè admonent gloſſæ veteres tralatum eſſe à gladiatoribus qui aureo baltheo tegunt, ſi vulnus acceperint. Sic gladiatores *premere vulnus*, dixit L. Seneca c. xv. In ſap. non cad. iniur. Paullo aliter Demoſth. Philipp. j. τῆς πληγῆς ἔχεται.

* Vt baltheus gladiatori vulneris; ſic principatus, imperium, Alcibiadi, Neroni vitæ flagitioſæ velamentum. Baltheus ſiue cingulum pro magiſtratu, dignitate, imperio. Suidas ζώνη, τὸ ἀξίωμα. Sic in iure ciuili *cinguli honor*. l. xiv. C. Theodoſ. De priuileg. cor. l. ij. C. vt dignitat. ordo.

VT MAVIS DA VERBA.

Quia ſic tibi ſedet, perge ſane, falle alios & teipſe, capeſſe rempubl. cum tua & populi pernicie. Sic Horat. Sat. iv. lib. j. *Vt mauis, imitare.*

ET DECIPE NERVOS.

Falle vires ipſe tuas. Impone humeris tuis onus Reipubl. aut imperij, cui longe impar es.

EGREGIVM CVM ME.

Alcibiades aut Nero. Cum populus ipſe me vt capacem, gerendæ Reip: aut regendo imperio laudet, non credam?

SI PALLES.

Inquit Socrates Alcibiadi, Perſius Neroni. Popellus tibi blanditur. Eſto. Non propterea dignus principatu es aut imperio, ſi libidinoſus, ſi auarus, ſi periurus & iniquus es.

SI PVTEAL.

Si periurus es & corruptus iudex.

Puteal Libonis, ara fuit. Patet imagine putealis huius quæ in nummis antiquis, vt nummo Paulli Lepidi, & altero Libonis. In illo ex altera parte inſcriptum eſt, CONCORDIA: in hoc, BONVS EVENTVS. Fruſtratoriè hoc eruditi viri ad concordiam iudiciũ & ſententiarum euentus bonos referunt. Manifeſtaria enim res pertinere ad nuptias Octauiani cum Scribonia, & concordiam Octauiani cum Sex. Pompeio, & illius cum Sexto pacis bonum euentum. Legend. Dio lib. xliix.

Ad hanc Libonis aram iurare ſolitos iudices, item aduocatos liquet Horatij epiſt. xix. Sat. vj. lib. ij. Plinij epiſt. vlt. lib. v.

Nec male tamen Porphyrio in Horatij epiſt. xix. Acro in Sat. vj. lib. ij. puteal interpretati tribunal. Nam tribunal ibi fuerit neceſſe eſt, ſi ad puteal iurauêre. Etenim iuratio illa in iure ſiue ad Prætorem.

Neque abs re gloſſæ veteres, Puteal dictum à puteo. Nam propriatim quidem puteal in ſacris. puteus nempe ſacrorum cauſa conſeptus & opertus: puteus verò etiam profanus. Gloſſæ Philoxeni, *Puteal,*

περιστόμιον. Et ἱερὸς τόπος περικεκλεισμένος *Puteale*, ἱερὸς φραγμός *Puteale*. Inibi. τόπος ἱερὸς περικεκλεισμένος. *Puteale. Puluinar.* Sic Ariſtidis ſophiſtæ oratio, εἰς τὸ φρέαρ τοῦ Ἀσκληπιοῦ, eſt. *In puteal ſiue puteale Æſculapij.* Subinde tamen & puteal eſt putei profani vt l. iix. §. vlt. D. De act. emti. Tullij epiſt. iix. lib. j. ad Atticum.

Cuiuſmodi autem illud Romæ puteal Dionyſ. tradit lib. iii. Tullius j. de Diuinit. Planeq. Feſtus in *Scribonianum.*

Tria igitur hæc iuncta in comitio, puteal, ara ſiue puteal Libonis, & tribunal. Sex. Ruffus iix. regione vrbis. *Puteal Libonis, Comitium,* &c.

CREBRA VIBICE FLAGELLAS.

Gloſſæ veteres ad Perſium vibices interpretantur acres feneratorum exactiones, quæ debitoribus tanquam vibices, quod & alij deinde ſecuti, vt Tract. ad Africanum. ſed propiùs ad Perſij mentem de periuriis iudicum acceperis. Nam hæc Satyra directa in magiſtratus, & horum caput Neronem. Debitorum etiam periuria ad puteal; eáq. & ipſa putealis flagellationes. Tango ad legem xii. Tabular. c. lxxiii.

BIBVLAS DONAVERIS AVRES.

Si aures bibere. Horat. dixit Oda xiii. lib. ii. Propert. eleg. iv. lib. iii.

TOLLAT SVA MVNERA CERDO.

Cerdo figuratè popellus. Iuuenal. Sat. iv.

Sed perijt poſtquam cerdonib. eſſe timendus
Cœperat, hoc nocuit Lamiarum cæde madenti.

Cerdones, popellus: Lamiæ, nobilitas. Forte an autem voluit Perſius tangere Vatinium Beneuentanum ſutorem, qui munus edidit, & qui contemtim *cerdo* Martiali epigr. xvi. lib. iii.

QVAM S. T. CVRTA SVPELLEX.

Sic Vlpianus *breuem ſupellectilem* dixit l. vi. §. v. De offic. præſid.

Ne, inquit, *homines vitæ tenuis, ſub prætextu aduentus officiorum vel militum, lumine vnico, vel breui ſupellectili, ad aliorum vſus tranſlatis, iniuriis vexentur, præſes prouinciæ prouidebit.* &c. Peccat Franciſcus Hotomanus corrigens, *homine vnico*: magis quoque Zametus reponens, *limine vnico*, &c. & intelligens, *domuncula vnica.* Atqui poteſt tenuis vitæ homo, ſine homine, vno, id eſt ſeruo vno eſſe. De vnico limine, ſiue vna domuncula, commentum ridiculum eſt, quaſi tenuiorum multæ domunculæ. At tenuis vitæ homini poſſunt gurguſtij vnius, plura lumina, ſiue feneſtræ quib. accipitur lumen eſſe, poteſt quoque lumen eſſe vnicum, eo carere cogi tenuis vitæ hominem, periniurium eſt. Sic M. Cato c. xiv. De re ruſt. in villa eſſe iubet, *lumina* vi, *ſcamna* iii, *ſellas* v, *telas iogales duas, luminaria* vii. Itaque non de-

buerunt aliqui corrigere priore loco *luminaria*, & poſteriore id nomen delere. Exigit enim Cato *lumina ſex*, ad radium ſolis: *luminaria* totidem, ad lumen Veſpere & *antelucio*, ſiue ante lucem. *Luminaria* nempe φωτιςήεια λυχνικά. Sic itaque *luminaria luminib.* oppoſuit, & *lumina feneſtris*. Et quidem differunt hæc omnia. *Luminare, Feneſtra, Lumen, Proſpectus, Speculare. Luminare*, vt lychnus ſiue lucerna: *feneſtra*, clatrata vt M. Catonis loco ante laudato. *Clatri in feneſtris.* &c. Et apud. Plaut. Milite Sc. V. *Lumen*, quo recipitur vt dixi, radius ſolis. *Specularia* in luminibus, & vela, plagulæ. Dixi ad Titũ Sueto. & Iuuenal. Sat. iv. *Proſpectus* etiam ex inferiore loco : Lumen de ſuperiore tantum. Patet l. xv. D. De ſeruitut. vrb. præd. Aliud autem quoq. diſcrimen *Feneſtræ* & *Luminis*, peti poteſt ex Iſidori .c. vii. lib. xv.

SATYRA V.

HÆc Satyra ad Annæum Cornutum Stoïcum doctorem Perſij de paradoxo illo diſſertatio eſt, Solum ſapientem liberum eſſe. De quo & Tullius Paradoxo v. Horat. Sat. vij. lib. ij. L. Seneca epiſt. xxc. Dio Pruſæus orat. de ſeruit. & libert. & paſſim Arriani Epictetus. Etiam Chriſtiani vt D. Ambroſius epiſt. vij. D. verò Auguſtin. c. iij. lib. iv. de ciuit. Dei, paradoxum hoc Chriſti doctrinæ conſentaneum eſſe ait.

Tractatum huius Satyræ principium eſt tanquam dialogiſmo Perſij & Cornuti. Incipit Perſius.

VATIBVS HIC MOS EST.

Principium Satyræ ex diſſimili. Alij poëtæ centum voces ſibi optant, vt grande aliquid, ſcribant: ego centum mihi voces optauero, non vt grandia ſcribam, ſed vt aperire tibi poſſim amoris mei magnitudinem. Ergo & ſequitur. *Hic ego centenas*, &c. Pſeudocornuti fruſtratio illa. Poetam hoc velle. Nihil opus ſibi eſſe linguas centum, quia media ſit hæc vilisq. materia & Satyrica. Neutiquam ſatyrica illa aut vilis, ſed Stoica, itaque minime vilis Perſio Stoico qui ſcribit: aut Cornuto Stoico ad quem ſcribitur. Poetas verò intelligi vult epicos ex quib. deinde tragici fabulas ſuas hietant. L. Ariſtoteles c. iv. & vlt. De Poetica. Nec vero dramatici Poetæ, ſed epici optare ſoliti centum voces vt pateſcet adpoſitis exemplis.

CENTVM SIBI POSCERE VOCES.

Ex Homerico illo οὐδ᾽ εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι. Ante Perſium expreſſere hoc multi, vt Cæcilius Obolostate.

——ſi linguas decem Habeam——

Poſui ad Sat.j. C. Hoſtius lib. ij. belli Iſtrici apud Macrob. Saturn. c. iij. lib. vj.

————non ſi mihi lingua
Centum, atq; ora ſient totidem voceſq. liquatæ.

Virgil. ij. Georg. & Æneide vi.

Non mihi ſi lingua centum ſint, &c.

Ouid. lib. iix.

Non mihi ſi centum Deus ora ſonantia linguis. &c.

Silius lib. iv.

Non mihi Mæonia redeat ſi gloria linguæ,
Centenáſq. pater det Phœbus rumpere voces.

Claudian. Panegyr. Probini,

Non mihi centenis reſonent ſi vocibus ora.

Licentius carmine ad D. Auguſtinum.

——non ſi mihi murmura centum
Det Boreas, totidémq. animas, centúmq. per ora
Lingua rigens adamante fremat——

Bene itaq. Perſius, *Vatib. hic mos eſt.* notans quaſi formulam eſſe hanc & ritum Poëtis ſollennem. Sed vſi & Rhetores. Quinctilian. Declam. vj. *Vincet tamen res iſta mille linguas.* D. Hieronym. epitaphio Paullæ, *Si cuncta corporis mei membra verterentur in linguas.* Aurel. Caſſiodor. epiſt. j. lib. xj.

HIANDA TRAGOEDO.

Hiatus tragœdiæ proprius. Iuuenal. Sat. vj.

Grande Sophocleo carmen bacchamur hiatu.

Prudent. lib. j. contra Symmach.

Vt tragicus cantor ligno tegit ora cauato
Grande aliquod cuius per hiatum carmen anhelet.

Sic Luciano tragœdi μέγα κεχηνότες. Et libro de Gymnaſ. tragœdorum κράνη κεχηνότα παμμέγεθες. Et lib. De Saltatione. ςόμα κεχηνὸς παμμέγα ὡς καταπιόμενον τοὺς θεατάς. *Os valdiſſimè hiãs, quaſi deuoraturum ſpectatores.* Et Philoſtrat. lib. v. pingit tragœdum βαδίζοντα μέγα, κεχηνότα τοσοῦτον. Tangit & Symmach. epiſt. xlvij. lib. iij. Neque tragicæ ſolum ſed etiam comicæ laruæ hiantes, vt apud Dioſcorid. c. clxj. lib. iij.

VVLNERA SEV PARTHI.

Ἔπος. Bella Parthica quæ Neronis auſpiciis cum Parthis geſta. C. Tacitus annali xij. & ſeq. Trahi poteſt & ad Auguſti meditationem belli Parthici, de qua Dio lib. xliv. Sueton. c. xxj. Iuſtin. xlij. Hanc belli cogitationem Poetæ lymphatici, vt bello iam maximè geſto laudauere, Patet Horatij Sat. j. lib. ii. Oda xii. lib. j. Propert. eleg. iij. lib. iii. Ouid. j. Amor.

DVCENTIS AB ING. FERR.

Ridiculè hunc aliqui quartum pugnandi modum fecêre, nempe , *ab inguine.* Atqui Perſius intelligi vult, educere telum quo vulnus accepit in ventre atq. inguine, quale Galli vulnus apud T. Liuium lib. vij. pugnantis cum T. Manlio. Sic autem educentis telum, eſt morientis. Nam letale vulnus eiuſcemodi. Ex letali autem vulnere telo educto, anima educitur quoq. vt apud Æmil. Prob. in Epaminonda: Theophyl. Simoc. Hiſtoriæ Maurit. c. vj. lib. ij. Neq. facit interpreti illi Propert. eleg. iij. lib. iv. Neque enim *ab inguine* ibi, ſed *ab agmine.* Neq. ſi eſſet *ab inguine,* eſſet *iaculantis ab inguine,* ſed *virgatis braccis ab inguine.* Hoc in acumen ſtili mei neſcio quo pacto incidit. Nam data opera interpretamenti illius ἀπειρογυτολόγου fruſtrationes omnes notare velle Augiæ ſtabulum expurgare velle fuerit. Sunt enim errata , ψαμμακοσιογάργαρα.

QVORSVM HOC.

Cornutus Perſio. Quorſum hæc de centuplicis vocis optatione poetica, anne & tu tragœdiam, aut epos exſuflare vis? Reſpondebit aliquam multis interiectis Perſius. *Non equidem hoc ſtudeo,* &c. Ego centum voces mihi optem, non vt tragœdias aut epica exſudem, ſed vt tibi Cornute aperiam mei in te amoris magnitudinem.

NEBVLAS HELICONE.

Sublimia, μετέωρα. Vnde Ariſtophanis *Nebulæ.* Et apud Horat. ad Piſones, *nubes captare.* Sublimia illa, tragica & epica.

SÆPE COENANDA.

Notat imperitiam tragicorum, & fortean Neronem petit, Thyeſtam, aut Atreum tragœdiam ita ſcriptitantes, vt quæ narrari debuiſſent, ea in proſcænio exhibeantur. Vituperat hanc ἀτεχνίαι Ariſtot. in Poëtica c. xiv. Et Horat. ad Piſones.

——non tamen intus
Digna geri promes in ſcænam, multáque tolles
Ex oculis, quæ mox narret facundia præſens.
Nec pueros coram populo Medea trucidet.
Aut humana palam coquat exſta nefarius Atreus:

Peccauit hoc tamen Seneca, ſiue quiqui eſt ſcriptor Medeæ. Nam actu v. inducitur Medea in proſcænium, liberos ſuos trucidans. Error ei obiectus, ſi tamen error ille, ex perfuſoria lectione Euripidi. Nam videri poteſt ibi Medea propalam liberos ſuos necare, ſed propius vide, patebit ſub ſcæna id fieri, ſed ita vt in proſcænio exaudiatur facilè & ipſius ſermo, & puerulorum eiulatus fugáq. Itaque chorus audito puerulorum eiulatu illo & fuga quæ in ſubſcænio, Ἀκούεις, inquit βοὰν, ἀκούεις τέκνων, & quæ deinceps.

Sophoclis tamen Aiax flagellifer, palam ſeipſe interficit. Vbi ſapienter interpres notat, τὰ τοιαῦτα, *talia*, nempe ἄτεχνα ſiue *inertia*, σπάνια ſiue *rara inuentu* eſſe apud antiquos. Narrari enim ſolita illa

non geri in proſcænio. Quid ergo, inquies, cauſæ cur hoc ita Sophocles? Nempe, quoniam Æſchylus in Threſſis per nuncium fecerat Aiacis mortem narrari, euariare Sophocles voluit, & propalam exhibuit in proſcænio, aut vt & magis adtonitos ſpectatores faceret. Hæc dicere ſatiùs, quàm veterem vetuſtum poetam criminari. Sic mea Latina ſed libera interpretatione, Sophoclem ille interpres defendit.

Eadem itaque benè dixeris pro Seneca. Nempe voluiſſe χειροτομεῖν aut μᾶλλον ἐκπλῆξαι.

Sed alia item eccilla Sophoclis defenſio. Priſcos nempe tragicos omnes ἄπυχνα illa in proſcænio exhibuiſſe, primum Æſchylum fuiſſe, qui hunc ritum vt erraticum correxerit. Philoſtratus lib. vj. Et in Gorgia. Vbi & illud, Æſchylum primum oſtendiſſe οἷς ἐπὶ σκηνῆς τε καὶ ὑπὸ σκηνῆς χρὴ πράττειν, *quæ in ſcæna, quæ ſub ſcæna fieri par eſſet*. Neque tamen poſt Æſchylum lex illa & cautio tenuit, quin ἄπυχνα illa omnia vt iugulationes, & alia eiuſdem ſortis, in proſcænio fierent, eique rei gladius ille mimicus, qui pingitur ab Achille Tatio Leucippæ lib. iij. Specta illam cultri mimici picturam, & clarore ipſo clarius fiet, *cludinem* rectè ſcribi Apuleij Apolog. ij. incorrectè *clunaclum* corrigi. Atqui *clunaclum* A. Gellius inter gladiorum genera numerat, & Pompeius, *clunaclum* eſſe inquit *gladium ad clunes adpendi ſolitum*, & Iſidor. in Gloſſis. *Cluniculum Sicam*. Eſto. Num ergo *clunaclum* gladius mimicus? Immo enim *cluden* à *cludendo* dictus, gladius cæcus & incluſus manubrio lōgo palmos iv. ferro exſtāte digitos tres, ſed quod leni motione in longitudinem exiret quanta ipſius manubrij. Sic Achilles. Sed patet, cludines & longiores fuiſſe, & in mimi ſaltantis manu, pro ſceptro; Huiuſmodi fere & dolones. Seruius ad Æneid. vij. *Dolo eſt flagellum intra cuius virgam latet pugio*. &c. Dixit autem Tatius gladij eiuſcemodi, vſum fuiſſe πρὸς τὰς κιβδήλους σφαγάς. *ad cædes mimicas*, vt *mortem mimicam* dixit Petronius.

Ὑπὸ σκηνῆς ſiue *de ſub ſcæna*, χαρώνειοι κλίμακες. Orcini gradus. Iul. Pollux cap. xix. lib. iv. De his Tullius iv. Tuſcul. *Ecce alius exoritur è terra*. Male autem de cœna Glyconis, qui aliter interpretati.

INSVLSO GLYCONI.

De Glycone tragœdo veteres in Perſium, gloſſæ.

TV NEQVE.

At tu, inquit Cornutus, Perſie ſufflata & grandia non ſectaris vt tragœdiam aut epos. Ergo neque opus centum voces. Malè in aliis. *Tu quoque*.

ANHELANTI.

Non quæris ſufflata, non inflas venam ſiue ingenium, vt folles fa-

briles anima. Expreſſus autem hic locus ex Horatij Sat. iv. lib. j. *At tu concluſas*, &c. vbi laudat Acro hunc Perſij locum. Sic Iuuenal. Sat. vii. *Tunc immenſa*, &c.

Peccant gloſſæ veteres quæ Perſij hunc locum referunt ad Poeticam deſcriptionem officinæ Vulcani. Alia Perſio mens. Patet imitatione Horatij, & principio huius ſatyræ. *Fabula ſeu mœſto.*

FOLLE.

Vt Sat. j. *Quod pulmo animæ.* &c. D. Auguſtinus c. xxiv. lib. xiv. de ciuit. D. *Pulmones ad vocem emittendam ſeu modificandam, ſicut folles fabrorum vel organorum*, &c.

NEC CLAVSO MVRMVRE.

Nec graue aliquid meditaris. Sic Sat. iij. *Murmura ſecum rodere.*

CORNICARIS.

D. Hieron. epiſt. iv. Dixi ad Sat. iij. Profert & Priſcian. c. vj. lib. iix.

NEC SCLOPPO.

Scolpo eſt in aduerſar. c. xxiij. lib. vj. ſed non placet. De ſcloppo hic gloſſæ veteres. Priſciano eſt ſtloppus, c. iv. lib. j. Ille autem ex Marcelli Empirici c. xxiix. *Stolpus* nihil ad hunc Perſij locum, & vox barbarica eſt, vt alia pleraq. in Marcelli Phyſicis.

Figuratè itaque Perſio nunc, *follis*, ſtilus ſufflatus: *cornicari graue aliquid*, meditatio, ſiue cogitatio: *ſcloppus*, tumida pronunciatio. Tres hæ partes itaque. Elocutio, inuentio, pronunciatio.

VERBA TOGÆ SEQVERIS.

Verba ſatyrica ſectaris, ſiue ſatyram ſcribis. Togæ ſiue togata verba ſatyrica, nam ſatyra propriè togata ſiue Romana eſt. Fabius c. j. lib. x. *Satyra*, inquit, *tota noſtra eſt.* Pſeudocornutus autem verba togæ accipit, *paci apta*, vel *forenſia*, & *quotidiana.* Sed illi ſuum, mihi meum. Ineptiùs autem quoque illi qui *verba togæ* interpretati, *quib. vtuntur oratores in foro.*

IVNCTVRA CALLIDVS ACRI.

Iunctura verſuum mordaci & ſatyrica. En vt Perſius ipſe in illum Pſeudocornutum.

Iuncturam autem Perſius dixit non quam ſatyra j. Neronianam & rhythmicam: ſed illam de qua Horatius ad Piſones.

———*Tantum ſeries iuncturaque pollet.* vbi ea de re dixi. Iuncturam accipe ſummiſſæ eloquentiæ ſiue adtenuatæ. Ergo & ſequitur, *Ore teres modico.*

ORE TERIS MODICO.

Sic vulgarij omnes, etiam Pſeudocornutus. *Teris*, inquit, *expolis.* At mihi tam liquet, quam medio die, hoc lucere iam, Perſij manum eſſe, *Ore teres modico.* Ex Horatij nempe veſtigio illo.

———*Grajs dedit ore rotundo*
Muſa loqui———

Anterior vtroque Ariſtophanes de Euripide dixerat.

Χρῶμαι γὰρ αὐτοῦ τοῦ ςόματος τῷ ςρογγύλῳ.

Oris mihi eſt rotunditate perutilis.

Sic *oratio teres*, Tullij iij. de orat. Os nempe teres: & oratio teres, oratoris deducti & Attici.

PALLENTES RADERE MORES DOCTVS.

Teres, elocutione: doctus *mores* improbos ſiue *pallentes radere* ſatyra quæ pallori eſt improbis. Gloſſæ legunt, *cautus*.

ET INGENVO LVDO.

Sale candido, Attico, mores malos deculpare. *Defigere* ὀβελίζειν. Transfigere. Gloſſæ. *Defixus* διαπεπαρμένος. Reſpexit nempe ad Ariſtarchorum obelos ſiue verucula. Itaque adiunxit nomen *culpa* quod ipſum etiam artis Criticæ verbum eſt, vt apud Horat. ad Piſones A. Gellium c. ij. lib. xvij. Auſonium, alios.

HINC TRAHE QVÆ DICAS.

Hæc tibi eſto materies ſcribendi, mores mali. hoc eſt, Satyram ſcribito. Horat. Sat. j. lib. ij. Sat. iv. lib. j. Iuuen. Sat. j.

MENSAMQ. RELINQVE MYCÆNIS.

Et abſtine vngues à ſcriptione tragœdiæ, vt Atreo, aut Thyeſta.

CVM CAP. ET PED.

Cum capite & pedibus, reſeruatis ab Atreo, vt poſt cœnam fratri Thyeſtæ ingereret. L. Seneca in Thyeſta, nominat *capita, manus, crura*, vbi male ſcriptum, *non potuit pater*, pro *non potui pater*, &c.

PLEBEIAQ. PRANDIA NORIS.

Mores populi, qui propriè argumentum ſatyræ.

NON EQVIDEM.

Reſpondet iam Cornuto monitori ſuo & doctori Perſius. Non eò centum mihi voces optaui, vt tragœdiam aut epos ſcriberem: ſed vt copiam mei in te amoris exprimere poſſem.

BVLLATIS NVGIS.

Bullatæ nugæ Perſio, non vt aliqui ſuſpicati, nugæ pueriles, ſed ſufflatæ, vt tragicæ & epicæ. Et bullatæ nugæ non verba tantùm ſufflata, ſed & ſententiæ. Sic *ampullæ* Horatio ad Piſones. *Caua verba & in modum veſicarum tumentia* D. Hieronymo epiſt. c. Mera de his nugis nugalia nugati ſunt, qui *bullatas nugas* interpretati, *argumenta inania*. Sed ijdem quaſi de ſomno experrecti corrigunt, *pullatis nugis*, ſed altiore ſomno, ex quo etiam mox *vara vibiam ſequitur* interpretatio. *Pullatæ nugæ*, quales placitæ *pullatorum circulis*, ſiue plebeculæ. Mox deinde aliud quoq. ſomnium, *Pullatæ nugæ, argumenta tragica, quia in tragœdiis, reges pullati*, quippe miſeri. Immo enim reges illi pannucij quippe miſerrimi, vt apud Ariſtophanem Concionatricib. Sic Telephus Ennianus. *Regnum*, inquit, *reliqui, ſeptus mendici ſtola*. Cur abiêre itaq. à mea interpretatione *Bullatæ nugæ, ſufflatæ*, ſiue vt cum Martiale dixeris, *veſicæ* epigr. xlix. lib. iv? *Sufflatæ* verò *nugæ* tragicæ. His Perſius infeſtiſſimus, propter Neronem tragœdum.

DARE PONDVS IDONEA FVMO.

Pagina quæ fumum id eſt argumentum tragicum aut epicum, vt cœnam Thyeſtæ aut Iliadem, & huius ſortis nugas graui & grandi ſtilo pertractet. Eſt autem ex Horatiano illo, epiſt. xix. *Et nugis addere pondus.*

SECRETI LOQVIMVR.

Soli ſumus, μόνω ἐσμέν. Liberè hic inter nos quæ libet, licet. Narro itaque tibi. Valeant tragœdiæ & heroi ſenſus: ego nunc ſiue hac ſatyra pectus meum tibi aperio.

HORTANTE CAMOENA.

Πλάσις poëtica, vt Horatij Oda xii. lib. ii. vj. lib. j. Propert. eleg. vj. lib. ii. Ἡ Μοῦσα τοὺς ποιητοὺς ἐφορμᾷ. *Muſa incitat Poetas.* Plato In Ione.

QVID SOLIDVM CREPET.

Dixi ad Satyram iij. Imitatus verò eſt Auſonius Ecloga, De viro bono.

ET PICTÆ TECTORIA LINGVAE.

Tu qui cautus ſiue peritus es diſcernendi ſolida, veréque dicta, à fuco linguæ & ſimulationis artificio: linguam veracem, à lingua picta & incruſtata mendaciis. κεκονιαμένη.

Quod parieti tectorium, hoc linguæ fallax & ementita oratio: illud parieti, hæc linguæ velamentum.

De tectoriis Varro c. lvii. lib. j. De re ruſt. Vitruuius c. ij. & ſequentibus lib. vii. Plinius c. xxiii. lib. xxxvj. Horum artifices, *albarij tectores* Tertylliano c. iix. De Idololatr. Gloſſæ κονιατής. *Dealbator, Albinus, Tector.* λευκαντής, *Dealbator.* Forte an & iidem Liatores. vt gloſſis Philox. *Liaculum* λειαντήρ. vt ciſternam liare Tertylliani loco antedicto.

VOCE TRAHAM PVRA.

Pura, experte ſimulationis, ἀνυποκρίτῳ. vt, *pura fides* Ouidij Amor. eleg. iij. lib. j. Sic puram ſuam eſſe intelligi vult amicitiam. Eoq. pertinent etiam verſus antecedentes, *Excutienda damus præcordia,* &c.

CVM PRIMVM.

Cauſa cur tantus Perſij amor in Cornutum; Quia, inquit, tu mihi doctor philoſophiæ.

CVSTOS PVRPVRA.

Puerilis prætexta. Nam hæc *pro maieſtate pueritiæ fuit.* Plin. c. xxxvj. lib. ix. Pro maieſtate, accipe pro ſanctitate, caſtitate, pudicitia. Vt *matronarum maieſtas,* T. Liuij lib. xxxiv. Sic Fabij declam. cccxl. *Sacrum illud prætextarum quo infirmitatem pueritiæ ſacram fecimus & venerabilem.* Et Macrob. Saturn. c. vi. lib. j. Prætextam datam pueris, *vt ex purpuræ rubore admonerentur pudoris ingenui.*

MIHI CESSIT.

Mihi eam deponere cupienti ceſſit; depoſita nempe ante lares. Propert. eleg. j. lib. iv.

Matris & ante Deos libera ſumta toga eſt.

Deſcriptio autem hæc tirocinij, anno xvj. vertente. Aut mihi ceſſit iam licentius viuere geſtienti. Plutarch. libro De audiendi ratione. ὅτι τῶν προςατλοίτων ἀπήλλαξας, τὸ ἀνδρεῖον ἀπ.ἀληφὼς ἱμάτιον. *Quando ab imperioſis*, id eſt magiſtris, *liberatus es, ſumta virili toga.*

PAVIDO.

Quaſi cui etiam tunc *pædagogi lites ad auriculas*, vt iv. ad Herenn.

BVLLAQVE DONATA PEPENDIT.

Acro ad Sat. v. lib. j. Notaui ad Sat. ij. Hinc *bullam dimiſſam*, Propert. dixit, eleg. j. lib. iv. Peccant qui legunt, *demiſſam.* Intelligi vult *dimiſſam*, collo demtam & Larib. miſſam, ſiue donatam.

Suſpenſæ vero bullæ pueriles ad ſuam cuiuſque pueri effigiem. Tot enim effigies circum Lares poſitæ, quot in quaque familia eſſent liberi. Feſtus in *Pila*. Ad collum igitur effigiei ſuæ quiſque ſuſpendere bullam ſolitus, cum è pueritia ſibi ætas exiſſet.

Vt liberorum effigies poſitæ circum lares: ita ſeruorum pilæ. Siue, quot capita ſeruorum in familia, totidem circum lares pilæ. Feſtus loco quem dixi. Pilas cape ſimulacra lanea vel fenea, non autem vt aliqui ſuſpicati, pilas luſorias. De his pilis Aſcon. ad principium Cornelianæ, Feſtus in *Pila*. Ergo & liberorum & ſeruorum ſimulacra circum lares, ſed liberorum effigies è ligno aliáve re ſolida: ſeruulorum è lana, feno pilæ. Liberorum effigies cum bullis aureis ſcortei ſue: ſeruorum abſque bullis. Legend. quoq. Acro. in Horat. Sat. v. lib. j.

SVCCINCTIS LARIBVS.

Hi lares præſtites, κυνῶν διφθέραις ἀμπεχόμενοι. Plutarch. Romanicis Quæſt. li. Gloſſæ in hunc locum veteres. *Quia*, inquiunt, *Gabino habitu cinctuq. Di penates formabantur.* Alij libri. *Quia Gabino habitu Cynomia, id eſt pelle canina dij penates formabantur, &c.* Veriùs dixiſſent, *cinctu quaſi Gabino.*

CVM BLANDI COM.

Blandi comites, non paraſiti, vt voluêre aliqui: ſed blandus comitatus, ſiue miniſtrorum ordo, non ſeuerus iam vt puero, ſed blandus & placere volens, vt tironi.

CANDIDVS VMBO.

Toga pura, ſiue virilis, qui *albens amictus*. Papinio ij. ſiluarum.

Vmbo autem toga nunc tropicè, non vt eſt in aduerſariis c. j. lib. xx. vmbo bellicus. Propriè autem vmbo pars togæ, quàm depingit Tertyllianus c. vlt. lib. de pallio. Cur. Fortunatian. lib. iij. Apuleius lib. xj. Pingerem ego vmbonem, & vt in tabella, totum illud *contracti vmbonis figmentum* ponerem, ſed nunc operæ non eſt. Futurum breui eſt in hiſtoria mea togæ & pallij.

PERMISIT.

Quia cum toga puerili, etiam pædagogus exſuebatur. Hinc virilis toga dicta, *libera* Propert. eleg. j. lib. iv. Ouid. iij. Faſtor. Papin. v. Siluar.

SPARSISSE OCVLOS TOTA SVBVRRA.

Ad furta nempe illa Suburræ, de quibus Propert. eleg. vij. lib. iv. P. Victor. ij. reg. vrbis. *Lupria in Suburra.*

Luperia in Suburra.

TREPIDAS MENTES.

Anxiè dubias, vt operis principio. Sic *trepidare* Propert. lib. ij.

Sic primùm iuuenes trepidant in amore feroces.

RAMOSA IN COMPITA.

Dixi ad Sat. iij. DIDVCIT.

Membranæ, *traducit*, vt & Seruius ad Æneid. vj. Melius eſt, *diducit.* Error neſcius vitæ, ſiue viuendi artis, ſiue prudentiæ, didúcit in compita, dubium & ancipitem facit.

ME TIBI SVPPOSVI.

Gloſſæ. Me tibi *ſuppoſui tanquam aliquod pignus.* Ferri poteſt, ſi pignus accipit filium. Transfert enim Perſius hunc ſenſum à partu qui ſupponitur. Filius patri, ſuus ſibi partus, diſcipulus doctori, vt nunc Perſius Cornuto ſuppoſitus partus. Suppoſitus nempe legitimè, vt partus qui emti libræ penſis. Hic ritus Romæ, quod iam & cucurbitarij pictores ſciunt, & Athenis vt indicio Demoſthenes κατὰ Μειδίου, & in eam Vlpianus. Tetigi ad legem xij. tabular. c. xxv.

SOCRATICO SINV.

Stoico. vt Paradoxo Tullij j. *Vereor ne cui veſtrûm ex Socraticorum hominum*, &c. Socraticorum accipe Stoicorum, vt & Proœmio ipſo, *Paradoxa*, inquit, *maximè Stoica eſſe.* Et Epictetus Arriani c. xxvj. lib. j. Ταῦτα ἐμελέτα ὁ Σωκράτης.

SVSCIPIS.

Vt nutricula. Sic Plutarchus libro philoſophandum eſſe cum principibus. Τὸ κρατοῦν ἐγκολπίσασθαι. *Principem ſinu fouere.* Vulgarij malè Σωρχανόν. τὸ κρατοῦν, pro τὸν κρατοῦντα, vt libro de morbis animi & corporis, τὸ θεραπεῦον pro ὁ θεραπευτής.

TVNC FALLERE SOLLERS.

Gloſſæ veteres. Perita fallendi, ſuauitate doctoriá, ſiue in docendo, vt medici fallunt ægrotos melle. Sed Perſij alia mens. Tunc *regula ſollers*, canon ſapientiæ Stoicæ oſtendit mores intortos ſiue curuos, fallere ſiue latere in ſpecie recti, ſiue oſtendit, quemadmodum cernerem ne fallerent illa me vitia quæ virtutem videntur imitari. De his D. Gregor. Nazianz. funebri laudatione D. Baſilij. Sic Sat. iij.

——*Curuos deprendere mores.*

Iuuenal. Sat. xiv.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis—— Peccant qui hunc locum ſic accipiunt. *Cum regula ſollers fallere*, &c. Regula quæ laten-

ter ac ſenſim, *diſcentis animum inflectit.* Nihiloq. rectior alia ibi quoq. interpretatio. Peius autem quoq. ſcriptum ibi *extendit*, pro *oſtendit*. Vel illud antecedens argumento eſt, ——— *& vita neſcius error*. &c.

ET PREMITVR RATIONE ANIMVS.

Vt Æneide vj.

——— *fingitque premendo,*

vt equum, ſcilicet, freno.

VINCIQVE LABORAT.

Laborioſè & ægrè vincitur. Horat. Oda iii. lib. ii. *Laborat trepidare*, trepidat laborioſè.

TVO SVB POLLICE.

Iuuenal. Sat. vii.

Exigite vt mores teneros ceu pollice ducat,
Vt ſi quis cera vultum facit. ———

Papin. Achilleide j.

Qualiter artifici victura pollice cera
Accipiunt formas.

Pollex in fictione, vnguis in exploratione. Ait non nemo, *duriuſculè* dictum à Perſio, *ſub pollice*, molliùs à Iuuenale Sat. vii. *ceu pollice*. Sed profectò duriuſcula illa Critica eſt. Nam Perſianum illud *ſub pollice*, nihilo durius eſt, quàm illud Horatij epiſt. ad Auguſt. Sub tutore puella, aut illud epiſt. ii. lib. j. *Sub domina meretrice*, aut illud Ouidij Epiſt. Hermionæ, *ſub domino puella*, aut Propertij eleg. vii. lib. iii. *Sub mari* eſſe, pro, ſub imperio maris. Et illud Ariſtotelis Atticum lib. iii. De animalibus. ὑφ' ἡγεμόνα εἶναι, *ſub ducem eſſe*. Sic itaque animus Perſij, *ſub pollice* Cornuti fingentis eum, ſiue doctoris, ducit *vultum artificem*.

ARTIFICEM VVLTVM.

Vt imagini cereæ vultus à pollice artificis: ſic animo Perſij vultus à doctrina Stoici Cornuti. Sic *animi facies* L. Senecæ epiſt. cxiv.

Hîc etiam illud quæſtionis eſt, quiſnam ille vultus animi artifex? Critica illa eadem, eſſe ait *hypallagen*, aut paſſiuè *artificem vultum* pro artificioſè ficto, quemadmodum quidem etiam Macrobius Saturn. c. xiij. lib. iii. dixerit, *nodum artificem*, pro artificioſo. Aut ſcripſiſſe Perſium.

Artificiſq. tuo ducit ſub pollice vultum, aut deniq. ſcribendum. *Artificiq. tuo*, &c. pro, & artificè tuo ſub pollice. &c. Anne nunc etiam coniecturarum ſatis? Quatuor illæ coniectiones quidem, ſed nulla collineatio eſt. Nam Satyricus noſter, *vultum artificem* dixit, pro animi habitu Stoico, ſiue philoſophia Stoica, qui habitus eſt artifex vitæ honeſtæ, & quidem artifex tantus ille, vt quemadmodum ipſe infra dicturus eſt, ne digitum quidem exſeri patiatur aliter, quàm ex præſcripto ſapientiæ Stoicæ. Eaq. de re Epictetus Stoicus, fine Enchiridij ſui. Sic itaq. animi vultus ille eſt artifex, opus eius vita Stoica.

CONSVMERE SOLES.

Ηλίους καταδύειν. Callimachus apud Laërt. in Heraclito. *Condere diem*. Horat. Oda v. lib. iv. *Condere ſoles*. Virgil. Ecloga ix.

PRIM. EPVL. DECERP. NOCTES.

Intelligi vult cœnas ſuas priſco ritu & frugali, veſpernas fuiſſe. Stoici nempe rigoris antiqui amantes, vt Ælius Tubero Stoicus apud Ciceron. pro Murena.

VNVM OPVS.

Placuit non nemini, *vnâ opus*, &c. ſed non etiam Perſio, cui in animo Virgilianum illud ex iv. Georgic. *Omnibus vna quies operum, labor omnibus vnus*.

ATQ. VER. LAX. SER. MENSA.

Vt ſi diceret. Vna cœnitabamus. Atqui iam dixit, *Unâ epulis primas decerpere noctes*, id eſt vnâ cœnitare. Suſpicati ergo aliqui, hoc idem eſſe cum antecedente, atque iterari à Perſio cœnæ mentionem, quia *præcipuum arctæ amicitiæ teſtimonium, ſalis ac menſæ communio*. Neq. tamen aut res eadem, aut quam illi reddunt, ratio eſt. Sed priore verſu ſignificat poëta, ſe cum Cornuto dies noctesq. ſiue adſiduè verſatum: altero autem, ſe & Cornutum ſtuduiſſe vnâ, & vna quieuiſſe. Quietem vero eis non fuiſſe vllius deuerticuli aut otij, quàm menſæ. Non aleæ, non ſpectaculorum, inambulationum, &c. *Diſponimus* verò & *laxamus* dictum quaſi Cornuto etiam nunc præſenti, & quaſi nunc quoq. cum eo Perſius. *Diſponere* autem *opus & requiem*, vt *diſponere diem*, apud C. Sueton. Tiberij c. xj. C. Plin. epiſt. xxxvi. lib. ix. *Diem ordinare*. L. Senecam epiſt. xii.

NON EQV. HOC DVB.

Dicit, *non equidem hoc dubites* Cornute. Cornutum enim adfatur quaſi præſentem, non vt aliqui voluêre, perſonam incertam, ſiue τὸν τυχόντα. Cornute, inquit, tam arctum mihi fedus amicitiæ tecum eſt, vt dubitare non debeas quin idem mihi tecum ſidus ſit natalitium. Ineptiſſimè autem iidem illi magiſtri interpretes, & παγγελοίως, negitant, idem ſidus natalitium, ſiue eandem ſtellam natalem poſſe eorum eſſe, qui non ſimul nati, atque ætatis eiuſdem. Romæ & Romuli ſtella eadem apud Manilium lib. iv. anne ortus quoq. vtriuſq. idem? Metius Pompoſianus *imperatoriam habere geneſin ferebatur*. Sueton. Caij c. x. Nũ ergo Imperatores omnes coæui Metio? Iulius Firmicus eiuſcemodi λεπτοτάτων λήρων ἱερεύς c. xxxi. lib. vi. eandem Demoſthenis & Hermodori genituram poſuit. Num ergo Demoſthenes atq. Hermodorus ὁμόχρονοι; Atqui intercurrunt anni quaſi cx. Idem Firmicus Pindari & Archilochi eandem fecit genituram. Annon diſtant eorum ætates? Quid ergo neceſſe quaſi de machina Deam aduocare ἀποκατάστασιν, aut Perſium ex Iudæorum proſeuchis interpretari? Satius fuiſſet eis diligenter diſcere quid interſit *horoſcopus, geneſis, genitura, horoſcopus natiuitatis*, ſiue *hora genitalis* vt apud C. Tacit. Annali vj. *horo-*

ſcopus natiuitatis, ſiue *hora genitalis* vt apud C. Tacit. Annali vj. *horoſcopus conceptionis* ſiue *hora conceptionalis*, vt loquitur D. Auguſtinus c. v. lib. v. de Ciuit. Dei, quàm ieiunis Arabiſmis & Iudaiſmis onerare nolentem Perſium, & ἀποκαταςάσεις conſomniare.

CONSENTIRE DIES.

Sic & gloſſæ veteres. Seruius verò in membranis ad Æneid. j. *Conſentire Deos*. rectè, nempe Deos Genios.

Hanc tamen quoque correctionem meam vellicauêre in ἀχαμαρτοιπείᾳ ſua, & aiunt, refelli eam à Poeta ipſo, cum ſubiungit. *Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora libra*. *Quos hic*, inquiunt, *dies, ibi dixit tempora*. Sic eſt profectò, quæ volunt Sabini ſomniant. Atqui Perſius variare orationem voluit, & hic *Deos* nominare, ibi *tempora*, & res ponere differentes, neque iterare battologicè *dies* ac *tempora*. Conſentiunt, inquit, Genij noſtri, & vitæ noſtræ dies ſiue tempora ſimilia fluunt, propter Genios conſentientes.

Quare autem agens de horoſcopo, Geniorum mentionem facit? Hoc qui neſciuêre, non mirum ſi pro Geniis, dies nobis obtruſerint. Perſuaſi fuêre olim ex horoſcopo ſiue natali ſtella, ſiue domino genituræ, ſiue οἰκοδεσπότῃ ſuum cuique genium adfluere. Itaque genethliaci, ſiue Chaldæi, ſiue Babylonij, ſiue planetarij, ſiue natalitiorum prædictorum artifices, de Geniis ſoliti vetare quoque ſiue oſtendere, qualis cuique Genius, id eſt, quantarum virium, quibus rebus offenderetur, aut placaretur, quorum hominum Geniis conſentiret Genius ille aut diſſentiret. Sic apud Plutarchum in Antonio Ἀνὴρ τις ἀπ' Αἰγύπτου, τῶν τὰς γενέσεις ἐπισκοπούντων, *Vir quidam Ægyptius vnus de iis qui geneſes ſoliti contemplari*, narrat de Geniis M. Antonij & C. Octauiani. Similiterque Appiani Parthica. Hinc etiam Q. Horatius epiſt. poſteriore lib. ii.

Scit, inquit, *Genius natale comes qui temperat aſtrum*. Atque is nunc Perſio in mentem locus fuit. Ait Horatius Genium eſſe comitem Horoſcopi, ab eoque temperari horoſcopum, perinde vt nunc A. Perſius Deos ſiue Genios vtriuſque horoſcopi, ſui & doctoris ſui Cornuti conſentire.

Cur autem dixit, *federe certo*? Non otioſè hoc Satyricus noſter. Nam aliquorum etiam Dij ſiue Genij conſentiunt *federe incerto*, vt eorum qui nati ſub piſcibus. De his enim ſic Manilius lib. ij.

At quibus in lucem piſces venientib. adſunt
His non vna manet ſemper ſententia cordi
Commutant animos interdum, & federa rumpunt
Ac repetunt ———

De aliis autem pleriſq. Manilius lib. eodem. Deus, inquit,

Iunxit amicitias horum ſub federe certo.

ET AB VNO SIDERE.

Natali aſtro. Horat. epiſt. ij. lib. ii. *Sidere horoſcopo*, Manilius lib. iii.

SVSPENDIT LIBRA.

Ex Horatij Oda xvij. lib. ii.

Seu libra ſeu me ſcorpius adſpicit.

Dixit autem *ſuſpendit tempora*, tangens ſi forte ſententiam illorum aſtrologorum, qui annum, menſem, diem, horam, ſiue tempora ab vno capite numerant, videlicet à ſtella natali ſiue horoſcopo. Manilius lib. iii.

Et capite ex vno menſes, annoſque dieſq.
Incipit, atq. horas.———

ÆQVALI.

Manilius lib. v.

Felix æquato genitus ſub pondere libræ.

Vult intelligi Perſius ſignum natale ſuum & Cornuti, eſſe libram. Amici enim qui tertij trigoni, nempe, ſub Geminis, Libra, Aquario. Manil. lib. ii.

Quoſq. dabunt chelæ, & quos dat aquarius ortus,
Vnum pectus habent, fideiq. immobile vinclum.

DIVIDIT IN GEMINOS.

Manilius lib. eodem.

Magnus erit Geminis amor, & concordia duplex.

Bene autem, *diuidit*. Gemini enim ſignum Δίσωμον.

SATVRNVMQ. GRAVEM.

Ex Horatij Oda xvii. lib. ii.

———*Te Iouis impio*
Tutela Saturno refulgens, Eripuit.———

Propert. eleg. i. lib. iv.

Graue Saturni ſidus.

Iuuenalis Sat. vi.———*quid ſidus triſte minetur*
Saturni——— Seruius ad lib. i. & ii. Georg. & Æneid. iv.

Dixit autem *Saturnum frangimus noſtro Ioue*, innuens Iouem eſſe dominum ſiue οἰκοδεσπότην geniture ſuæ. Sub Ioue ſcil. nati, *multos amant, amicos complures efficiunt, ſimplices ſunt, & qui bene ſemper facere conſueuerint.* &c. Iulius Firmicus c. xii. lib. iv. Pulchrè conuenit hoc in Stoicos.

MILLE HOMINVM SPECIES.

Declarauit hactenus ſuum Cornuti amorem: pergit laudare Cornutum à philoſophia, & informatione iuuentutis Romanæ ad ſapientiam Stoicam. Aliis, inquit, alia ſtudia tibi ſtudium ſapientiæ. &c. Cum ait, *At te nocturnis.* &c.

MERCIB. HIC ITAL. MVT.

Imitatum ex Horatij Satyra iv. lib. j.

Hic mutat merces ſurgente à Sole, ad eum quo
Veſpertina tepet regio.

Sub ſole recenti, interpretati aliqui ſingulari acumine, *Alexandria.* Quo argumento? Quia, inquiunt, quemadmodum Arrianus in maris Erythræi Periplo tradit, Romani mercatores piper & aromata, ſoliti ex vrbe illa petere. Hoc neque ita Chorographus ille, & vt maximè dixiſſet, huic tamen Perſij loco, *ſub ſole recenti*, interpreteris conuenientius, de nauigatione Romanorum ad Indos, ſiue curſu Indico, de quo ſic Horatius epiſt. j. ad Mæcenatem.

Impiger extremo curris mercator ad Indos, Per mare, Annon hoc magis *ſub ſole recenti*, quàm *Alexandria* mercium mutatio eſt? C. Plinius c. vij. lib. xij. *Piper ſola placere amaritudine, & hanc in Indos peti*, &c. Tangit quoque nauigationes Indicas L. Seneca Proœmio lib. j. Natural. Quæſt. De nummis autem effigie Cæſaris Auguſti in America inuentis Marineus Siculus lib. xix. De reb. Hiſpan.

Hic campo indvlget.

Hic campo Martio indulget; ſiue ludis campeſtrib. vt accepit non malè doctiſſimus & vir ſine malitia mala Hadr. Turneb. c. j. lib. xx. Sic *campus*, pro campeſtrib. ludis Horatij Oda iix. lib. j. & ad Piſones. Narrat quoq. Dionyſius lib. v. Ren. Vegetius c. x. lib. j. Cornutus tamen campo indulgere cenſet intelligi à Perſio ambire in campo Martio & honores petere. Sed etiam hoc interpretamento, vt aliis plurimis Cornutus ille Pſeudocornutus eſt.

T. autem literam vſurpari ſæpe longam etiam ſequente vocali, res proletaria eſt.

Quis autem non miretur acumen illorum criticum, qui ſic grammaticati in hunc locum. *Indulgere propriè eſt contrarium* τοῦ *vrgere, Indulgere pro inurgere, vt indoleſcere pro inoleſcere, inſerto d. deinde l. pro r, poſito*, &c. Planè vt ſi ſexcẽti Granij, Modeſti, Lælij reuixiſſent ac ſpirarent in vno. Atqui vel cæco perſpicuum eſt, Græcum ἐγγλυκαίνειν eſſe Latinum indulgere. Gloſſæ ἐγγλυκαίνω *Indulceo*. Videlicet *Indulceo* illis, quod hodie *indulgeo*, vt alia plurima, in quib. litera C. quia G. nouitium, nec multo vſu, vt oſtendi ad leg. xij. Tabular. c. xxxiix. & lxxvj. *Indulgere* itaque eſt dulcem ſe præbere. Dulces autem qui munifici & largi. Sic qui campo largiter ſe dat, is *campo indulget*, qui liberis ſuis lenem ac munem ſe præbet, is indulgens pater eſt, vt Terentij Adelph. Act. i. Sc. i. *nimio ſumtu indulges*, &c. Et Fabij Quinctil. c. ii. lib. i. *mollis educatio, quam indulgentiam vocamus*, &c. tanquam diceret, educationem dulcem, ſiue ἐγγλυκαίνουσαν.

In vener. est pvtris.

Putris in Venerem, καταφερής. Sic apud Horatium *Putres oculi*, nempe in Venerem, Oda xxxvi. lib. j. vbi ea de re dixi. *Ruſta* ſiue ruſtica lectio eſt, & ab imitatione Horatij Perſiana deuians, *In Venerem putret*, &c.

SED CVM LAPID. CHIRAGRA.

Melius, inquiunt, *eſt cheragra, ob metrum*, &c. Scilicet ruinam illi Perſij verſiculo metuunt. Quid ſi cælum ruat? χειράγρα extrito ε, eſt *chiragra* Latinè potius, quàm eiecto ι, *cheragra*. Sic identidem apud Martial. & alios *chiragra*, & apud Auſonium *Phidias* ex Græco Φειδίας, non autem *Phedias*. Et Horatio ad Piſones, Papinio Thebaide j. ex Græca voce ὀρείχαλκον, eſt Latinè non *orechalcum*, ſed *orichalcum*. Et Auſonij conuiuio Sapientum, ex Græco ἐπειρώτης, Latinè non *Eperotes*, ſed *Epirotes*.

FREGERIT ARTICVLOS.

Ex Horatiano illo Satyra vii. lib. ii. *Poſtquàm illi iuſta chiragra Contudit articulos.* &c. *Articulos* autem illos chiragricos, eſſe ait ramalia veteris fagi. Senex enim ipſe chiragricus tanquam fagus vetula, articuli eius tanquam *ramalia*. Neque *ramos*, ſed *ramalia* dixit, quoniam *ramalia* propriè arida. Ouid. Fabular. lib. iix. *Multifidaſq. faces ramaliaq. arida.*

TVNC CRASSOS TRANS. DIES.

Hic conſomniauêre *craſſos dies* intelligi actos in balneis, luſtris, ganeis: at Poeta dicit actos in iis ſtudiis quæ ipſe ante commemorauit, vt *mercaturæ, ſomni, campi, alea, Veneris*. Eoſque *dies craſſos* & *lucem* illam *paluſtrem* vocat, quia eiuſmodi vita ſine luce & ſerenitate ſapientiæ Stoicæ.

Craſſi autem *dies* nebuloſi, vt apud M. Manilium lib. j. *Craſſum lumen* Prudent. lib. j. contra Symmachum. *Liuida lux, ſpiſſuſque dies.* &c. Contraq. Martiali epigr. xiv. lib. iix. *Sine fece dies.*

LVCEMQ. PALVSTREM.

Vt Martianus Felix lib. ix. dixit, *arctos paluſtricolas*, vbi etiam *ſubde* pro *ſub*, vt *quamde* pro *quàm* apud Feſtum. Imitatus Perſium Guilielmus Tyrius c. xxv. lib. xxj. Belli ſacri. *Negligentia*, inquit, *torpentes, paluſtres trahebant dies.*

ET SIBI IAM SERI.

Admodum quoque hic grammatiſticè τὸ *ſeri*, inquiunt, *nomen pro aduerbio*, ἑλληνικῶς. &c. Magnificum illud ἑλληνικῶς. Nam Atticè, aut Græcè quotidianum fuiſſet. Hoc ſcilicet volunt, Perſij ſenſum eſſe, & iam ſerò ingemuêre vitam ſibi relictam. Sed, apage inquit Perſius, non hoc volebam ego, aut ſcripſeram, ſed cum interpunctione,

Et ſibi iam ſeri, vitam ingemuere relictam.

Sibi iam ſeri. &c. Phryges ſero ſibi ſapientes, ὀψιμαθνοοῦντες, tales vt iam locus eis relictus non ſit ad frugem bonam ſe reflectendi, & dandi operam ſapientiæ Stoicæ. L. Sateſberienſis Polycratici c. xix. lib. vii.

CVLTOR ENIM IVVEN. PVRGATAS.

Ineleganter aliqui hunc verſum ſic legunt,

Cultor enim iuuenum es: purgatas inſ. aur. &c.

Voluit Perſiu ſquemadmodum in libris aliis eſt.

Cultor enim iuuenum, purgatas inſeris aures. &c.

Tu Cornute non es de illis qui *ſibi ſeri*, ſed ab ætate ineunte ſapientiæ Stoicæ miles fuiſti, eidemque nunc quoque militas, & quidem duplice militia. Nam & noctes dieſque das huic ſapientiæ, & iuuentutem quoque illius præceptis imbuis, ſiue cultor es iuuenum, inſerens eis in auriculas *frugem Cleantheam.* &c. *Aures purgatas* adtentas, & auditioni paratas. Plautus Milite. *Perpurgatis ambo tibi damus operam auribus.*

INSERIS AVRES.

Gloſſæ ad Perſium accipiunt *inſeris fruge Cleanthea* nempe quaſi arborem ſurculo: Sed verius eſt, *inſeris aures fruge Cleanthea*, frugem Cleantheam ſiue ſapientiam Stoicam in aures ſeris. Sic *Cleanthes* pro Stoicis apud Sidonium, Panegyrico Anthemij. Et *archetypi Cleanthes* apud Iuuenal. Sat. ii. Cleanthes nimirum pro ſecta Stoica, quia Stoicidarum præcipua laus vitæ rigor. Præcipuo autem rigore Cleanthes & Stoicæ familiæ quaſi *Hercules*, apud Laërtium.

PETITE HINC.

Tranſit à laudib. Cornuti, ad laudationem ſapientiæ Stoicæ.

FINEM ANIMO.

Ex philoſophia Stoica petendum eſſe *finem animo certum*, id eſt, finem vitæ beatæ, & *viaticum* ſenectuti. Finis animo & cogitatione proponitur: ſenectuti opus viatico. Sic Bias ſapiens apud Laërtium, Sapientiam eſſe dixit, ἐφόδιον εἰς γῆρας, *viaticum ad ſenectutem* Et Ariſtoteles apud eundem, *Eruditionem* ſiue παιδείαν ἐφόδιον τῷ γήρᾳ. *viaticum ſenectuti.*

CRAS HOC FIET.

Sequitur dialogiſmus vel ſermocinatio Perſij cum iuuene aliquo aut ſene qui ſtudium illius ſapientiæ procraſtinare velit, dicatque *Cras hoc fiet.* Ouid. lib. j. Remedij. Dicimus adſiduò, *Cras quoq. fiet idem.* Martial. epigr. lix. lib. v. *Cras te victurum.* &c. Eleganter quoq. L. Seneca c. ix. De breuit. vitæ.

IDEM CRAS FIET.

Peccant qui hoc ſine interrogatione legunt. Perſius namq. ille ſiue iuueni ſiue ſeni indignans, & interrogans, quid tu, inquit, ais *Idem cras fiet*? Rectéq. ſic Gloſſæ veteres.

QVID? QVASI MAGNVM.

Reſpondet hoc iam Perſio ille procraſtinator, ſiue quemadmodum Heſiodus dixerit, ἀμβολιεργὸς ἀνήρ.

SED CVM LVX.

Hoc iam Perſius.

EGERIT HOS ANNOS.

Sic libri plebeij, male. Perſius voluit, *Egerit hoc annos*, Hoc cras,

hæc procraſtinatio, *egerit*, exhaurit, conſumit annos, neque ipſa exhauritur, ſed ſemper vlterius egerit. Forte an Perſij totus ille ſic verſus fuit.

Egerit hoc annos, ſemper paullum egerit vltra.

FRVSTRA SECTABERE CANTHVM.

Vt ante pro curru *temonem*, ita nunc *canthum* pro rota, partem pro re tota dixit. Canthus enim eſt *ferrum, quo rotæ vinciuntur*, interprete Fabio c. v. lib. j. qui quidem notat quoq. barbarum eſſe vocabulum ſiue gloſſam, *quanquam*, inquit, *eo tanquam recepto vtitur Perſius*. Indicat nempe hunc Satyræ v. locum. De *cantho* etiam Diomedes lib. iij. Probus ad Virgilij lib. j. Georg. Sed verius quidem vox Græca eſt Gloſſæ. Κανθὸς τροχοῦ *vitus*: κανθὸς ὀφθαλμοῦ. *Canthus*. Sic *canthum oculi* dixit Marcellus Empiricus c. iix. Angulum Iuuenal. Sat. vj.

Eſt autem *vitus* quaſi *victus*, *à viendo*, id eſt *connectendo* vt rectè Marius Victorinus lib. j. Itaque quos alij *vitos*, D. Auguſtinus Principiis Dialecticis c. vj. *vietos* adpellat, & à *viendo* quidem dictos etiam ipſe tradit, ſed *viere* interpretatur *flectere*, non autem vt Victorinus *connectere*. *Flexum*, inquit, *velut incuruum, vietum veteres dixerunt: vnde vietos, quod cantho ambiantur, rotarum ligna vocant*. Diſtinguit ergo *vietos* & *canthos*. *Vietos*, ligna rotarum eſſe, flexa curuaque in orbem: canthos autem quibus ligna illa ambiuntur ſiue nexa ſunt. Eadem Diomedis fere ſententia c. iv. lib. iij. cum ait. *Rota ſatis latus ac breuiatus canthus, radiatus luminibus, in anguſtum modioli circulum cohibetur*, &c. Dixi, *ferè*. Nam & ligna rotarum & canthos, ſiue totum exteriorem rotæ orbem canthi nomine complexus eſt, & intelligi vult, exteriorem illum orbem, redigi in anguſtias modioli, interiecto radiorum ſpacio.

CVM ROTA POSTERIOR CVRRAS.

Vita quaſi currus. Qui hodie diſcit ſapienter ſiuè Stoicè viuere is quaſi rota prior eſt, qui differt in craſtinum, is quaſi rota poſterior. Rota poſterior ad priorem adpropinquare non poteſt, nam vt de rotis ait Sympoſius, *Et prope ſunt pariter, nec ſe contingere poſſunt*. Sic qui procraſtinat ſemper, huic nunquam dies hodiernus eſt.

LIBERTATE OPVS EST.

Sequitur nunc ipſum Paradoxum, de Stoica libertate quæ vt à principio dixi, Satyræ huiuſce materia eſt. Hactenus autem quaſi procemium fuit.

Qua autem occaſione & tanquam ianua intret nunc Perſius in diſputationem de libertate Stoica, ſiue de Paradoxo illo, *Sapientem ſolum liberum eſſe*, magnis ambagibus, & labore ſed tanquam Siſyphio quæſiuêre aliqui. Nam nihil aliud quam *magno conatu*, *magnæ nugæ* illæ, & γλώσσης περίπατος tantùm, ſiue *linguæ inambulatio*. Atqui res apertiſſima eſt. Dixit procraſtinatorem [illegible] non oportere, qui [illegible]

ram velit ſapientiæ Stoicæ. Interroget ſi forte aliquis procraſtinationi & otio deditus, quęadmodum definere poſſit, otium & procraſtinationem? Occurrit Perſius & κατ' ἀνάληψιν dat conſilium ei vt vindicet ſe in libertatem, ſiue quemadmodum dixerit Iuuenalis *virtute redimat ſe à vitiis*. Sic Lyſiteles adoleſcens coæuo ſuo Lesbonico apud Plautum Trinummo

Capeſsis virtutem animo, & corde expelle deſidiam tuo, &c.

Ex virtutib. animi efflorescit libertas illa Stoica, de qua nunc Perſius, ſiue vt ex vitiis ſeruitus: ſic libertas ex virtutib. Rectéque apud Stobæum Sermone clxxiij. Bryſo in Oeconomico, Seruos eſſe aliquos non lege tantum aut natura, ſed etiam vitio animi. Sic ergo etiam liberi alij lege, alij natura, alij virtute animi. De ſeruis ac liberis lege, diſſeritur in iure ciuili, de ſeruis ac liberis natura Ariſtoteles in Politicis c. j. lib. j. L. Seneca Procem. lib. iii. Natural. Quæſt. De ſeruis ac liberis animo nunc Perſius, & Tullius Paradoxo v. & alij quos commemoraui ad principium Satyræ.

NON HAC, QVAM, VT QVISQ.

Variè hic locus legitur. Nam vulgo eſt. ——— *Non hac, qua vt quiſque Velina*, &c. At interpretes aliqui etiam peius ita reſcripſêre. ——*Non hac, vt quiſq. Velina*, &c. Qui tamen ſeipſi quoq. in peius vicêre, altera illa correctione ſua ——— *non hac vt quiſque Velinam Publius emeruit.* —— Vtrobiq. illi cum alia, tum illud male, quod emeruit abſolutè capiunt, pro emeritus eſt. *Emeruit*, inquiunt, id eſt, manumiſſus fuit, & quaſi donatus rude, &c. Ita ne? recte iungitur manumiſſio, & rude donatio? Quippini, *tanquam gryphes equis*. Vera meraq. Perſij lectio eſt ——— *non hac, quam, vt quiſq. Velina*

Publius emeruit, ſcabioſum teſſerula far

Poſſidet. ——— non hac libertate quam vt quiſq. Publius Velinâ, emeruit, poſſidet *panem* fiſcalem iure teſſeræ. *Publius Velina*, pro ciue nouo manumiſſione. *Publium* pro quouis liberto dixit, *Velinam* pro quauis tribu.

Emereri verò libertatem dixit, quia ſæpe ſeruorum meritis data libertas vt Plauti Menæhm. Sc. xix. & Sc. vlt. Terentij Andria. Sc. j.

Nota verò etiam res in triuijs, *emereri*, valde mereri, articulo E. augente ſignificatum, vt M. Tullij epiſt. ij. lib. vi. ad Attic. Propert. eleg. vlt. lib. iv. Albinouani Conſolatione Liuiæ, vbi male ſcriptum, *Et merui* pro, *emerui*. Cuiuſmodi menda etiam apud Virgil. Ecloga iv. *Et dura quercus*, pro *edura quercus*. Quanquam ſi forte an etiam fuerit, *exdura quercus*, vt *expallidum* Tertyllianus dixit c. lvii. De reſurrect.

VELINA PVBLIVS.

Ponit in tribu Velina libertum. Atqui Dionyſius lib. iv. Libertinos ait cenſos in tribubus tantum vrbanis quatuor, in quibus & ſuo

ſæculo

ſæculo eos cenſeri. &c. Tribus verò illæ vrbanæ quatuor *Suburana*, *Eſquilina*, *Collina Palatina*, vt recenſet M. Varro lib. iv. De ling. Lat. T. Liuius lib. j. C. Plinius c. iij. lib. xiix. In has libertini adſcripti, quia viliſſimæ, vt nota res. *Velina* ergo ruſtica tribus ſit neceſſe eſt, quo pacto itaq. libertus hic in Velina, aut *Publius* hic *Velinâ?* Forte an quia ſæculo Perſij & corruptela Reip. tanta, iam liberti per tribus etiam diſtributi ruſticas, quod non ſemel quoq. iam olim ſic Romæ factum. Præſertim verò Cæſariani ſiue liberti Cæſarum opibus ſuis & gratia, repagula illa vt vero ſimile eſt, perfregêre. Non otioſè autem Perſius tribum adiunxit. Niſi enim libertus in tribum adſcriptus non habuit teſſeræ petendæ ius. Itaque tribum *patronus liberto ſuo emi* petit, ab herede ſuo, apud Scæuulam l. xxxv. De legat. iij. Eoq. facit etiam Vlpian. l. lij. §. j. De iudic. Primum videlicet ius ciuitatis, ſecundum tribus, vt apud Ciceron. pro L. Cornelio.

SCABIOSVM FAR.

Scabioſum far, inquit Pſeudocornutus, *corruptum & putre frumentum:* Alij quoque & quidem Hypercritici, *ſcabioſum*, inquiunt, *far, gurgulionib. exeſum, corruptum*, &c. Sed verius eſt, *farris* nomine panem à Perſio intelligi, quemadmodum quidem accepit quoque Horatius Satyra v. lib. j. & Perſius quoq. ipſe Satyra iij. vt quidem notauit quoq. ibi Cornutus ille. & Gloſſæ ad Perſium veteres quæ *panem fiſcalem* vocant. Nam etiam mutata re, nomen tamen priſtinum permanſit non *farris* modo, ſed etiam *frumenti*, vt L. Senecæ c. xxvij. lib. iv. De benefic. Et c. penult. De breuitate vitæ & identidem apud alios. Panem verò illum *fiſcalem*, ſiue *gradilem*, ſiue *publicum*, ſiue *Palatinum*, ſiue *ciuilem* Perſius nunc *ſcabioſum* vocat, intelligens panem, cui non ſolum cribro aliquid ademtũ, ſed cui mixta etiam palea, qualem Lucilius lib. xxv. *panem Çumanum* ex *farre aceroſo*, deſcribit, cuius locum Marcellus Grammaticus non optimè accepit. *Panis* itaq, *ſcabioſus*, *panis aceroſus*, qualem etiam Apuleius lib. vj. *Panem ſordidum* dixit. Iuuenalis verò etiam *far caninum* Sat. v. *Sordes*, inquit, *farris mordere canini*. &c. vbi Gloſſæ veteres, *Far caninum*, interpretatæ, *cantabrum*, & *panem ſordidum canum*. Atque ſic *cantabri* nomine, vſus quoq. Cælius Arrianus, Acutor. morbor. c. xix. lib. ij. Tardar. paſſion. c. iv. lib. iij. Et Iſidor. Gloſſis. *Cantabrum*, inquit, *purgamentum frumenti vel farinæ, vel cibus quo canes veſcuntur*. Qui *ſcabroſum far* legunt, ſententiæ parum aut nihil, verſiculi elegantiæ aliquid nocent.

Quod autem Iuſtus Lipſius in Electis c. iix. lib. j. panes ante imperium Traiani Romæ diſtributos non credit, fidem ei facere potuit Iuuenalis Satyra x. illo verſu.

——— *atque duas tantùm res anxius optat,*

Panem & Circenſes ——— Scripta vero Satyra illa vt aliæque nonnullæ Nerone rerum potiente. Eaque de re dixi ad Iuuenal.

Farris autem nomen pro pane vſurpari, prænotaui quoque iam

olim ad legem xij. Tabul. c. xiix.

TESSERVLA POSSIDET.

Poſſidet *far* ſiue *panem fiſcalem* teſſera, ſiue iure teſſeræ. Etenim qui teſſeram habet, is pleno iure dominus eſt, frumenti aut panis, qui per teſſeram peti poteſt. Quocirca etiam poteſt legari teſſera illa, vt diſſerit Paullus l. xlix. §. j. De legat. ij. Etiam teſſera illa vendi & emi poteſt, Paullus idem l. xxcvij. Eod. Et Vlpian. l. lij. §. j. De iudic. Contemtim dictum *teſſerula*, vt Iuuenal. Sat. vij. *vilis teſſera*, quippe *farris ſcabioſi*.

Puerili autem errore ad hunc Perſij verſum, ſic aliqui commentati ſunt aut commenti potius, *Liberos & ſeruos Romæ non veſtis, ſed adpellatio diſtinguebat.* &c. Atqui etiam diſcrimen veſtis faciebat, veſtes enim ſeruiles tunicæ: libertinorum autem pullæ. Dixi de illo diſcrimine ad Horatij Satyr. ij. lib. j. & epiſt. vij. Sic Soſia Plautinus ſeruus, Amphitru. Sc. j. *tunicis conſutis*. Et Apuleiaſini lib. iv. *Serui tunicati.* Et *tunica ſeruilis* apud Iuſtinum lib. xix. Plauti quoq. Aulul. Sc. xxj. ſeruo dicitur, *ne inter tunicas habeas.*

Illud verò iam ex intimo artificio, non ſolum libertos & ſeruos, ſed etiam liberos ac ſeruos Romæ non diſtinctos veſte. Videamus in vnico veſtis genere tunica tantum. Tunica alia *laticlauia*, & ſenatoria: alia *anguſticlauia* ſiue equeſtris: alia *plebeia* ſiue abſq. purpura, vel clauis purpureis. Hæc tria tunicarum genera diſtinguit C. Plinius c. j. lib. xxxiij. Epictetus Arriani c. xxiv. lib. ij. vbi hæc tria πλατύσημος, στενόσημος, ἱμάτιον μόνον. Quartũ genus *tunica ſeruilis* de qua dixi Tunica plebeia ſine clauis purpureis, tunica ſeruilis prorſus ſine clauis & anguſtiſſima. Quinctum genus huic contrarium maximè, tunica palmata, quæ clauis latiſſimis. Itaque Feſtus in *Picta toga*, *tunicam illam à clauorum latitudine, palmatam* olim *dictam* ait. Fuit verò tunica illa triumphalis primitus, poſtmodo facta eſt conſularis, vt narraui ad A. Propertij eleg. iv. lib. iv.

Neque Romæ tantum ſerui veſte ſua diſtincti ab ingenuis ſed etiam Athenis. Eaque de re Iul. Pollux c. xiii. lib. vii. c. xiix lib. iv.

De teſſera frumentaria omnem ab ouo ad pomum expediuere hiſtoriam alij. De figura tantum ſpecieque paullum euariaui ab illis editione commẽtarij mei ad Martialis amphitheatrũ prima, quam vix adoleſcentiæ limites primæ ingreſſus curaui. Nempe oſtendi teſſeras eiuſmodi omnes ligneas fuiſſe, non vt illi cenſuêre, aliquas plũbeas. Ligneæ illæ omnes, & quidem è liguſtri ligno, vt liquet Plinij c. xiix. lib. xvi.

Etiam ab illis tunc abij qui teſſeras illas quadratas fuiſſe perſuaſi, & orbiculatas ſiue globulos feci: nunc diſcrimen facio. Miſſilium teſſeras globulos ligneos fuiſſe, σφαίρια μικρὰ ξύλινα. Dio in Tito, frumenti autem teſſeras quadratas fuiſſe. Illæ rotundæ vt ſpargerentur in capita: hæ quadratæ quia diſtribuebantur. Sic de teſſeris congiarij & do-

natiui manifeſtaria res in nummo Titi Veſpaſiani vbi expreſſim quadrum teſſeræ, tanquam cubi. Hinc & nomen ipſum teſſeris frumentariis, quod deinde retentum & in miſſilium teſſeris quæ poſtmodo vſurpatæ, etſi figura mutata eſſet quadra in orbicularem. Quadrum teſſeræ patet quoque in nummis Hadriani, Antonini, Alexandri, Gordiani, aliorum, vbi & numerus pecuniæ expreſſus in teſſeris. Similiter & numerus frumenti notatus in teſſeris frumentariis. Seruius ad j. Georg. *Teſſeras*, inquit, *quibus frumentorum numerus deſignatur.* Eadem Iſidor. cap. xiv. lib. vlt.

In nummo illo Hadriani, ſedet in ſella curuli Hadrianus ipſe, in ſuggeſto, facto ſpecie cubi ſiue teſteræ notatæ in lateribus numero quinario: ante pedes eius in alio eiuſmodi ſuggeſto diuiſor congiarij. Hinc à latere Liberalitatis effigies ſtolata, manu teſſeram manubrio impoſitam præferens, impreſſo item quinario. Per gradus ad diuiſorem adſcendit mulier, congiarium petens. Neque diſſimiliter in nummis Alexandri Seueri vbi in gradibus puerulus. Sic in alio nummo effigies frumentariæ teſſeræ, & in gradibus muliercula puerum ducens ad petitionem panis gradilis ſiue ciuilis, & in ſuggeſtu teſſera, & curator annonæ. Nec vero Traianus primus, à quo puerculi admiſſi ad teſſeras frumentarias quanquam ita cenſet Iuſt. Lipſius in Electis.c.iix. lib.j. Admiſit enim quoq. iam olim Auguſtus, vt eſt Sueton. c.xlj.

QVIBVS VNA VERTIGO.

Vertigo manumiſſionis. Dominus manumittens ſeruum vertebat, ſiue circumagebat. Hinc vertigo pro manumiſſione; vertere, manumittere. vt mox. *Verterit hunc Dominus.* Fabius Declam. cccxlij. *Vt circumuerteres mancipiũ.* Lege. *Si circumuerteris mancipium.* Epictetus Arriani c.ij.lib.ij. Στρέφειν τὸν ἑαυτοῦ δοῦλον ἐπὶ στρατηγοῦ. *Vertere ſeruum ſuum apud Prætorem, id eſt manumittere.* Sic *vertere*, & *circumagere.* L. Seneca epiſt. iix. *Circumducere*, Iuſtinian. l. vlt. C. De emancipationibus lib. Sic itaq. nunc Perſius *vertiginem*, & mox turbinē dixit pro manumiſſione vindictâ. Et Clemens Alexandr. v. Stromat. χαρφισμόν. Male ibi corrigunt χαρπισμόν. Vertigo illa χαρφισμὸς, & quaſi luſtratio ſerui, qualis Gallinæ περὶ χαρφισμὸς Alexādro Procem. lib. j. Problem. Plutarcho Sympoſ. Problem. ij. lib. vij.

Verſi autem ſerui ſiue circumacti non tantum ſpecie quadam luſtrationis ſiue expiationis à contagio ſeruitutis, ſed inſuper vt ſignificaret dominus ſe conuerſione illa ſeruo dare facultatem abeundi in omnes partes ſiue quo vellet. Ea verò facultas eſt libertas. Itaq. Epictetus Arriani c.xxvj. lib. iij. dicere volens, liber ſum. Πορεύομαι, inquit, ὅπου θέλω, ἔρχομαι ὅθεν θέλω, καὶ ὅπου θέλω. *Eo quo libitum mihi, venio vnde libet, & quo libet.* Vnde & ἐλεύθερος· ὁ ἐλεύθων ὅπου ἐρᾷ. *Qui quo cupit, ire poteſt.* Suidas. Ergo & in formula illud manumiſſionis. *Liber eſto, atque abito quo voles.* Plaut. Manæchm. Sc. xix.

L. Senecæ locus ex epiſt. iix. quem tetigi, ſic habet. *Deinde ne reſiſtere*

quidem licet, cũ cœperit tranſuerſos agere felicitas. Aut rectus ſta, aut ſemel fuge. Qui hoc faciunt, non euertit fortuna, ſed cernuat & allidit. Nulla hic mens L. Senecæ idonea. At bene in membranis eſt. *Deinde ne reſiſtere quidem licet, cum cœperit tranſuerſos agere felicitas, aut rectis ſtare, aut ſemel fugere. Non vertit fortuna, ſed cernulat & allidit.* Mens L. Senecæ. Fortuna cum irata eſt, neque rectus ſtare, neque fugere. Neque vertit ſiue manumittit fortuna mancipia ſua ſed adfligit, vt ſi dominus fingens ſe vertere ſiue manu emittere ſeruum velle, ſolo adfligeret.

QVIRITEM FACIT.

Hoc aliqui ſic interpretati. *Quiritem*, inquiunt, *pro libero poſuit.* Rem factam illi habent. Quid ni? Quaſi omnes liberi, Quirites. Atqui Perſius non neſciuit eſſe aliquos manumiſſione liberos, & non Quirites, vel ciues Romanos, vt *Iunianos*, qui *Latini*, non autem *Quirites*: vt *Dedititios*, qui neque *Quirites*, neque Latini, ſed conditione non multùm meliore quam ſerui, vt oſtendi ad Horatij Satyr. v. lib. j. Iuniani autem viuebant quidem vt liberi, ſed moriebantur, vt ſerui. Iuſtinianus §. Sed hæc. De ſucceſſ. libert. Cuiuſcemodi fere in Galliis hodie, *Jus albinatus*. Interrogabunt ſi forte illi me: quem ergo *Quiritem* vocat Perſius? Dicam. Bonum ciuem Romanum. Perſio autem & Stoicidis, nemo ciuis bonus, qui non idem Stoicus. Quid ita? Quia nemo liber, qui Stoicus non eſt. Alij omnes ſerui, exſules, hoſtes. Ergo ne ciuis quidem aliquis, qui Stoicus non eſt. Fruſtra ergo populum Roman. eſſe qui manumiſſionis vertigine, & vindicta Quiritem fieri putant.

HIC DAMA EST.

Sic & veteres Gloſſæ legunt. Hoc amplius, notam adponunt interrogationis, & Damam nobilem faciunt ſenatorem. *Quaſi*, inquiunt, *interrogans poeta dicit. Hic, qui liber eſt factus, iã Dama eſt, id eſt, nobilis ſenator.* Hæc omnia εὔδη & ψεύδη, & digna Pſeudocornuto. Volo ego & hic iuuare Perſium. Manus Perſij eſt.

> ——— *Hic Dama, & non triſſis agaſo,*
> *Vappa & lippus* ———

En, inquit, rem ridiculam. Hic paullo ante Dama, id eſt ſeruus, & non triſſis agaſo, ſi Dominus eum verterit, repente exit ciuis Romanus, & binomius M. Dama. Dama huic Flacco ſeruile nomen, vt & Horatio Sat. v. lib. ij. *Dama fugitiuus.* Et Sat. vj. lib. j.

> *Tune Syri aut Dama, aut Dionyſij filius* ———

Hoc eſt, Tune fili ancillæ. Et Sat. vij. lib. ij.

> ——— *Prodis ex iudice turpis Dama* ———

Acro in locum illum. *Dama*, inquit, *ſeruile nomen*, vt hic. *Dama non treſſis agaſo.* Lego. vt. *Hic Dama, & non triſſis agaſo.*

NON TRISSIS AGASO.

Vt Vatinius apud Ciceron. epiſt. x. lib. v. ad famil. *Non ſemiſſis homo.* Et Plauti Patruo Sc. ij. & iv. *Non homo trioboli.*

Et in tenvi farragine mendax.

Dixi ad Sat. iv. Intellige Farraginem de qua Feſtus. Farrago, inquit, *quod ex plurib. ſatis, pabuli cauſa datur iumentis.* Paullo aliter C. Plinius c. xvj. lib. xiix. Aliter etiam à Plinio, M. Varro. c. xxxj. lib. j. De re ruſt. Aliter à ceteris etiam Iſidor. c. iij. lib. xvij. Ne Græcis quidem multo inter ſe magis conuenit. In Gloſſis *Farrago*, Γράστις. Inibi in vocabulis additis 349. *Farrago* χλόη. In Onomaſtico Latino græco. *Farrago* χιλός. Γράστις. Sed omnia illa, ſiue generatim quoduis iumentorum pabulum Perſio nunc venit nomine *farraginis.* At illi quidem deuij profectò, qui de adminiſtratione peculij, hic aliquid conſomniauêre, aut de diariis. Quî magis de peculio quàm de pecude, de diariis quàm de aſellis? Nec enim de ſeruo generatim quouis nunc Perſius, ſed de non *triſſis agaſone*, qui mendax, furax, tagax, in iumentorum pabulo, re viliſſima. Ac eſt quidem propriè *Agaſo*, qui aſellum agit, idemq. *Aſinarius.* Gloſſæ ὀνηλάτης *Aſinarius*, quemadmodum etiam *equarium* pro equiſone Iul. Solinus dixit. c. lvij. Sed quod interpretes illi neſciuêre dicitur quoq. generatim communiterq. *agaſo*, quiqui præeſt iumentis. Atque in hunc ſenſum Perſius nunc vtitur. Etiam Feſtus *Agaſonem*, interpretatus *mulionem, in Agaſones.* Et C. Plinius c. xj. lib. xxxj. *Pinxit*, inquit, *& agaſonem cum equo.* T. Liuius lib. xlij. *Duo equi phalerati cum agaſonib.* Q. Curtius lib. iix. *Acceptos ab agaſonib. equos.* Acro ad Satyr. iix. lib. ij. *Agaſo ſeruus qui curat iumenta.* Gloſſæ *Agaſo.* Δοῦλος ἐπὶ κτήνεσι. Sic enim legendum ibi. Ideſt. *Seruus curans iumenta.* &c.

Papæ; Marco ſpondente.

Pergit huic Marco adpingere notas aliquas liberi & ciuis Romani, ſpondere, iudicem eſſe, teſtem fieri claſſicum in libræ penſis, ſiue contractibus, teſtem rogatum in teſtamento. Quærunt autem aliqui nihil neſcientes, cuius nam verba ſint hæc, anne huiuſce noui ciuis, an vilis paraſiti alicuius? Et hoc, inquiunt, melius. Immò enimuero, neque melius, neque deterius, ſed peius, quia vtrumq. nequam eſt. Nam per ipſius Perſij dicta ſunt perſonam, Satyricè inſultantis Quiritib. ſuis bonis qui nouo illi Quiriti, *non triſſis agaſoni, vappa* &c. parum fiderent, & contrahere cum eo trepidarent. Tanquam diceret. Si vir bonus & ciuis eſt, cur *apud vos parum ei ſtat fides?*

Marcvs dixit.

Inmoratur in prænomine Marci. Honorifica Romæ adpellatio prænominis, & nota ingenuitatis. Itaque Horat. Sat. v. lib. ij.

Marce puta aut Publi. Gaudent prænomine molles
Auriculæ.

Sic Polybio identidem pro Cornelio Scipione, Publius. Marcellin. lib. xxiix. *Prænominum claritate conſpicui quidam.* Puto ſcripſit Ammianus, *Cognominum claritudine.* Claritas cognominis, ingenuitas prænominis. Quæque ibi recenſet Ammianus, cognomina magis quam

prænomina ſunt. *Reburrus, Flauinius, Pagonius, Gerion,*

ASSIGNA MARCE TABELLAS.

Lege. *Adſigna.* id eſt. Subſcribe & ſigna.

Formula illa rogandi teſtis qui ad teſtamenti ſignationem vocatus venit. MARCE puta, aut CAI DOMINE IVBE SIGNARI. Sic alij poſt alios rogati pro ſuæ quiſquè ætatis, aut ſui honoris gradu, Primus nempe qui natu maximus aut honoratiſſimus, deinde ſuo quiq. ordine ceteri. Fabius Declam. ccliix. *Inter extraneos quoq. & alienos eſt aliquod priuilegium ætatis. Honores prior peterem, ad ſignandum aduocatus prior rogarer.* Subinde & ſimul omnes rogati, vt in Porcelli teſtamento. MEI DOMINI, ET CONSOBRINI MEI, QVI HVIC MEO TESTAMENTO INTERFVISTIS, IVBETE SIGNARI. Hinc itaque teſtamentarij teſtes illi propriè, *teſtes rogati*, vt l. xxj. §. penult. D. De teſtament. *In teſtamentis quibus teſtes rogati adeſſe debent.* Et l. xxi. §. j. C. eod. *Teſtamenti ſcripturam, rogatis teſtib. ſeptem numero, ciuib. Romanis, puberibus omnibus, ſimul offerre ſignandam & ſubſcribendam.*

Propriè autem dixit Perſius *adſigna*, pro ſubſcribe & ſigna vt l. xcij. De legat. j. l. propenult. De auctor. tut. D. l. vn. C. De ſolut. & liber. debit. ciuit. Hinc & iuncta ſubinde ſubſcribere & adſignare, vt l. cxxvi. §. Chryſogonus D. De verb. oblig. Et in vetere inſcriptione.
HVIC DONATIONI MONVMENTI, SICVT SCRIPTVM EST, CONSENSI, SVBSCRIPSI, ET ADSIGNAVI.

Peccant itaque qui hunc Perſij locum ita legunt. *Has ſigna Marce tabellas.*

HÆC MERA LIBERTAS.

Libertas mera, quæ ciuem facit Romanum, ſiue libertinitas Romana. Triplex Romæ libertinitas, Romana, Latina, Iuniana, Dedititia. Prima illa libertinitate ciues Romani erant, ceteris non item. §. vlt. Inſtit. De libertin. Et eodem §. Theoph. Vlpian. Regul. Tit. De libertis. Libertinitas autem Romana, ex manumiſſione legitima. Ea vero triplex, cenſu, vindictâ, teſtamento. Vlpian. & Theoph. locis antedictis, Auctor veteris fragmenti de libertis. Hæc itaque *libertas Romana*, quod ſic manumiſſi fierent ciues Romani. Eadem & *legitima libertas*, vt in vetere illo fragmine De libertis. Eadem & *pleniſſima libertas* vt d. §. vlt. Et l. j. §. Sin autem ſocius. C. Comm. ſeruo manum. Et *maior libertas*, Theoph. d. §. vlt. Et *iuſta libertas.* Suetonij Auguſto c. xl. L. Senecæ c. xxiv. De vita beata. Et *Perfecta libertas* παντελὴς ἐλευθέρωσις. Plutarch. in Valerio.

Sic itaque Tullius Topicis cum argumentatur, qui neq. cenſu, neq. vindicta, neq. teſtamento liber factus ſit non eſſe liberum, accipe liberum plenè, ſiue cum iure ciuitatis, vt & pro Cornelio, *Seruos*, inquit, *libertate, id eſt, ciuitate donari.* L. T. Liuius principio lib. ij. Inepta itaque illis ratio, qui Tullij argumentationem reprehendere auſi.

Nam qui manumiſſi non legitimo, ſed naturali manumiſſionis modo, vt inter amicos, per menſam, per epiſtolam, hi ſemiſerui, ſiue vt loquitur C. Tacitus annali xiij. *velut vinculo ſeruitutis adtinebantur.* Ergo & retrahi poterant in ſeruitutem. Auctor ille fragminis antiqui De libertis. Eoque trahi poteſt Plauti locus qui Menæhm. Sc. vlt. Ergo & naturaliter manumiſſi quia imperfecta illa manumiſſio, rurſus & legitimè ſæpe manumittebantur. C. Tacitus annali xiij. Plin. epiſt. xvj. lib. vij. Auctor ille idem fragmenti de libertis.

Hinc patet, iure Quiritium, ſiue iure ciuili mero liberum eſſe neminem qui non idem ciuis, ſiue Latinos & dedititios, iure Quiritium liberos non eſſe. Sic capienda l. penult. §. vlt. De extraordin. cognit. l. v. §. vlt. De ſtatu hom. D. Nempe quod eſt d. l. v. *Expulſa ciuitate.* hoc vult. Expulſam ciuitate quia ciuis deſierit eſſe, neq. liberam eſſe. Libertas enim ciuilis, propriè ciuitas. Tullius orat. Pro Cornelio.

HANC NOBIS PILEA DONANT.

Hæc ille *vappa & lippus* ad Perſium. Liber, inquit, ſum. Viden' tu pileum notam libertatis? Pileum hic pro manumiſſione figuratè, quia ſerui manumiſſi, raſo capite, & pileato, ſiue pileum nota manumiſſionis, & libertatis vt Appian. lib. ij. πῖλον vocat σύμβολον ἐλευθερώσεως. Et ille Plauti Soſia Amphitr. Sc. j. *raſum caput* ſibi & *pileum* optat, id eſt, manumiſſionem & libertatem. Plutarch. in Flaminino. ἔθος τοῦς οἰκέταις ὅταν ἐλευθερωθῶσιν, ξύρεσθαί τε τὰς κεφαλὰς, καὶ πίλια φορεῖν. *Ritus ſeruis cum manumittuntur caluitiū facere, & pila geſtare.* Ergo & Nicomedes Bithyniæ rex, τὴν κεφαλὴν ξυράμενος, καὶ πίλιον ἐπιθέμενος, *capite caluo: & pileato,* libertū Romanorū ſe dictitabat. Plutarch. lib. ij. de virt. fortunáq. Alexandri. Sed profecto mentita Plutarcho ibi memoria eſt. Non enim Nicomedes ille ſed Pruſias, vt bene Polybius notat Legat. xcvij. Narrat, cum legati Roma veniſſent, Pruſiam eis occurriſſe ἐξυρημένον τὴν κεφαλὴν, καὶ πίλιον ἔχοντα, καὶ τήβενναν, καὶ χαλλικίους. (Corrige χαλκίους. Sic etiam alibi malè χαλτίκιος pro χάλτιος.) Id eſt. *Raſo capite et pileato, & togatū, & calceatum, & omni ornatu quo illi qui nouiper à Romanis manumiſſi, quos libertos dicunt.* Et Appian. principio belli Mithridatici vbi Pruſias occurrit imperatoribus Romanis, εἱμά τε Ῥωμαϊκὸν ἀμπεχόμενος, ὃ καλοῦσι τήβεννον, καὶ ὑποδήματα ἔχων Ἰταλικὰ, τὴν κεφαλὴν ἐξυρημένος, καὶ πῖλον ἐπικείμενος. *Veſte indutus Romana, quā togā vocāt, et calceos habēs Italicos, et capite raſo, & pileato.* Et Diodorus legat. xxj. Pruſiā occurriſſe Romanis ἐξυρημένον τὴν κεφαλὴν, καὶ πίλεον ἔχοντα λευκὸν, καὶ φοροῦντα τήβενναν, καὶ κάντιλον. *Caluo capite, & cū pileo cādido, toga, & calceis.* Menda enim ibi κάντιλον pro χαλτίους. vt Plutarch. Pōpeio, τοῖς χαλτίοις. Et Appian. ὑποδήματα Ἰταλικά. Sic & Artemidor. c. lxxiv. lib. iv Ἔχοντα Ῥωμαϊκὴν ἐσθῆτα, καὶ ὑποδήματα, ſcilicet, Ῥωμαϊκά. Et apud Plutarch. in Pompeio, cum piratæ ludos facerent captum in mari aliquem de ciuibus Romanis, & proquiritantem, *Ciuis Romanus ſum*, quaſi malum metuentes,

οἱ μὲν ὑπέδουν τοῖς καλτίοις αὐτὸν, οἱ δὲ τήβεννον περιέβαλλον, ὡς δὴ μὴ πάλιν ἀγνοηθείη. *Aly calceis induebant eum, aly toga amicibant, ne iterum ignoratus, ab eis caperetur.* atque ita exornatum & abire iuſſum deturbabant in mare. Calcei nempe ciuium Romanorum proprij, & neque peregrinis, neque ſeruis conceſſi. Seruius ad Æneid. j. *Serui,* inquit, *nec colobia, nec calceos habebant.* De manumiſſionis autem nota pileo, tangit quoque Diocletianus A. l. x. C. De teſtam. manumiſſ. Iuſtinianus l. vnica. §. Sed & qui. De Lat. lib. toll. & Dio legat. xxij.

Ex locis antedictis patet quali ſchema & ornatu nouitij liberti. Nempe inſignia eis fuiſſe, *caluitium, pileum candidum, togam, caligas, aut calceos.* Caligas audi σανδάλια. D. Hieron. ad Eſaiæ c. xx. & Actor. xij.

Adde & coronam. Sic enim Tertyll. c. xiij. de corona mil. *Coronat,* inquit, *& libertas ſecularis. Sed tu iam redemtus es a Chriſto, & quidem magno. Seruum alienum, ſæculum quomodo manumittet?* Ecce manifeſtario ibi manumiſſionis ſignum corona. Indicio & Plautus eſt Pſeud. Sc. vlt. vbi Pſeudulo ſeruo venienti cum corolla florea, inquit herus. *Libere hercle hoc quidem.* vt ſi diceret. Coronatus tu, quaſi iam manu emiſſus.

Quomodo ijdem pileati ſimul & coronati? inquies. Corona pileus ipſe redimitus. Patet in pileis Caſtorum qui in iconio nummi Cordij Rufi iiiviri monetalis, vbi corona in pileo eſt oleagina. Sic & Vulcani effigies cum pileo coronato in nummo L. Aurelij. Hinc & pileus coronatus incudi ſuperpoſitus in nummo T. Cariſij triumuiri monetalis. Inſigne hoc ibi Vulcani monetalium præſidis ac tutelæ. Et quidem coronæ illæ in pileis loco illo vbi hodiéque pilei faſciis coronati. Sic itaque locus ille Tertylliani capiendus, non de Saturnalib. & Quinquatribus, vt hactenus intellexere, Tertylliano ipſo palam reclamante.

Dixeris, ſi corona in pileo ſerui manumiſſi, cur non & in nummis, percuſſorum Cæſaris, pilei coronati? Omiſſa ibi corona, odio illius laureæ triumphalis coronæ qua redimitus Cæſar, & reformidatum illud à Bruto Caſſióque tanquam veſtigium tyrannidis.

Sed de ſemita in viam. De pileo manumiſſionis & hoc inſuper notemus. Solitos eum ſeruos capere in luco Feroniæ Deæ. Seru. ad Æneid. iix. Ritus autem ille pilei libertorum à Spartanis. Nam ab iiſdem etiam Feronia Dea, Dionyſ. lib. ij. Et Spartæ vt ſerui maximè ſerui, ſic liberi, liberrimi. Et pilei vſus propriè Spartanus. Itaq. Pileati quoq. Caſtores. Feſtus in *Pilea.*

AN QVISQVAM.

Argumentatur vappa ille ſe liberum, ex definitione libertatis. Nota illa definitio ex l. iv. D. De ſtatu hom. Cic. j. de offic. & Parad. v. Zenone apud Laërt. Epicteto Arriani c. j. lib. ij. c. j. lib. iv. Platone

in definitionib.

LIBERIOR BRVTO.

Qui populo Romano auctor libertatis.

MENDOSE.

Refellit argumentationem illam Perſius auctoritate Stoici huius, nempe Cornuti doctoris ſui.

AVREM MORDACI LOTVS ACETO.

Vt Paullinus epiſt. j. ad Auſonium.

——————*Satyra mordacis aceto*. Neque diſſimiliter Demonax Cynicus de quodam earundem Baccharum ἄνθρωπος οὐκ εὐεπάτητα ἔχων τὰ ὦτα. *Homo aures habens non faciles capi*. &c. Lucian. in Demonacte.

Nunc autem Perſio *acre acetum*, acrimonia Dialectica, quæ propria Stoicorum, vt alius diſſerendi locus.

HÆC RELIQVA ACCIPIO.

Turbidus verſus à librariorum falſa interpunctione. Legendus autem.

Hæc (reliqua accipio) licet vt volo viuere, tolle.

Hæc tolle, ſiue hoc nego quod ais te vt velis viuere, nam cupiditatum ſeruus es. At reliqua nempe definitionem illam libertatis quam poſuiſti, accipio, ſiue concedo.

TOLLE.

Tolle, nego. vt Tullius Topicis.

VINDICTA POSTQVAM.

Eiuſdem modi & Epicteti apud Arrianum diſſertatio c. j. lib. ij. Pergit ſcilicet nunc vappa ille oſtendere, ſe vt velit viuere, ſiue adſumtionem probare.

Bene gloſſæ veteres vindictam hic virgam Prætoris accipiunt, minus rectè Priſcian. c. iix. lib. xiix. liberationem. Planiùs ſaltim dixiſſet, liberationem quæ fieri ſolita, virga Prætoris in ſerui caput impoſita, vt *vindictam imponere* l. penult. §. Pater. De caſtr. pec. l. xiv. de manumiſſ. l. xij. §. Poteſt. De lib. cau. l. v. De manumiſſ. vind. D.

De vindicta Boët. ad Top. Cic. Plutarch. lib. de ſera num. vind. vbi malè ἀφερῶνται pro ἀφεῶνται.

MEVS.

Vt Euripid. ἐγὼ δ' ἐμὸς εἰμι. Explicat Priſcian. *Poteſtatem mei habens*. cap. iij. lib. xvij. & alias non ſemel. Sic apud Plutarch. Cato Vtic. accepto pugione. Νῦν, inquit, ἐμός εἰμι.

MASVRI.

Meliùs. Maſurij, aut Maſuri. Maſurij rubricam dixit pro iure ciuili, vt Epictetus Arriani c. iij. lib. iv. Νόμους Μασουρίου.

Cur Maſurij potiſſimùm rubricæ, ſiue leges? Liquet l. ij. §. Hi duo. D. De orig. iur. Et Athenæi lib. xiv. Tanquam exquiſitum autem & reconditum aliquid nonnulli ad hunc Perſij locum adſcripſere. Scribi

ſolitas rubricas iuris, & alius quoque generis librorum titulos, non *minio*, ſed *cera miniata*. ὑπέρευ. Διὸς ἐγκέφαλος. *Iouis cerebellum*, hoc quidem, & caput ipſum artis interpretandi Perſij. Quid ni enim? Aliqua cera miniata eſt. Ergo tituli cera miniata ſcripti, Vt ſi argumentêre ex intimo Dialecticæ artificio. Atramentum aliquod *ſutorium* eſt. Ergo ſcripſêre illi hæc iſta, atramento ſutorio. Atramentum eſt illud quidem, vt *ſepia* quoque vt *tectorium* atramentum, neque tamen ſcriptioni aptum & conueniens. Cera miniata eſt quidem aliqua, neque ſcriptioni tamen ſed ſignationi idonea. Teſtis ſatis locuples Victruuius c. iij. lib. ix. *Democritus* in libris ſuis, inquit, *de rerum natura, anulo ſignare ſolitus cera ex milto, ea qua expertus eſſet*. &c. Tales quoque T. Pomponij *miniatula cerula*, quas Tullius epiſt. xj. lib. xv. ad Atticum, *extimeſcere* ſe ait. Neque ex Achille Tatio in Aratum c. De circulis, doceri poteſt, ceræ miniatæ in librorum καλλιγραφία, ſed ἐν τῇ χρίσει, ſiue ἐν τῷ χρίειν *in linendo*, χρῆσιν ſiue vſum fuiſſe. Sic ibi nempe in ſphæra κρικωτῇ ſiue *armillata*, orbis ſignifer, καταχεχρισμένος κηρῷ μεμιλτωμένῳ, *inlitus cera miniata*: Galaxias autem, ſiue orbis lacteus καταχεχρισμένος κηρῷ λευκῷ. *Oblitus cera candida*. Quid eiuſmodi χρίσις ad ſcriptionem? Apertiſſimè quoque & tanquam ex *linea antica* ſiue diametro, contra eos venit Heſychius, quem ſibi teſtem quoque fecêre, παραπλάσματα, inquiens, τὰ κηρία τὰ ἐπιτιθέμενα τοὺς ζητήμασιν ἐν τοῖς βιβλίοις *Paraplaſmata ſunt cerula miniata, imponi ſolita libris, quibus locis dubitationes aliqua*. Sic itaque illi ad Perſium κηρογράφοι, dicamus cum Perſio licet. *Diſce, ſed ira cadat naſo*, &c.

Cuius cuius modi autem librorum titulos etiam rubrica ſcriptos, patet Ouidij Triſt. eleg. j. lib. j. Martial. epigr. ij. lib. iij. Sidonij epiſt. xij. lib. vij.

Rubrica notavit.

Gloſſæ Philox. Διὰ μίλτου ἐπιγραφή, Rubrica. Tituli legum rubrica picti. Hinc *rubræ leges* Iuuenal. Sat. xiv. Et *rubrica* pro legibus, Fabij c. iij. lib. xij. Prudent. lib. ij. contra Symmach. Sidonij Epiſt. vj. lib. iix. Etiam rubrica pro titulo Paulli l. ij. §. vlt. De interdict.

Disce.

Refellit Perſius ſuccidaneam illam huius vappæ rationem, & veram libertatem eſſe ait non à vindicta & iure ciuili: ſed philoſóphia Stoica. Sic Epicurus apud L. Senecam epiſt. iix.

Sed ira cadat naso.

Iram cadere naſo dixit, quia ſedes illa iræ, vt apud Theocrit. Idyll. v.

καὶ οἱ ἀεὶ δριμεῖα χολὰ ποτὶ ῥινὶ κάθηται

Semper & illius naſo ſedet aſpera bilis.

Stupor eſt, legere ibi βαρεῖα. Vetus quoq. Poeta Herodes.

Μὴ δή κορῆ-τὴν χολὴν ἐπὶ ῥῖνας
Ἔχ' εὐθὺς, ἤν τι ῥῆμα μὴ σοφὸν πεύθῃ

Legendum. Μὴ δή κόρηγε, &c.

Puella ne mox ira tibi occupet naſum
Si forte verbum hic audies minus doctum.

Lucilius apud Marcellum in *Priores.*

Calpurni ſauam legem Piſoni? reprendi,
Eduxiq. animam in primorib. narib.

Afranius Vopiſco, inibi.

Apage ſis clientium animum in narib. primorib.
Vix pertuli ———

Plautus Amphitr. ———*Fames & mora Bilem in naſum conciunt.* ——— Sc. xii.

Naſus iræ ſedes, quia corrugari & quaſi criſpari ſolitus iratis. Horat. epiſt. v. *Ne ſordida nappa Corruget nares* ——— Fabius c. iii. lib. xi.

Dvm veteres avias.

Male opinatus, qui veteres auias figuratè à Perſio accipi cēſet huiuſce quem diſcere iubet, opinionem ſufflatam & quaſi pulmoneam de nobilitate ſua & iure imaginis. Perſio conuenienter dixiſſet, opinionem de libertate, ſiue opinionem qua Romani ſufflati, ſe quia ciues ſint, eſſe quoque non modo liberos, ſed liberrimos. Hinc illud vappæ huiuſce Perſiani ante dictum, *Vindicta poſtquam,* &c. *non ſim liberior Bruto?*

Veteres auiæ vt M. Tullij Tuſcul. j. *Ineptiæ aniles*, & apud Prudent. Hymno x. ———*Ineptias, quas vinolentæ ſomniis fingunt anus.* Et mox, *Quod pauendum, rancidæ, Edentularum cantilenæ ſuaſerint.* Dixeris autem ſi conferre velis, videri ſumtam de hac Perſij, diſſertationem illam Epicteti apud Arrian. c. xxvi. lib. iii. Qui prohiberi & cogi poteſt, non eſſe liberum, & ſubiungit. καὶ μή μοι πάππους αὐτοῦ καὶ προπάππους βλέπε, &c. *Neque tu mihi reſpexeris ad auos eius aut proauos, nec an ne venditus & emtus olim fuerit require: ſed ſi audieris eum de pectore, & adfectu aliquo dicentem alteri, Domine, etſi xij. faſces eum ducant, ſeruum dicito.*

Tibi de pvlm. rev.

De pulmone tanquam domicilio ſufflatæ & ſuperbæ opinionis de libertate, vt nunc, & de nobilitate, vt ante Satyra iii.——*an deceat pulmonem rumpere ventis, Stemmate quod Tuſco,* &c.

NON PRÆTORIS ERAT.

Liber non eſt, qui liber iure ciuili, ſed qui ad regulam ſapientiæ Stoicæ. Liber iure ciuili eſt officio craſſo, quod τὸ καθῆκον: liber Stoicè officio tenui, quod τὸ κατόρθωμα.

Nihilo magis intellectus hic locus à poſtremiſſimo interprete, quàm ſi ex aphantopoli ſomnium eſſet. Perſius non eſſe veram ait meramque libertatem à Prætore datam (quippe hanc potiſſimùm refellit, quia frequentiore vſu illa, quàm libertas quæ cenſu, aut teſtamento dabatur) oſtendit argumento ex repugnantibus.

Qui verè ſiue εἰλικρινῶς ipſe liber non eſt, non poteſt aliis veram libertatem dare.

Prætor eo nomine quod Prætor eſt, verè ipſe liber non eſt. Ergo

Veram libertatem aliis vt ſeruis, dare non poteſt. Patet maior ex repugnantibus ſiue abſurdo. Abſurdum eſt & repugnans, aliquem id dare quod ipſe non habeat. Vlpian. l. liv. Paullus l. lxx. De reg. iur. Patet quoq. minor ex conſequentibus.

Qui verè ſiue Stoicè liber eſt, is officij perfecti ſiue *tenuis*, ſiue Stoici peritus eſt.

Prætor eo nomine quod Prætor, ſic peritus non eſt. Ergo

Prætor eo nomine quod Prætor ipſe verè Stoicéque liber non eſt.

STVL. DARE TENVIA RER. OFFICIA.

Mira hic philoſophati interpretes aliqui, legibus ſcelera vindicari, philoſophia mores corrigi leuiores. Alia quæ *neque cælum*, aiunt, *neque terrã*. Atqui Stoicus noſter aliud voluit. Prætoris edicto non poſſe dari ſtultis, ſiue populo tribui κατορθώματα ſiue officia Stoica perfecta, ſubtilia, *tenuia*. Ergo nec libertatem veram ſiue Stoicam. Ex tali enim libertate, officia illa tenuia effloreſcunt. Stoicis ſtulti omnes, ipſis exceptis. Dici non poteſt, quam pauci multas de Perſij ſententiis intellexerint, & tamen quàm multi commentarios ſcribere auſi ἀμφαφόωντες.

VSVM RAPIDÆ VITÆ.

Rapidam vitam Cornutus interpretatus, *rapidè ac celeriter effluentem*: at Perſius rapidam dicere vult eam quæ nomine quidem libera ſit, reapſe *rapida*, violenta, turbida, licentiæ plena.

SAMBVCAM CITIVS.

Gloſſæ ψαλτήριον *Sambucum*, & ὄργανον μουσικὸν, *Sambuca*. Et Clemens Alex. Strom. lib. j. Athenæus lib. xiv. Quare autem Perſius *Sambucam* voluit potius nominare, quàm aliud inſtrumentum muſicum? Quia, vt dixi, *Sambucus*, pſalterium eſt. Pſalteriis autem ſoliti cantare dicteria, & cantilenas famoſas. M. Varro apud Marcellum in *Dicteria*. Iul. Paullus Sent. Tit. iv. lib. v. qui *Pſalterium* dixit metonymicè, pro carmine famoſo. *Pſalterium*, inquit, *quod vulgò dicitur can-*

ticum, in alterius infamiam compoſitum, & publicè cantatum. Caloni autem ſiue caculæ, ſiue galeario conuenit canticum eiuſcemodi vt aſino lyra, boui clitellæ CALONI APTAVERIS ALTO.

Gloſſæ Philox. θεράπων, ὑπηρέτης στρατιώτου, *calo*. Acro ad Sat. ij. lib. j. Idem *cacula* Feſtus. Gloſſæ *cacula*, δοῦλος στρατιώτου. Idem *Galearius*, Caper in Ortograph. Signanterq. Satyricus dixit *alto caloni*. Nam vt eſt in Phyſiognomicis Ariſtotelis, οἱ ἄγαν μεγάλοι, βραδεῖς. *Qui admodum magni, ij tardi* ſcil. ingenio. Et in adagiis eſt, *Amens longus*. Ergo caloni malè aptum pſalterium ſiue ſambuca; alto caloni etiam ineptius. Sic Diogenes apud Laërtium, ridet ἄφρονα, ψαλτήριον ἁρμοζόμενον· *vecordem qui pſalterium ſibi aptari vult*. Neque diſſimiliter de mulione ſuo M. Varro apud Marcellum in *Infans*, *Voces Amphionem tragœdum, iubeas Amphionis agere partes, infantiorem quàm meus mulio eſt*.

Atque hinc elici poteſt alia quoque ratio, cur alto caloni ſambuca maximè diſconuenit. Nempe quod ſambuciſtæ ſoliti quoque geſtum agere, ſiue ſaltare. Vnde in Gloſſis Iſidori *Sambucus, ſaltator*. Atque ita Marcianus Felix quoq. *Sambucos* dixit lib. ix. *Pſaltas*, inquit, *chordaciſtas, ſambucos, hydraulas*, &c. Iucundi verò ſpectaculi res talis pantomimus ſiue ſaltator.

STAT CONTRA RATIO.

Ex ſuperiore argumentatione, ſiue conſectarium ſiue corollarium.

Cuius quis artis imperitus eſt, eam profiteri non debet,

Prætor, quatenus nihil aliud quàm Prætor, libertatis veræ ſiue Stoicæ dandæ imperitus eſt,

Ergo neq. artem libertates dandi exercere debet.

Patet maior teſtimonio conſcientiæ, ſiue ratione intus in animo reclamante. Patet quoq. lege, naturæ & gentium, vbi ait. *Publica lex hominum*, &c. Vetant enim hæ leges immiſcere te negocio vel rei quam neſcias, ſiue quemadmodum Perſius loquitur iubent, *vt teneat vetitos inſcitia debilis actus*, id eſt, vt inſcitus ſiue imperitus *teneat* ſiue contineat ſe ab agendo, quia debilis ad agendum eſt, ſiue inefficax; & quia eiuſmodi actiones nempe ab inſcitia proficiſcentes, vetitæ iure gentium ſiue naturæ. Addi poteſt, etiam iure ciuili. Nam ſic Caius l. cxxxii. De regul. iur. *Imperitia*, inquit, *culpa adnumeratur*. Imperitia nempe illius qui ſe peritum profitetur. Vlpian. l. xxvij. §. Si calicem. Ad leg. Aquil. Imperitè autem, qui *teneat vetitos actus*, interpretati, *habeat pro vetitis ſibi, ac interdictis*, &c. Quippini: quaſi κελεύσει Perſius dixiſſet, *qu'il tienne pour deffendues les actions*, &c. Neſciuêre, *tenere*, eſſe *continere*, vt apud Ciceronem, alios. In his ergo qui ſic vetiti agere, interpretib. quoq. illis fas eſto nomen profiteri ſuum.

SECRET. GANN. IN AVREM.

Gannire ad aurem Afranius Perſa apud Marcell. in *Gannire*, Terent. Phorm. *Secretam* verò non metu periculi aliquo, vt quaſi per nebulam

viſi videre ſibi aliqui, ſed in pectore & tacita cogitatione animi.

DILVIS ELLEBORVM.

Abluis, inquiunt Gloſſæ veteres. Legebant puto, *Deluis*. Sed Perſij manus, *diluis*, vt Lucret. lib. vj. Explicat verò nunc maiorem Syllogiſmi antecedentis propoſitionem exemplis, medendi artis, & gubernatoriæ. Poteſt autem *ellebori* ſiue veratri mentio trahi, vel ad nigrum ſiue melampodium & inſaniæ curationem; vel ad candidum, quod olim etiam ſtudiorum gratia ſumi ſolitum. C. Plinius c. v. lib. xxv. *Elleborum album*, inquit, *quondam terribile, poſtea tam promiſcuum, vt pleriſque ſtudiorum gratia ad peruidenda acrius quæ commentabantur, ſæpius ſumtitauerint. Carneadem reſponſurum Zenonis libris, Druſum quoque*, &c. Scripſerat C. Plinius, *ſæpius ſumtitauerint, vt Carneades reſponſurus Zenonis libris. Druſum quoque*, &c. Similiter de Carneade & zenone; & quidem vt vero ſimile ex C. Plinio A. Gellius c. xv. lib. xvij. Sed Plinio vacillauiſſe memoria videtur. Neque enim *zenonis* ſed *Chryſippi* libris Carneades ille reſponſurus. Valerius c. vij. lib. iix. Quid ſi autem ne Valerio quidem ſtare ſatis apud nos fides poteſt? Alij enim multi ac boni non Carneadem qui cerebrum ter veratro purgauerit ſed Chryſippum fuiſſe aiunt, vt Petronius in Satyricis, Lucianus fine Hermotimi, &c. Sed mihi hanc reſculam ſiue liticulam dicere oportet, iudicare nunc operæ non eſt.

CERTO PVNCTO.

Plin. c. v. lib. xxv. *Certo compeſcere puncto examen*, dixit reſpiciens ad puncta quæ in ſcopo ſtateræ, ſiue τὰ σπαρτία vt Ariſtoteles vocat in Mechanicis.

NATVRA MEDENDI.

Naturam, inquit argutus interpres, *dixit pro arte. Quia naturam ars imitatur*, &c. Subtiliſſimè. Natura eſt ars, & ars natura. Cui vnquam Poëtæ aut Rhetori hoc in mentem? Non Perſio quidem. Is enim naturam medendi pro vi naturaque ſiue τῇ οὐσίᾳ artis medendi dixit.

PERONATVS ARATOR.

Gloſſæ Iſidori. *Pero, calciamenta ruſtica*. Lege. *Perones*. Gloſſæ Philox. Crudus pero, ὠμοβύρσιον. Seru. ad Æneid. vij. Iſidor. c. vlt. lib. xix.

LVCIFERI RVDIS.

Stellæ notiſſimæ.

MELICERTA.

Seruius ad j. Georg.

FRONTEM.

Pudorem. Pudoris ſedes aut *frons*, vt Perſio: aut *genæ*, vt Plinio c. xxxvij. lib. xj. aut *oculi*, vt Ariſtoteli Problem. iij. Tomi xxx. aut *os*.

vt Ciceroni iij. Tuſcul. Ouid. epiſt. Helenæ. Imitatus autem illud Horatij eſt, ad Auguſtum——*clament periiſſe pudorem*

Cuncti pœne patres.——

ARS REDIT.

Accipe condicionaliter. Si ars tibi dat ſiue tribuit Marce Dama. Ars nempe vitæ, ſiue ſapientia Stoica. Ergo & dicturus eſt. *Quæ dederam ſupra repeto.* Aut interrogatoriè legenda omnia vſque ad verſum illum.

Hæc mea ſunt, &c.

RECTO TALO.

Vt ὀρθῷ ἐπὶ σφυρῷ Pind. Iſthm. Oda vij. *Recto talo.* Horat. epiſt. ad Auguſt. *Recto talo*, recto pede. Dixi ad Horat. epiſt. j. lib. j. Tali hominibus in pedis iunctura: brutis in poplite cruris ſiue ſuffragine L. Iul. Pollux lib. ij. περὶ σφυροῦ. Artem verò intellige, ſapientiam Stoicam. Hæc enim ars vitæ.

SPECIEM VERI DIGN.

Speciem veri dignoſcere, diſcernere falſum à vero, latens in veri ſpecie ac ſimilitudine. Horat. ad Piſones. *Decipimur ſpecie recti.* — L. Seneca c. xxxiv. lib. iv. De benefic. *Fallaces ſunt rerum ſpecies, quibus credimus.* Interdum autem *ſpecimen* eodem ſignificatu dixêre, vt Propert. eleg. vlt. lib. iv. T. Liuius lib. xl. ante orationes Perſei ac Demetrij.

SVBÆRATO AVRO.

Vt *ærosa pecunia*, l. cij. §. j. D. De ſolut. *Aurum ærosum* C. Plinij c. v. lib. xxxiij. ὑπόχαλκον, χαλκοχρᾶς.

TINNIAT.

Priſcian. c. ix. lib. iix.

ES MODICVS VOTI.

Symmach. epiſt. xv. lib. x. Non ſum voti immodicus.

PRESSO LARE.

Horat. Oda xxix. lib. iij. *Paruo ſub lare.* Peccat qui legit. *Preſſus lare.*

IAM NVNC ADSTRINGAS.

A Perſij manu hæc aliter, nempe.

Iam nunc adſtringis, iam nunc granaria laxas?

Inq. luto fixum poſſis tranſcendere nummum?

Poſſis, nempe, ſi oblatus? Mirè ac miserè nobis obiectauêre hypercritici *confidentiam*, ſic enim loquuntur, *correctionis tantam. Mirè* hoc illi, quia *demiror* inquiunt: *miſerè*, quia neque hoc, neq. aliud Perſianum quicquam intelligunt.

INQVE LVTO FIXVM.

Ex Horatij epiſt. xvj. Narrant autem hic gloſſæ veteres. Dixi quoque ad Horatij epiſt. xvj.

NEC GLVTO.

Gloſſæ, *Glutto* λίμβος. *Glutus*, βρόχος. *Gluttus* βρόχτος. Legêre aliqui

βρόγχος. Melius βρώτης. Gloſſæ. Βρώτης, *edax*. Eædem res. λίμβος *Ligurius*. Et λαίμαργος Glutto. Eadem res, *Glutto, Ligurius, Catillo, Gulosus*. Gloſſæ λίχνος *Gulosus, Ligurius, Catillo*. Riſi, qui verſum quaſi veteris Poëtæ accipiunt——*glut glut murmurat vnda ſonum*. Non eſt profectò veteris vetuſti, neque tam Poetæ alicuius, quàm vt Sidonius dixerit, *carminatoris*. Et vix teneo me, quin dicã cuiuſcemodi.

Sorbere salivam Mercurialem.

Ερωτηματικῶς vt antè alia. Et poſſis talem te præbere, vt lucrum tibi non moueat ſaliuam? L. Seneca epiſt. lxxix. *Ætna tibi ſaliuam mouet*, Perſius Sat. vj. *Turdorum noſſe ſaliuam*. Saliua in ore mouetur rei alicuius adpetitu. Sic *ſaliua Mercurialis* ex lucri adpetitu.

Hæc mea sunt.

Si de his omnibus ante commemoratis potes dicere, *Mea ſunt*, &c. *Teneo* ſiue poſſideo. tum tu verè liber.

Ac Iove dextro.

Dextro, fauente *Ioue* liberatore. Sic Thraſia apud C. Tacit. annali xvj. *Libemus Ioui liberatori*. Quod Dio in Nerone. Σοί τοῦτο τὸ αἷμα Ζεῦ ἐλευθέριε σπένδω. Similiter L. Seneca C. Taciti annali xv. *Libare ſe liquorem illum Ioui liberatori*. Creber ſcil. in ore Stoicis. *Iupiter Liberator*.

Nostræ farinæ.

Sectæ Stoicæ. Sic Pſeudocornutus. Sed Perſij mens. noſtræ farinæ, qui ſerui cupiditatum, & *farina* nomine ad piſtrinum ludit.

Pelliculam veterem retines.

Vitiorum ſeruus es, vt ante. Tralatum eſt non a ſerpentum exſuuiis, vt voluêre aliqui, ſed his qui recreati ex morbo, aliáue occaſione, pellem mutant, vt de Cardinale Raguſino eſt apud Nauclerum tempore Concilij Piſani, & D. Antonini Florent. de aliis apud alios.

Fronte politus.

Ciuis Romanus, & Marcus Dama.

Astutam vulpem.

Dolos, periuria.

Vapido sub pectore.

Seruans aſtutam vulpem ſub pectore, κερδαλεόφρων. Κερδώ, vulpecula: quaſi κερδαλέα, ἀπατητική. Sic Horat. ad Piſones.

Nunquam te fallant animi ſub vulpe latentes.

Ne fallat te aliquis κερδαλεόφρων.

Vapidum pectus, vappam olens, vt Sat. vj. *Vapida lagena*. Et Iunij Columellæ c. v. lib. xij. *Vinum vapidum*, in vappam degenerans. Vapidum itaque pectus huius M. Damæ, quippe vappæ & lippi, vt ante dictum. Vappa nempe cuius animus in vitium degenerat, vt muſtum in vappam.

Bene hinc & Auguſti verbum explico, qui cum dicere vellet male ſe habere, ſuetus dicere, *Vapide ſe habere* Sueton. c. lxxxvij. Etenim

vt inquit Plinius c.xx.lib.xiv. *Vitium muſto quibuſdam in locis, iterum ſponte feruere, qua calamitate deperit ſapor, vappaque nomen probroſum etiam, hominum cum degenerauerit animus.* Sic ergo & qui febri tentatur, quaſi muſtum iterato & non ſuo ſiue natiuo calore feruet, eoque ſapor illi deperit, ſiue os inſipidum eſt.

QVÆ DEDERAM SVPRA REPETO.

Sic & Gloſſæ veteres. Melius V.C. Petrus Pithœus in Subceſiuis. *relego.* Vt Horatij Epoda ij. M. Catonis c. cl. De re ruſt. Vt fenerator nempe, ſic Perſius huic M. Damæ ad tempus dedit veram libertatem, & ſub condicione. Quib. illud *relego* non ſapit, beta credo ſapere poteſt, acipenſer non poteſt.

FVNEMQVE REDVCO.

Funem ſeruitutis quem tibi laxaueram, ruiſus ſtringo. Seruitus quaſi funis & catena eſt, vt poſt paullo.

——*A collo trahitur pars magna catenæ.*

Non multum abeunt gloſſæ veteres. Alij de ſaltatione ad reſtim accepêre, de qua T. Liuius lib. xxvij. aut de cordace, de quo Theophraſt. in notis, c. περὶ ἀπονοίας, ſiue, de amentia. Nam hoc ibi ἀπόνοια propriè. Item Terent. Adelph. Interpr. Ariſtoph. in Nebulas. Iul. Pollux lib. iv. Suidas in πυλάδης, alij. Sed ingenioſæ illæ in Perſium magis quàm veræ cogitationes. Illa verò nec ingenioſa nec vera cogitatio quæ poſtmodo nata eſt, de luſione puerili ἑλκυστίνδα, de qua Iul. Pollux.

NIL TIBI CONCESSIT RATIO.

Nullius rei libertas tibi à ratione. Siue iure quidem ciuili tu liber es, ſed Stoicè, ne in minima quidem re liber es. Peccant, qui legunt *Ni tibi conceſſit ratio.* &c. loquitur enim de ſtulto. In ſtultis vt ipſe mox paullo dicturus, *ne ſemuncia* quidem *breuis* ſiue puaxillula *recti.*

DIGITVM EXSERE, PECCAS.

Ne digiti quidem mouendi libertas tibi. Siue, ne digitum quidem Stoicè ſapientérque mouere potes, ne in minima quidem re liber es.

Digitum exſerere nunc Perſio non eſt verbum arenæ, vt notant gloſſæ veteres, ſed Stoicum. Stoicæ ſapientiæ decretum eſt. Ne digitum quidem exſerendum temerè. Epictetus fine Enchiridij. ἡ φιλοσοφία φησὶν, ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνειν εἰκῆ προσήκει. *Philoſophia inquit, Ne digitum quidem temere extendi oportere.* Similiterq. Clemens Alexandrin. Pædagogi c. x. lib. ij. Hinc & Stoicis identidem digitus in ſermone pro re minima, vt apud Cic. iij. de finib. Plutarch. lib. de repugn. Stoic. Et lib. de communib. notitiis.

ECQVID TAM PARVVM EST?

Hoc iam Dama ille. Tam leuiculæ, inquit, rei vt digiti malè porrecti cauſa, minus aliquis liber?

SED NVLLO THVRE LITABIS.

Sanè, inquit Perſius. Nam æqualia peccata. Æquè ſeruus qui malè digitum mouet, vt qui corpus. Nullis votis efficies ſiue impetrabis à Deo, quin ſi Stoicè ſapiens & liber non es, planè ſis amens & ſeruus, ſiue abſque illa ſemiuncia ſanæ mentis. Deuij ſunt, qui, *nullo thure litabis*, interpretati, *nulla vi argumentorum obtinebis*, οὐκ ἐκνικήσεις, &c. Perſius aliud voluit, nẽpe, non modo conſequi hoc tibi, ſed ne votis quidem fas optare, quod amplius, quàm argumentis obtinere, magiſq. Satyricum.

BREVIS SEMVNCIA.

Paruiſſima ſiue multeſima. Pars nempe libræ iv. & xx. *Sic breuis ſuppellex*, Vlp. l. vi. §. v. De offic. præſ. *Breues Dij*, Varro apud Marcell. in *Tutuli Breuis lana* Martial. epigr. xxxvi. lib. xii. Dixi ad Spectac. Martial. Epigr. iv.

HÆC MISCERE NEFAS.

Non poteſt miſceri ſeruitus & libertas, ſtultitia & ſapientia. *Nefas.* ἀδύνατον. Corrige autem——*Hac miſcere nefas: nec cum ſis cetera foſſor*, &c.

NEC CVM SIS CETERA FOSSOR.

Vt foſſor qui tres numeros Bathylli pantomimi effinxerit, non iccirco pantomimus eſt: ita neque tu propter ſemunciam recti ſiue ſanæ mentis ſapiens & liber, eſſes. At neq. ſemuncia illa tibi.

Foſſor pro agreſti & rupicone, vt Catul. in Suffenum. Et σκαπανεὺς Ariſtoteli apud Ælian. Var. c. xxiii. lib. ix.

MOVEARE.

Moueri, ſaltare mimicè, vt Tullij Paradoxo iii. Virgil. j. Georg. Horat. epiſt. poſteriore lib. ii. Oda vi. lib. iii.

Ad numerum ſaltat mimus. Sic Virgil. Ecl. vi. *In numerum ludere. Hoc eſt*, inquit Seruius, *ſaltare ad modum rhythmi & cantilenæ*. cantante nempe tibia. Contra *extra numerum ſe mouere*, peccare in ſaltatione. Tullius Paradoxo eodem.

TRES TAN. AD NVMEROS.

Τριποδία ſiue ad tres numeros ſaltatio, ruſtica eſt. Horatius Oda xiix. lib. iii. *Gaudet inuiſam pepuliſſe foſſor ter pede terram*, &c. Atque hi *motus incompoſiti* apud Maronem lib. j. Georg. *Det motus incompoſitos, & carmina dicat.* vbi rectè Seruius interpretatus, *ſaltationem aptam religioni, nec vlla ex arte venientem.* Videte ergo Quirites boni, quàm ad Perſij genium doctè, interpretatus hunc locum ille qui *ad tres numeros ſaltare* ſiue *moueri* eſſe ait. Δὶς ἢ τρὶς καλῶς ὀρχήσασθαι κατὰ Βάθυλλον. Nam hoc Græcè dicendum ſiue Græciſſandum erat ſcilicet, Religio fuiſſet dicere, *Bis aut ter ſaltare, tanquam Bathyllus.*

Satyrorum ſaltatio cum ruſticana eſſet, ad tres numeros fuit. Hinc ergo liquida mens Poetæ. Bathyllus pantomimus fuit ad omnes nu-

meros ſaltandi, omnes imitandi perſonas ſummus artifex, non autem Satyrorum imitandorum, aut ſaltationis ad tres numeros tantùm peritus. Ergo quantũ diſtat à Bathylli artificio, vpilio aut ſubſequa, qui tres numeros Bathylli Satyrum imitantis effingere ſciat: tantum tu M. Dama longè abes à verè libero & ſapiente ſiue Stoico, etſi vidêre tibi aliquis, in craſſis & popularib. officiis, & pro paruo reputes, digitum ſapienter exſerere.

Hinc etiam alia eorundem fruſtratio in propatulo iam eſt; cum corrigunt,

Tres tantum ad numeros Satyrum moueare Bathyllum.

Nam minimè gentium quidem ſic Perſius voluit, primum quia ſonus inconcinuus & inelegans ille, *tantum*, *Satyrum*, *Bathillum*, terminationis eiuſdem. Deinde quia conſenſus omnium librorum, ſtat pro communi lectione. Denique quoniam ex communi lectione & verior & apertior eſt mens Poetæ. Videlicet, à Bathyllo pantomimo ſaltari Satyrum *ad tres numeros* ſiue τριποδίαν, ſed minucè: correctio autem illa ſic agit, quaſi ad alios quoque numeros ſaltârit Bathyllus Satyrum, non tantum ad ternarium, ſiue τριποδίαν. Atqui iam docui eos Satyricam ſaltationem ruſticanam fuiſſe imitatione & ad tres numeros tantum. Itaque Poeta non facit comparationem ternarij numeri, ad alium aliquem Satyricæ ſaltationis numerum, ſed Satyricæ Bathylli motionis ſiue ſaltationis, ad Bathylli ſaltationes alias mimicas.

Quod autem proferat nobis correctio illa, imitationem Perſij, effingentis locum Horatij, id vero nihil eſt. Nec enim repugnante Genio ſuo & ingenio, imitator eſſe voluit Perſius. Et verò quid acidius quàm quia dixerit Horatius Flaccus ad Florum lib.ii. *moueri Satyrum*, pro, ſaltare drama Satyricũ, voluiſſe hunc quoque ſic loqui nunc Flaccum Perſium? SATYRI BATYLLI.

Lege, *Bathylli*. *Bathylli* autem *Satyri*, Bathylli pantomimi ſatyrũ ſaltantis. Bathyllus pantomimus Mæcenatis libertus, vt notant gloſſæ veteres. Hic Bathyllus delicium Mæcenatis. M. Seneca Procemio lib. iij. & Procemio lib. x. Controuerſ. C. Tacitus annali j. Dio lib. liv. Suidas in ὄρχησις. Vbi lege παντόμιμος, & Βαθύλλου, vt rectè obſeruauêre iam & alij.

Bathyllus hic mimus Alexandrinus. Patet Athenæi lib. j. Plutarchi Sympoſ. Problem. iix. lib. vi.

M. Senecæ locus Procemio lib. x. ſic habet. *Recitauit reſcriptum Labieni pro* BATHYLLO *Mecenatis, in quo ſuſpicietis adoleſcentis animum, illos dentes ad mordendum prouocantis.* Corrigunt. *Recitabit reſcriptum Labieni pro* BATHYLLO *Mæcenatis*, &c. Sed M. Seneca voluit. *Recitabit reſcriptum Labieni pro* BATHYLLO *Mæcenati.* Scripſerat Mæcenas pro Bathyllo ſuo: reſcribere illi ſcriptioni auſus Labienus, non veritus Mæcenatis offenſionem, qui tunc Auguſto in oculis.

Reſcribere, verbum ex Rhetorum ſcholis, nempe orationem ſcri-

bere ἀντίπαλον alicuius orationi. Sic Tullij orationibus reſcripſit Cæſtius, M. Senecæ Controuerſ. j. lib. iij. Et Scribonius Verrij libris de orthographia, apud Sueton. c. xvij. de illuſtr. Gramm. Sic reſcribere ad Caluentij orationem Tullius epiſt. j. lib. iij. ad Q. Fratrem. Reſcriptum itaq. Labieni M. Seneca dixit, vt reſcriptam orationem C. Tacitus annali iv. Et reſcripta Bruto de Catone Sueton. Auguſti c. xxcj.

LIBER EGO.

Malè hic vulgariis interrogatio. Nam eſt vappæ illius ἐπιμονή. Tamen liber ſum ego.

VNDE DATVM.

Perſius. Quomodo liber tu, qui tot cupiditatum ſeruus?

AN DOMINVM.

Dominus tibi nullus lege: ſed cupiditates tibi dominæ.

I PVER.

Seruus eſt qui domino vni ſeruit: tu magis, qui ſexcentis. Si quis herus, inquit Perſius, puerum currere cogens ſic increpet, *Ceſſas nugator?* tibi Dama hoc acre ſeruitium videtur: at te ſexcentæ dominæ increpant & currere cogunt, nempe cupiditates.

STRIGILES.

Ad ſudorem in balneo deſtringendum. L. Acro ad Sat. vij. lib. ij. Deſtringere hoc L. Senecæ epiſt. cxxij. & Plinio c. iix. lib. xxxiv. Hinc & ſtrigmenta ſordes fluentes è ſtrigili, Valerij cap. xv. lib. ix. Gloſſæ *Strigmentum*, γλοιός. Et γλοιός, *Strigmentum, deſtrigmentum.* Στλεγγίσματα vt Heſychio.

Ita cum deſtricti, tum ſabanis inuoluti. Marcell. Empir. cap. xxvj. *Exeunti ſtatim à balneo, ita vt dum ſabanis operitur.* &c. Et. *Si hanc potionem in ſabanis adhuc conſtitutus,* &c. Gloſſæ veteres in Iuuenal. Sat. xiv. *lintea* interpretatæ, *ſabana.* Sed intereſt. Marcell. Empir. cap. xv. *Linteo vel ſabano intorto.* Lintea tenuiora: ſabana craſſiora. Lintea ex lino, ſabana ex cannabe. Itaque Marcell. idem. *Et de ſabano molli leniter detergebis, Molli,* quia propriè ſabana aſpera. Proceres quidem *tergeri* ſoliti *tenuiſſimis linteis.* Amm. Marcell. lib. xxiix. Miſcent tamen & gloſſæ, vt Σάβανον. *Sabanũ, Lencium.* Hinc ergo & Epictetus Arriani cap. xj. lib. iv. balneariæ ſupellectilis ſcænã exponẽs ſtrigiles & lintea iunxit, ὕδωρ, ἔλαιον, χεῖρες, ὀθόνιον, ξύστρα, νίτρον. *Aqua, oleum, manus, linteum, ſtrigilis, nitrum.* Rectè nunc Perſius hoc ſeruilis officij exemplum adpoſuit. Talis ſeruus Gyton apud Petronium. *Video Gytona cum linteis & ſtrigilib. parieti adplicitum, triſtem confuſumq. ſcires non libenter ſeruire,* &c. Iuuenal. Sat. iij. *Et ſonat vnctus ſtrigilibus,* &c. Et C. Plinius epiſt. Diſtringi. tergiq. in balneo, nempe à ſeruo, libro iij.

NEC QVICQVAM.

Nemo extra te dominus currere te cogit, eſto: ſed intra te domini ſunt qui cogunt. Siue, ſeruus tu non lege, ſed animo, vt Brysoni apud Stobæum Serm. clxxiij. ſeruorum genus triplex νόμῳ, ſiue lege: τρόπῳ

, τῆς ψυχῆς, ἡ καταχρήσει. Vitio animi, & abuſione : φύσει natura.

129 QVOD NERVOS AGITET.

Quod currere te cogat, vt ſeruum dominus. Nam qui currere quempiam cogit, is neruos eius exercet, tanquam ij qui νευρόσπαστα ſiue ſigillaria mouent, de quib. Poſidonius in elementis meteorologicis, quem plebecula indigerauit Ariſtotelem de mundo ad Alexandr. c. vj. ex eoq. compilator eius Apuleius libro de mundo. De iiſdem Plato lib. j. Legum. Xenophon Sympoſio, Antoninus lib. vij. vitæ ſuæ, Lucian. lib. De Syria Dea. Interpres Ariſtophanis ad Nebulas. A. Gellius c. j. lib. xiv. Narraui quoq. ad Horatij Satyr. vij. lib. ij. Legendus autem hic locus aliter quàm vulgo interpunctus eſt. Sic enim Perſius voluit

Te nihil impellit, nec quicquam extrinſecus intrat
Quod neruos agitet: ſed ſi intus & in iecore ægro
Naſcuntur domini, &c. ——————Non habes dominum à quo exterius agiteris, ſed habes interius cupiditates tuas ſæuiſſimas dominas.

132 MANE PIGER STERTIS.

Non ſolum pluribus dominis tu ſeruus, ſed & contraria imperantibus, vt auaritiæ & luxuriæ.

ECQVID AGAM?

Gloſſæ veteres. En quid agam? Sed melius, *ecquid*.

EN SAPERDAM ADVEHE PONTO.

Athenæus lib. xiij. Feſtus. Marcellus. Heſychius, Etymologiſta. Porphyrius lib. iij. περὶ ἀποχῆς. Peccant verò qui legunt, *ſaperdas aduehe Ponto.*

CASTOREVM.

Quod item ex Ponto. Strabo lib. iij. Virgil. j. Georg. Plin. c. iii. lib. xxxiii. Interpres Nicandri ad Theriaca. Probus ad j. Georg. Sidon. Paneg. Maioriani. Sed Andr. Alciatus in lib. xj. C. legit *Caſtorium* & purpuram vult intelligi, ex Suida in Καστόριον. Sed hoc refellitur ea re, quod purpura peti non ſolita ex Ponto. Dixit autem, *tolle primus*, id eſt, propola eſto.

LVBRICA COA.

Vinum Coum, ceteraq. τεθαλασσωμένα ſiue *aqua marina facta*, ſunt κοιλίας λυτικά ſiue vt Perſius nunc loquitur, *lubrica*, verbo vſus Horatij, cui ſic *lubrica conchilia*. Satyra iv. lib. ij. vbi ea de re dixi.

E SITIENTE CAMELO.

Ariſt. c. iix. lib. iix. animal. hiſtoriæ. Plin. c. xiix. lib. iix.

EHEV VARO.

Variant hic libri. Nonnulli enim, *Eheu. Vare.* Alij, *Eheu. Varo.* Rectiſſimè, qui legerit——*Sed Iupiter audiet. Eheu Varo.* Nam *eheu* illud, Varoni dicitur.

Sed in nomine *Varonis*, euariant quoq. lectiones V. C. Petrus Pithoeus Subſeciu c. iix. lib. j. legit, *eheu Baro*, & Baronem interpretatur

ſtupidum. Quemadmodum *baronis* nomine vſum quoq. Ciceronem obſeruauêre aliqui, vt epiſt. vlt. lib. ix. ad famil. Et fine lib. ii. de Diuin. & lib. ii. De finib.

Andreas Alciatus in Parerg. iuris c. xvi. lib. v. etiam *berones* huc trahit ex A. Hirtij de bello Alexandr. c. liii. Sed hos nihil facere, intelliget facile, quiqui locum A. Hirtij paullo adtentius legerit. At neq. illos audiendos qui loco illo A. Hirtij reponunt Varrones.

Cornutus, & Gloſſæ veteres eodem ſignificatu accipiunt hoc Perſij loco *baronis* & *Varonis* nomen, & interpretantur *barones* ſiue *Varones, fatuos, ſtultos. Lingua enim Gallorum Varones dici ſeruos militum, qui vtique ſtultiſſimi ſint*, &c.

Hadrianus Turnebus c. ii. lib. ix. c. i. lib. xx. rectum eſſe hoc Perſij loco putauit, non *Varo* ſed *Varro*, & *Varronem* eſſe ait à *varris* hoc eſt perticis nominatum, & intelligi hominem ſtupidum & caudicem, vt in Lucilij verſu apud Marcellum.

Varronum & rupicum, ſquarroſa, incondita roſtra.

Sed forte an etiam Lucilio, illi *Varones* non *Varrones*.

Iſidorus c. iv. lib. ix. *Barones* interpretatur, *mercenarios*, Græcæq. originis nomen eſſe ait, à nomine ſcilicet Βαρὺς id eſt *grauis*, propter nempe *operaram grauitatem quas debent*.

Sed his omnibus perpenſis, maius Cornuti & Gloſſarum ſentententiæ pondus eſt. Vitruuio c. xix. lib. x. *Vara, pertica arrectiua*, ſed acceptum quoque hoc nomen pro vallo ſiue ſude. Ab his *varis*, militum caculæ *Varones*. Id autem genus hominum quia ſtolidum eſt plerumque *Varonem* Perſius & Tullius pro hebeti, bardo, ſtulto, dixêre. Sic etiam Perſius paullo ante ipſe *calonem* & *foſſorem* pro ſtulto & ſtolone & *ruſto* ſiue ruſtico dixit.

Interdum tamen quoque *baronem* pro viro dixêre. Gloſſæ *Baro* ἀνὴρ *Baroſus* σοβαρός, Tales enim viri, præ quam mulierculæ. Falluntur qui ſic putauêre accipi etiam epiſt. xi. lib. v. ad Attic. ſine velo Luciliano. Atque ex tali ſignificatu hodieque Celticè *Baro*, vir fortis, plerisq. locis, & *Baro* gradus nobilitatis.

Sed quid eſt illud in Gloſſis *Baroſus* Βάκλῃος; Mihi ad viuum hæc omnia reſecare nunc operæ non eſt.

DIGITO TEREBRARE SALINVM.

Ex Græcorum adagio Αλίαι τρυπᾶν. *Salinum terebrare*. vt Apollonij epiſt. vii. ad Euphraten. Mens autem adagionis eſt, parce, contentè, paupertinè viuere, pane ac ſale vitam ſuam oblectare, ſiue vt Plautinè dixeris, *Salem delingere*. Curcul. Sc. xi.

Signanter autem dictum τρυπᾶν ſiue *terebrare*, vt in magna ieiunitate, & cui ne ſalillum quidem plenum, ſed pauxillulo ſale, & in cuius prehenſione digiti ſalillo impreſſi & fortius & ſæpius, id paullatim pertundant ſiue terebrent.

Signanter dictum quoque *reguſtatum ſalinum*, quæ nota etiam ipſa

vitæ paupertinæ, cui nec copia ſalis recentis, ſed ſæpius iam adpoſiti & ſordidi. Abſurdè in mantiſis ſuis aliqui, *terebrare digito ſalinum*, interpretati *ſalinorum opificem eſſe*. Neque rectè Pſeudocornutus interpretatus. *Diſcum digito rerendo pertundere.*

Contentvs perages.

Perages interpretati διάξῃς τὸν βίον, quaſi Perſius intelligi velit, *perages vitam*. Atqui rectè, atque ex re Perſij monueram ego, *Perages*, dictum pro *perges*. Perges ſalem delingere vt hactenus. Sic in Catalectis, *Non vitam perago*, id eſt, non pergo viuere vt olim. Perſius ipſe mox paullo *Peragant ſudare deunces*, Sic enim rectius membranæ quam proletarij libri *Pergant ſudore deunces*. Eſt itaque *Perages*, non διάξῃς τὸν βίον ſed διαπελήσῃς. Videlicet, τὴν ἀλίαν τρυπῶν γλίσχρως διατελέσῃς. *Contentus* enim Perſio nunc eſt, non vt συρφετὸς interpretum perſuaſus, ὁ στέργων τοῖς παροῦσι: ſed γλισχρός. Recte interpres Terentij ad Phormionem. *Contenti dicuntur, in malis durantes. Hoc autem veteres faciebant nobiles, cum ad paupertatem redacti eſſent*, &c. Hæc ille ſiue *Euanthius* ſiue *Donatus*, *Contentus* autem Attice pro contentè, vt *commodus* pro commodè, *Bonus* pro bene, apud Horat. alios.

Si viv. cvm Iove tendis.

Tendis pro pertendis. Si pertendis *viuere cum Ione*, id eſt iuſtè, ſine periurio, atque ita vt Iouem & θεοὺς ὁρκίους vereare. Iouem præſertim qui pater Iuſtitiæ, & iudicum. Heſiodus ſiue quis alius eſt in Theogonia, & Callimachus hymno Iouis. ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες. *Ab Ioue ſunt reges.*

Iam pveris.

Rectè V. C. Petrus Pithœus in Subſec. c. iix. lib. j. legit, *Iam puer is*. Iam nunc proficiſceris tu qui puer ſiue ſeruus auaritiæ, vt fine Satyræ ———*ſolea puer obiurgabere rubra*, id eſt ſerue amoris & nequitiæ. Et illud. *Euge puer ſapias*, &c. Hanc tamen correctionem aliquis, grauis hercle auctor, ſibi non *probari* ait. Quid ita? Quia, inquit, nemo quantumuis tenax & deparcus, tamen ſine puero aliquo itineri ſe dare ſolitus. Deinde quia dixit Horatius Satyra vi. lib. j.

———*Quinque ſequuntur te pueri laſanum portantes œnophorumque*. &c. Sed non titiuillitij ſunt ratiunculæ illæ. Nam ecce rem. Nemo cui res eſt, is ſine aliquo puero: at huic Varoni & Vappæ terebratum ſalinum. Ergo hic ſine puero. Deinde ille apud Horatium Prætor eſt: hic Perſianus autem, ſalini terebrator. Ergo nihil ad Horatium. Addo mantiſam quoque & abituarium. Stupendi acuminis eſt ratiocinatio illa. Nemo quantumuis triparcus Euclio ſine puero aliquo. Ergo hic Varo ſine pueris nō eſt. Præterea nemo quātumuis deparcus ſine puero eſt. At Euclio Plautinus ille ſine puero eſt, ancilla

enim puer non eſt,& ſolus quoq. ſi vſus veniat, itineri ſe commiſerit. Quid Milonem, quid Socratis contubernalem illum Apuleianum ego, quid alios eiuſcemodi proceres nunc commemorem?

PELLEM SVCCINCTVS.

Pellem, vidulum. Aduerſaria c. j. lib. xx. Mihi, *pellem ſuccinctus*, eſt manticam ſiue peram accinctus. Accingit ſe mantica ſiue pera nempe ad cibum: aptat ſibi œnophorum ad vinum. Sic Apuleij Mileſ. lib. j. viator ille. *Et cum dicto*, inquit, *manticam meam humero exſuo, caſeum cum pane propere ei porrigo*. Et apud Heliodorum Æthiopicis lib. v. de viatore, πήρα ὑπὸ μάλης, ψωμῶν τινῶν καὶ ἀκόλων δῆθεν ταμιεῖον ἐξῆπτο. *Pera ſubaſcilla buccellarum & micarum penuario accinctus erat*. Gloſſæ *Mantica*, πήρα. Item πῆρα, *Mantica, follis*.

Mantica & vidulus intereſt. Mantica cibo: vidulus nummis & diuitiis. Sic Plauti Rud. Sc. xxij. & xxiix. in vidulo ciſtella cum crepundiis, marſupium in quo nummi octingenti, paſceolus in quo denaria centum philippia, talentum magnum in crumena, ſinus, epichyſis, cantharus, gaulus, cyathus, alia. Mantica ſuccincti viatores: vidulo non item.

Pellem autem cibo hic eſſe, vt œnophorum vino, liquet infra, vbi iungitur cœna in tranſtro, & vinum ex obba. Qui pellem *ſegeſtria* interpretati πρὸ μεσονυκτίου ſomnium illud vidêre.

ET OENOPHORVM APTAS.

Obbam vini; Ipſe poſteriùs. ——*vapida læſum pice ſeſſilis obba?* De œnoforo hic gloſſæ veteres, eademq. Iſidor. c. vj. lib. vlt.

Forte ſi autem melius. *Oenophorum aptus*. Succinctus pellem ſiue pelle: aptus œnophorum, ſiue œnophoro. Adnexum ſiue adpenſum tibi habens œnophorum. Notus ille vſus verbi, aptus.

ÆGEVM RAPIAS.

Vt poſt. *Mare tranſilias*.

BILIS INTVMVIT.

Bile atra tumes, atrabiliarius es, inſanis.

QVAM NON EXTINXERIT VRNA CICVTÆ.

Tantum tibi atræ bilis vt cicutæ vrna ſiue plurima cicuta opus ſit ad expurgationem. Ex Horatij epiſt. ij lib. ij.

——*Sed quod non deſit habentem*
Quæ poterunt vnquam ſatis expurgare cicuta?

Qui apud Horatium legunt ſicyæ, refellit imitatio Perſij. In aduerſariis autem c. iix. lib. xxi. eſt, cicutam pro elleboro ſumi poeticè propter ſimilitudinem. Melius Perſij vetus interpres cicutæ ſucco & vnctione calorem exſtingui. Plin. cap. xiij. lib. xxv. Ariſtot. Problem xxiv. Tomi. iii. Ergo & matronas in Theſmophoriis perunctas cicutæ ſucco, vt libidinis calorem exſtinguerent. Hoc amplius Origenes lib. vii. contra Celſum, Athenis præſulem ſiue ἱεροφάντην non aliter καθαρὸν νομίζεσθαι.

θαι, id eſt, *purum et caſtum videri* ἢ κωνιαθέντα τὰ ἀρσενικὰ μέρη, *quàm ſi partes viriles cicuta ſibi exſtinxerit*. Leg. Dioſcorides c. lxxix. lib. iv.

TIBI.

Tali & tanto, M. Damæ.

TORTA CANNABE FVLTO.

Sedenti in fune nautico, vice puluini. Sic de puluino apud Plaut. Sticho. *Satis ſic fultum eſt mihi*. Propert. eleg. v. lib. iij. *Et fultum pluma verſicolore caput*. Iuuenal. *Fultuſq. toro*. Lucilius. *Puluino fultus*.

COENA SIT.

Adpoſita in margo, ſiue menſula nautica. Gloſſæ Philox. *Margus*, τραπέζιον τῶν ναυτῶν.

IN TRANSTRO.

Inter nautas ſiue remiges loco ſordido. Valer. Flaccus. *Inſternunt tabulatoris*. Quaſi ſtratum ſuper ſtratum. Contrarius huic locus ὑπὸ τοῦ καταστρώματος *ſub ſtrato nauis*, Theophraſti notis c. penult. Malè ibi τὸ κατάστρωμα vertêre *tabulata*, neque rectè mutauêre ὑπὲρ τοῦ καταστρώματος. Etenim non mutat locum trierarches ille ſordidus, ſed ſub ſuo ſtrato cubat in ſtragulis gubernionis, vt ſuis parcat. κατάστρωμα ibi eſt trierarchi ſtratum, quod propriè *ſcana*. Iul. Pollux cap. ix. lib. j. Τὰ δὲ περὶ τὴν πρύμναν περιέχοντα ξύλα, περιτόναια καλεῖται, ἐκεῖ που καὶ σκηνὴ ὀνομάζεται τὸ πηγνύμενον στρατηγῷ ἢ τριηράρχῳ. *Quæ ad puppim ligna eminent dicta peritonæa. Ibi & quod imperatori aut trierarcho ſiue ductori nauis tenditur, ſcana nominatur.* Propriè itaque illud Theophraſti ὑπὸ τοῦ καταστρώματος dixeris, *ſub ſcana*. Huic meo commonitorio, quod aliqui opponere conati, *ſoricina nania* eſt. Non neceſſe habeo noua dicere argumentata. Poſſem plurima, ſed vereor nauſeam.

VEIENTANVMQ.

Vinum viliſſimum, vt Horat. Sat. iij. lib. ij. Martial. epigr. liii. lib. ij. xlix. lib. iii. lxxj. lib. j. L. Acro ad Sat. iii. lib. ii.

RVBELLVM.

Cognomentum hoc vini Veientani. Martial. epigr. lxxi. lib. j. Etiam Nomentanæ vineæ *Rubella*, & *Rubelliana*. Plin. c. j. lib. xiv. Iun. Colum. cap. ii. lib. iii. Marcell. Empir. *Rubellum vinum* c. xxix.

VAPIDA LÆSVM PICE.

Quod infectum halitu obbæ picatæ. De picatione illa Plin. c. j. lib. xiv. Caſſian. Baſſus Geopon. lib. vi. Plutarch. Sympoſ. Problem. iii. lib. iv. Sed picatione vini odor inſuauis, Plin. c. v. lib. xxiii. Hinc Martialis faſtidit *vinum reſinatum* epigr. lxxvi. lib. iii.

OBBA.

Obbam dixit quam prius *œnophorum*. Obba nempe huic Satyrico vas ventroſum & capax, quale *obuas* Hebræis.

Sed fuit Romanis etiam *obba* genus poculi. Marcell. Adamant. Mar-

tyr.in Caſſiod.Orthogr.*Obba.*ποτήριον Tertyll. Apologet.c.xiij. Sed propriè quidem vt eſt in Gloſſis. *Obba*, ἄμβιξ, ἐν ᾧ τοῖς νεκροῖς ϖαρένδουσι.

SESSILIS.

Lato ventre, ſiue dilatata, vt *lactuca ſeſſilis*. Plin. c. vij. lib. xix. Martial. epigr. xlvii. lib. iii. xliix. lib. x.

QVINCVNCE MODESTO NVTRIERAS.

Lucro quincuncis, aut vſura quincunce quæ modica eſt, vt *vſura ſemiſſis, modica* Plin. c. iv. lib. xiv.

Sed Vlpiano l. vii. §. Quæ autem De adminiſtr. tut. *leuiores vſuræ*, quæ intra ſemiſſem, vt vſuræ *quincunces, trientes*. Sed *trientarium fenus, minimum*, vt apud Iul. Capitolinum in Antonino Pio. *Semiſſes vſuræ* ſiue vt nominat Herennius l. x. De pollicitationib. *ſemiſſales*, ſex nummi, annui, in ſortis nummos centum, vt *quincuncei vſuræ* nummi quinq. *trientes*, nummi iv. *centeſimæ*, nummi xii. Itaq. hoc C. Plinius c. lxii. lib. x. *duodenis aſſib. mutuari*, dixit.

Nutrire autem *nummos* Perſius dixit, vt Horatius *Paſcere nummos* epiſt. xiix. Seuerin. Boet. *nutrire cenſum*, Conſolat. lib. ii.

AVIDOS DEVNCES.

Ex mercatura. Iuuenal. Sat. xiv.

———Pares quod vendere poſſis
Pluris dimidio———

Sed Perſius reſpexiſſe nunc videri poteſt ad *fenus nauticum* ſiue *vſuram maritimam* ex *pecunia nautica* ſiue *traiectitia*, quæ terreſtri longe grauior eſſe poteſt. Nam & *centeſima* eſſe poteſt. vt Papinian. l. iv. De naut. fen. Eaque in hoc genere modica dici poteſt ſiue *modeſta*, quoniam & *infinita* eſſe poteſt, propterea quod *creditoris periculum eſt*. Paullus Sentent. Tit. xiv. lib. ij. Quocirca nec malè, Maxim. Tyrius Serm. ij. euiuſcemodi fenus vocat τόκους μεγάλους τῶν δανεισμάτων *vſuras ſortium magnas*. Sed correxit infinitatem illam Iuſtinianus l. xxvi. De vſuris.

Plutarchus in Catone ſuperiore, aliud nautici fenoris genus commemorat, quo vti ſolens Cato ille, atque id eſſe ait διαβαβλημένον μάλιστα τῶν δανεισμῶν ὑπὸ ναυτικοῖς *nautici fenoris genus maximè infame*, &c. Erat autem huiuſcemodi. Multis Cato fenerabat pecuniam ea lege, vt inirent ſocietatem, non pauciores numero quinquaginta, vtque naues inſtruerentur totidem. De his quinquaginta pars Catonis vna erat, quam libertus eius Quintio vna proficiſcens colligebat, &c. *Maximè* hoc itaque *infame*, quia periculum Catonis creditoris nullum, lucrum ingens longeque vltra

vſuras centeſimas, quas tamen L. Seneca *ſanguinolentas* vocat, c.x.lib. vii. De benefic.

PERAGANT SVDORE.

Meliùs alij, *Peragant ſudare. Sudare*, autem dixit, quia graues *vſuræ deunces*, quippe vſuræ aſſis totius deta vncia vna, ſiue nummo vno minores centeſimis, videlicet numini xi.

CARPAMVS DVLCIA.

Explicat Donat. in Adelphos.

NOSTRVM EST QVOD VIVIS.

Quod tempus viuimus ſiue Genio indulgemus id propriè noſtrum. Ne rectè Pſeudocornutus interpretatus. *Mihi ſoli natus es, id eſt, ad luxuriam.*

ET MANES ET FABVLA.

Ex Horat. Oda iv. lib. j.

HOC QVOD LOQVOR INDE EST.

Bene hic gloſſæ veteres accipiunt. Hoc ipſum momentum quo tecum loquor de hora illa eſt, D. Hieronym. cap. vj. lib. iij. comment. in epiſt. ad Galatas. *Breue eſt vitæ iſtius curriculum. Hoc ipſum quod loquor, de tempore meo mihi aut creſcit aut deperit.* Imitatus Perſium & Aurel. Caſſiodor. epiſt. xxi. lib. ix. in laudatiône Grammaticæ. *Hinc cunctos proceres nobiliſſima diſertitudo commendat, & vt reliqua taceamus, hoc quod loquimur inde eſt.* De ſiue ex Grammatica eſt. *Inde*, pro ea de re. D. Auguſtinus c. iix. lib. xxij. de ciuit. Dei. *Se non inde tacuiſſe.* Meliùs ita quàm eſt in aduerſar. c. j. lib. xx.

ECQVID AGIS?

Gloſſæ veteres. *En quid agis.* Sed bonum factum, reſcribere.

Heu quid agis? Eſt enim πάθος Perſij commiſerantis vecordiam huiuſce vappæ. Similis menda cubat in Maronis Æneide iv. *En quid agam?* Rectè Donatus in Eunuchum legit. *Heu quid agam?* Eſt enim vox Didonis ſeipſam miſerantis.

IN DIVERSVM SCINDERIS HAMO.

L. Seneca c. xxiix. De vita beata. *Vitam propoſitis diuerſiſſimis ſcindere.* Bene quoque Ariſtoteles in magn. Moralib. c. xj. lib. ij. Διαπελεῖ γὰρ ὁ κακὸς ἑαυτῷ μαχόμενος καὶ ἐναντιούμενος. *Semper enim homo improbus ſecum ipſe pugnat, ſibique contrarius eſt*, &c. Eleganterque declamat hunc ſenſum Dio Romanus fine orat. iv. de regno.

Duplicem hamum ſiue duos hamos dicit auaritiam & luxuriam. Vitioſitates enim quaſi hami ſunt. Plutarchus principio libri De inuidia. ὥσπερ πολυάγκιστρον ἡ κακία. *Vitioſitas multis hamis prædita*, &c.

RVPI IAM VINCVLA.

Ouid. eleg. x. lib. iij. Amor.

Scilicet adſerui iam me, fugiq. catenas. Amor, vinculum. Dixi ad Horatij Odam xiii. lib. i. Sic amor, *vncus* apud Propert. eleg. i. lib. iv. L. Ouid. Ponti eleg. xiii. lib. iv.

NODVM ARRIPIT.

Meliùs alij. *Nodum abripit.* Patet imitatione ex Horatij. Sat. vii. lib. ii.

A COLLO TRAHITVR.

Vt apud Propert. eleg. j. lib. iv.

DAVE CITO.

Tractum de Menandri Eunucho. Gloſſæ vet.

CRVDVM VNGVEM ABRODENS.

Meliùs, *adrodens. Adrodens vnguem,* quia meditatur. Geſtus meditantis vngues rodere. Dixi ad Sat. j. Perſij, & ad Horat. Epod. v.

Crudi vngues viui vngues. Horat. Satyra x. lib. i. Propert. eleg. v. lib. iii.

Huic fluctus viuo radicitus abſtulit vngues. Lego, *viuos.*

SICCIS COGNATIS DEDECVS OBSTEM.

Ipſe ſcilicet ebrius & amator. Sequitur. *Ebrius ante fores.* Oppoſitus ſicco madidus, Plauti Aſin. Sc. xiv. Sicco vinolentus, Tullij Agrar. in ſenatu; & in Lucullo. Sicco vuidus Horat. Oda v. lib. iv. Et Heraclitus apud Stobæum Serm. xxxvii. ὑγρὴ ψυχὴ opponit αὔῃ. Etiam aliter ſicci & madidi. Vt Ouid. *Siccáque de lana.* Et in anathematico verſu apud Plutarch. in Agide, ὑγρᾶς καὶ τρυφερᾶς, &c. Male correxit Henricus Stephanus. τραφερᾶς. Nam pro illo τραφερᾶς æmuli & obtrectatores Agidis reſcripſerant τρυφερᾶς. Videlicet παρῳδοῦντες, & à regno ſiue imperio regio, trahentes ad vxorem, & imperium maritale. Artemidorus c. xvj. lib. iij. ἡ γὰρ ἐπιθυμία ἀπὸ τῆς ὑγρότητος γίνεται, ὅθεν καὶ ὑγροὺς καλοῦμεν τοὺς ἀσελγεῖς. Sic Ioannes Tzetza in Clypeum Heſiodi ὑγροὺς καλοῦμεν τοὺς ἀσελγεῖς.

VDAS ANTE FORES.

Vdæ, quia excluſi amatores, vnguento perfudêre amicarum fores. Lucret. lib. iv.

At lacrumans excluſus amator, limina ſæpe
Floribus & ſertis operit, poſtéſque ſuperbos
Vngit amaracino, & foribus miſer oſcula figit.

Etiam vino. Interpres Ariſtophanis in Plutum, vbi de Laide. Αὐτῆς δὲ πολλοὶ τῶν θετταλῶν ἠράσθησαν, καὶ τῷ ἔρωτι τὰ πρόθυρα αὐτῆς οἴνῳ ἔρραινον. A *Theſſalis multis adamata eſt, qui & præ amore veſtibulum eius vino inrigabant,* Sic Plauti Curcul. Sc. j. amator forib. amicæ vinum inuergit.

Acceperis & vdas fores lacrumis, vt Ouidij eleg. vi. lib. j. Amor.

Adſpice, vt inuideas, inimicáque clauſtra relaxa,

Vda ſit vt lacrumis ianua facta meis.

Vt inuideas, vt inſpectes. Inuidere, inuidentem eſſe, inuidere non videre, & inuidere in rem videre. Hic vltimus ſignificatus. Itaque *inuidere florem liberûm.* Attius dixit apud Ciceron. iij. Tuſc. & apud Marcell. Sic eleg. ij. lib. iij. Amor. *Quoq. magis ſpectes*—&c. Feſtiue Plutarchus in Amatorio. Ἄδῃν τὸ παρακλαυσόθυρον.

Exstincta cvm face.

Sic excluſi amatoris ſigna *iacentes* ſiue *proiecta* faces. Propert. eleg. xvj. lib. j.

Et mihi non deſunt turpes pendere corollæ
Semper, & excluſi ſigna iacere faces.

Meliùs, *deſiunt*. Sic amator cum cereo Plauti Curcul. Sc. j. *Tute tibi puer es lautus, luces cereum.* Interpolari locus ille non debuit. Et intellige hoc ibi dici *neque bellum eſſe nec memorabile*, videlicet, quia peccatum in ritus nuptiales. Pueri patrimi & matrimi hoc munus, non autem ſponſi, & ante ſponſam cereus, non autem ſponſum. Fruſtra ſunt qui alios ſenſus ſectati.

Canto.

Ouid. v. Faſtor.

Ebrius ad durum formoſæ limen amicæ
Cantat, habent vncta mollia ſerta comæ.

Sic *occentare oſtium*. Plauti Curcul. Sc. j. Mercat. Sc. iv. Perſa Sc. xv. Eiuſmodi occentatio apud Ariſtoph. ἐκκλησίας.

Neq. cantauêre tantùm, ſed & ſcripſêre ad fores laudes amicarum. vt Martial. epigr. lxij. lib. xij. Plautus Mercat. Sc. iv.

Impleantur meæ fores elegiorum carbonibus.

Puto meliùs, *elogiorum*. Refero enim ad ritum quo inſcribere ſoliti nomina deliciarum ſuarum & laudes in vrbe ad parietem & fores: ruri in corticibus arborum. De vrbano ritu interpres Ariſtophanis ad Veſpas, & Acarnanes, vbi in verſu Callimachi ὡς ἐρέουσι, meliùs ὅσσ᾽ ἐρέουσι. Tangit hunc ritum & Arnobius lib. vj. vbi de Phidia & Pantarce, & ante hunc Clem. Alexandrin. Propert. Ruſticanus ritus apud Virgilium eſt Ecloga x. Ouid. epiſt. Oenones.

Evge pver sapias.

Hoc iam Dauus interloquitur, & ἐπιφωνεῖ. Euge tu qui hactenus ſeruus nequitiæ, nunc vt inſtituiſti, ſapere perge, & vt poſſis efficere quod meditaris, diis auerruncis lita. *Sapias*, interpretati, *ſi ſapias*. Sed ſatin' ſalua Latinitas, *Si ſapias, percute*? Si Priſcianum conſulis, negabit. Nam rectum eſſe, *ſi ſapias, percutias*; *ſi ſapies, percuties*; *ſi ſapis, percute*. Dixi ad Horatij Odam xj. lib. j.

Eſt enim duplex *ſapias* vnum ſuadentis, *ſapias* pro, ſi ſapias, vt Horatij Oda illa xj. lib. j. Et ſæpe aliâs & apud alios: alterum imperantis, *ſapias* pro ſapito, vt nunc Dauus quaſi in comœdia ſeruus imperat hero deliranti: Tale Ouidianum quoq. illud.

Quod tibi miſcuerit, ſapias, bibat ipſe iubeto.

DIIS DEPELLENTIBVS.

Diis auerruncis θεοῖς ἀποτροπαίοις. Gloſſæ. *Auruncius* θεός ἀποτρόπαιος. Lege, Auerruncus. Varro vj. de Ling. Lat. Iul. Pollux. cap. j. lib. i. Iidem *Dij auertentes*, Tarquitio apud Macrob. Saturn. c. xx. lib. iij.

Sed hic quidem ſpeciatim, Di auerrunci inſaniæ, vt Lares, Siluanus, alij. Horat. Sat. iij. lib. ij. Iuuenal. Sat. vj.

AGNAM PERCVTE.

Porcus huic rei Horatio & Iuuenali locis prædictis. Agna tamen etiam periculorum auerruncis, vt Laribus. Horatij Oda xvij. lib. ij. Plauti Rudente Sc. xxiv.

SED CENSEN'.

Pergit hoc iam Chæreſtratus Dauo.

PLORABIT RELICTA?

Propert. eleg. iv. lib. iij.

Siccine eam incomtis vidiſti flere capillis?

NVGARIS.

Dauus. Atque hîc quidem *nugaris*, eſt nugas agis, aut ludis: at ſuperius Satyra j. *Nugaris cum tibi Calue*, &c. eſt, poetaris. Quod quanquam ita certum eſt, vt meridie lucere, atque ego rectè ſic interpretatus ſum, obſtringillauêre tamen aliqui, ſed ita vt nihil ſtrinxerint, aut *præfracta ſtrigilecula*. Nam quod iuſtus eis triumphus natus ex illo verſu Horatij adpoſito ——— *nugaris rure paterno*, &c. non eſt in Capitolium ille ac neque in montem Albanum, ſed θείου ὀμφή. Nam paroramate male perſcriptus locus ille, cum voluiſſem ego. Nugari autem & ludere dicti non alij ſolum, vt Horatij Epiſt. xiix. *nugaris rure paterno*; nam id non eſt Poetaris: ſed etiam Poetæ vt epiſt. ad Auguſtum, &c.

SOLEA PVER OBIVRGABERE.

Puer, amoris ſerue, aut cui tanquam puerulo Chryſis nates pulſabit. Iuuenal. Sat. vj.

——— Mentem vexare mariti.
Et ſolea pulſare nates ———

Lucian. Philopſeude. Ἐπεὶ σανδάλῳ γε χρυσῷ ἐς τὰς πυγὰς ὥσπερ τὰ παιδία παίεσθαι ἄξιοι ἂν εἶεν οἱ ἀπιστοῦντες. *Siquidem digni ſint quibus ſolea aurea pulſentur nates, qui credere hæc nolint.* Et dialogo Veneris ac Lunæ. ἤδη δὲ καὶ πληγὰς αὐτῷ ἐνέτεινα εἰς τὰς πυγὰς τῷ σανδάλῳ. *Iampridem & nates ei aureo ſandalio pulſaui.* Sic & caput ſandalio ſiue ſolea verberauêre. Turpillius Lindia apud Marcell. in *Mitis*.

Miſero mihi mitigabat ſandalio caput.

Terent. Eun.

Vtinam tibi commitigari videam ſandalio caput.

Lucian. lib. de ſcribenda hiſtoria. Παιόμενον ὑπὸ τῆς Ὀμφάλης τῷ σανδάλῳ. Et eadem Dialogo Iouis & Æſculapij.

Obiurgare autem *ſolea*, vt *obiurgare ferulis*. Sueton. Caij cap. xx. *flagris*. Idem Othon. c. ij. *Colaphis*, Petronius. *Admonere flagris*. Valer. cap. j. lib. j. *Solea*, σανδάλιον. Gloſſæ.

RVBRA.

Aurea σανδάλῳ ſiue σανδαλίῳ χρυσῷ. Vt Luciani Philopſeude, & dialogo Veneris cum Luna dial. Iouis cum Æſculapio.

Delicatarum ſandalia aurea. Iul. Pollux cap. xxij. lib. vij. Plutarch. præcept. coniugij. Γυναικῶν ὑποδήματα διάχρυσα. Et *aureoli pedes*, Catull. epith. Manlij. Et mulierum *aurati calcei*, *aurati ſocci*. D. Hieronym. epiſt. xxiv. & ix.

Sed & aliuſmodi verſicolores ſoleæ calceíve in mulierum deliciis, *mullei*, *cerei*, *albi*, *ederacei*. Vopiſcus in Aureliano. Nihil neceſſe reſcribere *calbi*. Nam albi calceoli & ſoleæ delicatarum. Ouid. lib. iij. Nequitiæ.

Pes malus in niuea ſemper celetur aluta.

Apuleius lib. vij. habitum pingens muliebrem. *Calceis*, inquit, *albis illis & tenuibus indutus*. Nigri vero calcei tenuiorum. D. Hieron. epiſt. ix.

Calcei albi phæcaſia. Appian. lib. v. agens de Antonio Athenis deliciãte, καὶ στολὴν εἶχε τετράγωνον ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου, καὶ ὑπόδημα ἦν αὐτῷ λευκὸν Ἀττικὸν, ὃ καὶ Ἀθηναίων ἔχουσιν ἱερεῖς καὶ Ἀλεξανδρέων, καὶ καλοῦσι φαικάσιον. *Et ſtola ei quadrata Græcanica vice patritæ*, ſiue togæ, id eſt vice togæ pallium, *& pedum tegumen album Atticũ*, *quali & Athenienſiũ & Al. xandrinorũ ſacerdotes vtuntur*, *vocántque phæcaſiũ*. Hinc ergo & Pythagoricus emit phæcaſia, L. Senecæ c. xxj. lib. vij. de benefic. nẽpe vt σιμά. *Pythagoricus*, inquit, *quidã emerat à ſutore phæcaſia, rẽ magnã, non præſentibus nũmis*. Delent illud, *rem magnã*, ſed inuito L. Seneca, cuius ille ἀστεισμός. Hinc & inſolens, miles *phæcaſiatus* apud Petronium, vbi male *phocaſiatus* aut *phœcaſiatus*. Hæc veriora quam quod Heſychius phæcaſium eſſe ait tegumen pedis ruſticum.

Sic Tertylliani c. iv. de pallio *crepidas cretatas Græcatim* accipe phæcaſia neque corrigendum, *crepidas Græcatas*. Cretatæ crepidæ, vt *cretatæ faſciæ*, epiſt. iij. lib. ij. ad Q. Fratr. Circenſis *mappa cretata*. Martial. epigr. xxix. lib. xij. Bos *cretatus*, Iuuenal. Sat. x. vt & in verſu Lucilij, quem ibi adſcripſit vetus interpres. *Toga cretata*, Iſidori c. xxiv. lib. xix.

Rubram ſoleam auream explico ego, nam conuenientius ſæculo Neronis. Ad antiquiora ſi quis reſpiceret de mulleo calceo acciperet. Nam & mulleoli calcei mulierum, vt Vopiſci Aureliano: & mullei calcei rubri. Sed ſoleam Perſius dixit non calceum. Mulleum calceum eſſe rubrum liquet. Nam Feneſtella apud Plinium c. xvij. lib. ix. mullum piſcem dictum ait quia ſit eodem colore, quo & mullei calcei. Mullos autem rubere nemo neſcit. Aliter tamen de mulleis calceis Feſtus, dictos nempe à *mullando*, id eſt ſuendo. Nempe quod adſutæ eis lunulæ patriciæ, vt contra puri calcei qui ſine lunis & ſu-

tura illa. Illi patricij calcei, hi plebeij. Itaque Tertyllian. c. iv. lib. de pallio *mulleis calceis* oppoſuit *puros*. Aliter hoc alij & malè ad Feſtum & Tertyllianum accepêre. Vtriq. autem & Verrio & Feneſtellæ ratio ſua conſtat. Nam & rubri calcei illi, & lunati. De his Plutarch. Romaïcis Quæſt. lxxvi. Philoſtratus in Herode Attico. Martial. epigr. l. lib. j. Papin. Silua ij. lib. v. Zonaras annali ij. Iſidor. c. xxxiv. lib. xix. Iidem *calcei ſignati*. Ammiano Marcellino lib. xiv.

Oppono mihi Iuuenalem Sat. vii. vbi ait

——— & generoſus

Adpoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Significanter nigræ alutæ lunam oppôſuit. Lunula enim illa ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές. *Fibula in malleolo pedis eburnea, ſpecie lunæ*. Philoſtrat. loco anted. Sed vt dicere occœpi, ſi nigra pellis ſiue aluta illa, quo pacto mullei rubri? Duplex ergo mulleorum genus facio. Vnũ eorum qui magiſtratum curulem cepiſſent, vt conſulares prætorij, ædilitij. Hi & lunati & rubri. Facilis certáque coniectura inde, quod Feſtus notat mulleis calceis primum Albanos reges vſos, deinde patricios. Albanis autem regibus tegmina pedum rubra fuiſſe liquet Dionis lib. xliii. Ergo & Romuli πέδιλα ἐρυθρά. Zonaræ annali ij. Et triumphalium virorum calcei punicei vt C. Marius in veteri inſcriptione, *calceis puniceis*. Aliqui ne tecte, *patricijs*. Sic & Iulius Cæſar tegmine pedum puniceo, ſpecie quidem vt triumphalis, reapſe faſtu regio & ritu Albano. Dio lib. xliii. Τῇ τε γὰρ ἐσθῆτι χαυνοτέρᾳ ἐν πᾶσιν ἐνηβρύνετο, καὶ τῇ ὑποδέσει· καὶ μετὰ ταῦτα ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ κατὰ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἄλβῃ ποτὲ γενομένους, ὡς καὶ προσήκων σφίσι διὰ τὸν Ἴουλον ἐχρῆτο, *Togáque fuſa vbique deliciabatur, & pedum tegmine. Et hoc quidem ſubinde altiore & puniceo vt Albani reges olim, vtebatur: quippe et genus ſuum ad hos referens propter Iulum* à quo gens Iulia. Peſſimè locus ille totus conuerſus ab interprete. vt cum illud ὑποδέσει ὑψηλῇ καὶ ἐρυθροχρόῳ reddidit, *veſte ſublimiori ac rubea*. Et cum accipit Dionem dicere, à Iulo ad reges Albanos perueniſſe hunc ritum, fruſtrationi fuit huic interpreti menda. Scripſerat enim Dio. Καὶ τῇ ὑποδέσει· καὶ ταύτῃ μὲν ἐνίοτε καὶ ὑψηλῇ, &c. Ex inſolentia verò illa togæ & pedum tegminis anſa obtrectatoribus Cæſaris, vt notatum à Dione. Hanc declinans Auguſtus, *togis vſus neque reſtrictis, neque fuſis*. Sueton. Auguſti c. lxxiij.

Sed quomodo in tegmine pedum altiore & rubro anſa fuit obtrectationi, cum Acro in Horat. Sat. vj. lib. j. notet, omnium Senatorum altiores fuiſſe calceos? Ego illud inſolens in tegmine pedum Cæſaris notatum opinor quod non calceatus Italicè, ſed ſoleatus Græcanicè vt Albani reges, vt & ante Romulus πεδίλοις ἐκέχρητο ἐρυθροῖς. Zonaras annali ij. & poſtmodo imperatores veteris nouæque Romę. Quibus & peculiare ἐπίσημον hoc imperij. Magiſtratibus Romanis calcei lunati: Cæſari & Romulo ſoleæ rubræ & regiæ. Inſolens hoc in magi-

ſtratu

ſtratu Romano. Hinc Ciceronianum illud in Verrem. *Stetit ſoleatus Prætor* P. R. Et apud A. Gellium c. xx. lib. xiij. T. Caſtritij Rhetoris declamatio *in ſoleatos P. R. ſenatores.* Sic ergo & Feſtus accipiendus loco antedicto vbi regibus Albanis mulleos calceos fuiſſe ait, calceos nempe Græcanicos ſiue ſoleas. Sed poſtmodo Imperator. calcei quoque albi. Dixi ad C. Sueton. Domit. c. xij.

Dixi his qui magiſtratum curulem cepiſſent calceos puniceos & lunatos fuiſſe, ceteris patriciis lunatos & nigros. Sed apud Feſtum in *Mulleos*, M. Cato. His *qui magiſtratum curulem cepiſſent calceos mulleos lunatos tribuit, ceteris perones.* Nempe diſcrimen hoc lunati calcei rubri & nigri poſterius ſæculo Catonis. Etſi neque Philoſtratus tangit hoc diſcrimen in Herode Attico, vbi malè ſcriptum ἐν ὑπάτοις pro ἐν ὑπατικοῖς. Et Βρεφ́δείας pro Βαρβέας.

Triplex itaque genus hoc, ſolea fulmentata punicea Imperatoria, calceus puniceus lunatus magiſtratuum, calceus lunatus niger ceterorum patriciorum, vtrumque genus item fulmentatum. Eaque & calceis Auguſti altiuſculis ratio eſſe potuit, non tantum illa quam Suetonius notat cap. lxxiij. vt procerior videretur, quæ tamen & Indis quoque viſio apud Arrianum Indicis, & Perſis apud Xenophontem iix. Pædiæ.

NE TREPIDARE VELIS.

Dubitare, cunctari vt ante, *trepidas mentes*, vbi ea res acta eſt.

ATQ. ARCTOS RODERE CASSES.

Scio quid Pſeudocornutus hic: ſed Perſio nunc *rodere* eſt abrodere. Sic amoris plagæ. Lucretij lib. iv. Dicæogenes apud Stobæum Serm. cxxcv. ὅταν δ' ἔρωτος ἐνδυθῶμεν ἄρκυσι, *cum caſſibus amoris impliciti fuerimus.* Sic *rete adulteræ*, M. Senecæ Controuerſ. vij. lib. ij.

NVNC FERVS.

Pergit Satyricus. Nunc tu ferocculus es, &c. Diſtingue. *Caſſes. Nunc ferus*———

QVIDNAM IGITVR FACIAM?

Ex Eunucho Terentij Act. j. Sc. j. ex quo & ante Horat. Sat. iij. lib. ij. Terent. autem illo Menandri, εἶτα τί ποιήσω;

CVM ACCERSOR.

Meliùs, *cum accerſar.*

SI TOTVS ET INTEGER ILLINC EXIERIS.

Jllinc, è caſſibus illis, ab amica, à Chryſide, quæ diceret vt illa Plauti Aſinariæ Sc. iii.

Fixus hic apud nos eſt animus tuus clauo Cupidinis.

NVNC NVNC.

Lego. *tunc tunc.* Tunc demum eris liber ſi amoris aliarúmque cupiditatum vinculis liberatus & ſolutus.

HIC HIC.

Qui ſic liber & ſolutus, is verè liber & ſapiens.

FESTVCA.

Vindicta Prætoris, vt Plauti Milite Sc. Volupe. Plutarcho χάρφος in Valerio, & lib. de ſera numinis vindicta.

LICTOR QVAM IACTAT.

Dilogia. *Quam iactat*, de qua gloriatur, vt Martial. epigr. xcix. lib. xi. *Superba clamoſi lictoris virga*. Aut *iactat*, mouet, turbam ſc. ſummouens, vnde & nomen, *commotaculi*.

IVS SVI.

Τὸ αὐτεξούσιον, αὐτεξουσιότητα. Sic ius ſui l. j. §. vlt. De lib. agnoſc. l. ix. §. Filium De lib. & poſt. D. Ius autem ſui habens verbo vno, *ſum*. vt §. ii. Inſtit. Ad Sc. Tertyll. Plauti Perſæ Sc. xiv. Tullij iii. de Rep. apud Marcell. in *Famulatur*.

PALPO QVEM DVCIT.

Ducit, vt cæcum. Gloſſæ Iſidori. *Palpones, qui ducunt cæcos*.

CRETATA AMBITIO.

Candidatum, ſiue in toga cretata, ſiue candida. Candidæ togæ duratæ creta ſaxo. Iſidor. c. xxiv. lib. xiv. *Toga*, inquit, *candida addita creta quo candidior inſigniórque eſſet*. T. Liuius lib. iv. *Album in veſtimentum addere*. Tangit & Theophraſtus lib. de lapidibus. Et in notis c. περὶ μικρολογίας.

Cretabat ſiue durabat togas fullo creta ſaxo. plin. c. xvii. lib. xxxv. Durabat, nempe vt rigida eſſet, & tabularum ſiue ſtrigarum & philyrarum ſiue tiliarum capax, quàm Tertyllianus lib. de Pallio. *tabulatam contignationem*, & *tabulatam congregationem* vocat, Macrobius ſtructuram Saturn. c. xiii. lib. iii.

De tabulis illis ſiue ſtrigis & tiliis togæ, Tertyll. c. vlt. de Pallio vbi pallium oſtendit vacare his tabulis. *Adeo*, inquit, *nec artifice neceſſe eſt, qui pridie rugas ab exordio formet, & inde deducat in tilias, totúmque contracti vmbonis figmentum cuſtodibus forcipibus adſignet*, &c. Lege, *porpicibus*, πόρπηξι, fibulis.

Sic durata & cretata cum toga, tum & plicata premebatur, vt tabulata fieret, & ſplendeſceret, L. Seneca c. j. lib. j. de tranquill. *Non ex arcula prolata veſtis, non ponderibus aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa*.

Duratio autem illa & cretatio munus artis fullonicæ. Plaut. Aſin. Sc. penult. Neque diſſimile cretandi artificium Dioſcorid. c. clii. lib. v. Sæpe itaque in iure ciuili fullones polire & durare dicti, vt l. xii. §. j. De furt. l. xxxi. Locati. D. Et Inſtitutis §. Qua de cauſa. De locat. §. vlt. De mand. §. Item ſi fullo. De oblig. ex del. Omnibus illis legibus male perſcriptum curare pro durare, inſcitia interpretum neſcientium quid *durare* Neque rectè Theophilus *durare* interpretatus πλυνέειν vt d. §. vlt. d. §. Item ſi fullo.

VIGILA.

De nocte ad lumina deſcende in campum, vt Plutarchi Catone. vbi de Domitio, & Tullij pro Murena. Quanquam & generatim acceperis, *Vigila*, Inuigila his ſtudiis quibus itur ad honores, vt Iuuenal. Sat. xiv. *Scribe puer, vigila*, &c. Sic etiam Perſius nunc διαλύτως, *Vigila, cicer ingere*, &c. Male vulgo. *Vigila & cicer*, &c.

CICER INGERE.

Sparge miſſilia ludis tuis in ædilatu. Hæc ſcilicet via deinde ad præturam & conſulatum. Tullius pro Murena. *Cicer*, verò intellige *frictum*, de quo dixi ad Horat. artem Poeticam.

RIXANTI POPVLO.

Dixi ad expreſſionem Kalendarum Libanij.

NOSTRA VT FLORALIA.

Ædiles ludis Floralibus ſpargere ſoliti cicer, fabas, lupinos & aliuſmodi fruges, Horat. Sat. iii. lib. ii.

In cicere atque faba bona tu perdáſque lupinis.

Vbi Porphyrio & Acro, & gloſſæ veteres ad hunc locum Perſij. Sic & nuces Cerialibus in circo, Feſtus. Ac retentæ quidem hæ talium rerum ſparſiones dicis cauſa tanquam veſtigium vetuſtatis paupertinæ, etiam creſcente luxu: ſed alij inſuper miſſus additi magno ſumtu. Tangit hoc diſcrimen eleganti narratione Plutarchus in Catone.

Floralium ludorum curatio ædilicia. Valerius c. x. lib. ij. Dio legat. xxciij. vbi lege. ϰ̀ μετὰ τοῦτου. Porphyrio ad Sat. iij. lib. ij. Procurabant ludos noui ædiles impenſis ſuis, Tullius ij. de Offic. & pro Murena. Itaque & præſidebant ludis. & hiſtrionum eis coërcitio permiſſa olim etiam extra ſcænam, Auguſti edicto in ſcæna tantùm. Sueton. Auguſti. c. xl. *Præterquam*, inquit, *ludos & ſcænam*. *Præterquam* ibi eſt præter, neque opus corrigere.

Curauêre & Prætores Floralia ſubinde ſed extra ordinem, vt Suetonij Galba c. vj.

APRICI SENES.

Seru. ad Æneid. ij. & v.

AT CVM.

Dixit de ambitione, ſequitur ſuperſtitio.

HERODIS DIES.

Gloſſæ, *dies natales Herodis*, ſed pleniùs quoq. & communiùs dixeris, ſabbatha. L. Seneca epiſt. xcv. *Sabbathis lucernam accendere*.

Plurima vero hic otioſè aliqui de ritibus eorum qui propriè dicti *Herodiani*. Satyricus enim ridet generatim eos qui ritib. Iudaicis impliciti Romanos. quocirca etiam ſequitur mox—*recutitaq. Sabbatha palles*. Ergo etiam illi Herodianorum hiſtorici deinde coacti deſcendere ad non neceſſariam partitionem, de ritib. Herodianorum propriis, & de communib. Iudæorum, & monere illud *Labra moues*, &c. *ſeparandum eſſe à prioribus*, quod non eſſe tota Perſij ſeries clamat, & vel frutex intellexerit.

VNCTAQVE FENESTRA DISPOSITÆ LVCERNÆ.

Ritus hic Iudæis ſabbatho, Quiritibus idem feſtis diebus. Iuuenal. Sat. xij.

———longos erexit ianua ramos
Et matutinis operitur feſta lucernis.

Peccat ibi Seruius legens, *operatur*. Sic Tertyllian. Apologet. c. xxxv. *Clariſſimis lucernis veſtibula enubilare*. Et *ianuam lucernatam* lib. ij. ad vxorem, & *prolucere* lib. de Idololatr. Et libri eiuſd. c. xv. lucernæ pro foribus, & laurus in poſtib. ἅπτειν λύχνους. Epictet. Arriani c. xvii. lib. ij. c. xix. lib. j. λυχνοκαυτεῖν Dio Nerone.

PORTANTES VIOLAS.

Coronatæ violis ritu Iudaico.

RVBRVM CATINVM.

Vt *rubra parapſis*, Martial. epigr. xxiix. lib. xi. *patella rubra*, epigr. cxiv. lib. vlt. *ruber vrceus*, epigr. cvi. lib. eiuſd.

AMPLEXA.

Exprimit magnitudinem, vt de rhombo. Martial. epigr. xxci. lib. penult.

Quamuis lata gerat patella rhombum
Rhombus latior eſt tamen patella.

Thynni cauda inuenta latitudinis duorum cubitorum & palmi. Plin. c. xv. lib. ix.

CAVDA THYNNI.

Thynnos in templis epulati feſto die, vetus gloſſa. Magis ad Perſij mentem, ſabbatho, & in proſeuchis.

RECVTITAQ. SABBATHA PALLES.

Sabbatharius es, vnus de his quales Lucianus lib. de ſcribenda hiſtoria vocat τοὺς ὠχροὺς καὶ λεπτοὺς ἑβδομαίους τραγῳδούς. *Pallidos & graciles tragœdos ſeptimanos*. Iudæi *Sabbatharij*, Martial. epigr. iv. li. iv. Sed Perſius nunc, item Iuuenal. C. Tacitus, Tranquillus, alij impij, etiam Chriſtianos ſub eadem ſuperſtitionis cauſa obruunt, & Chriſtiani eis nomine Iudæorum veniunt, quæque in Iudæos & Herodianos, eadem & in Chriſtianos iaciunt. Itaque Chriſtiana ſanctitas eſt Iudaica ſuperſtitio l. iii. §. vlt. D. De decur. vt rectè Alciatus, & fruſtra ſunt qui opponunt l. xxi. C. De hæret. Aperte Sueton. Claudij c. xxv. *Iudæos impulſore Chreſto adſiduè tumultuantes, Roma expulit*. Aliqui tamen & ſeparauere nominibus, ſed pari vtroſque impietatis gradu poſuêre, vt Galenus principio lib. iii. περὶ διαφ. σφυγμῶν. Τοὺς ἀπὸ Μωυσοῦ καὶ Χρηστοῦ. *Illos qui à Moyſe & Chreſto*, id eſt, Iudæos & Chriſtianos. Tangit & principio lib. ij. Chreſtum, & Chreſtianos illos nominat, vt item Suetonius, & alij profani. Sed alius hoc dicendi campus.

Sed in hanc notationem meam, ὑπεραχοντιστής pugnauit pugnam illam *Tentethronicam*, claram, commemorabilem, qua vſq. eò inuectus

eſt acriter, vt ne amico quidem ſuo parceret, quaſi illud veteris Poetæ ſibi proponens, *Pereant amici, dum inimici vna intercidant*, videlicet ἑβδομαίους τραγῳδοὺς *tragœdos ſabbatarios* dixit aliquis, Prô facinus. *O cælũ, ô terra, ô maria Neptuni*. Interroget hunc aliquis. *Dic mihi, iſtuc negocij quid eſt, quod tumultues?* Quia inquiet, Luciano ibi ἑβδομαῖοι *ſeptimani*, non autem ſabbatharij ſunt. Ita? Sed non peruidit Critica tua dilogiam Luciani, ἑβδομαῖοι vel quia ſeptem dierum illi tragœdi, vel quia vſq. eo pallidi & graciles, vt ſi ſeptem illos dies omnes tanquam ſabbatha ſiue ſeptimos dies ieiunauiſſent Iudaicè. Argutum hoc inquies. Sanè, ſed qui *nucleum eſſe vult frangit nucem*. Ego tamen vt te placarem, pro ſabbatharijs, contra Genium meum & Luciani quoque reſcripſi *ſeptimanos*. Perridiculum autem quod ſcribis *ab eruditiſſimo viro & Græcæ linguæ peritiſſimo*, (ſic enim a te indigeratur, & talem eſſe facilè patior ego) accepiſſe me Luciani verba illa. Ergo mihi Lucianus aliquis non eſt, aut lectus non eſt? Immo enim & relectus, & locis tam multis, vt gloriæ ſuſpicionem reuerens, dicere non auſim, correctus. Ille quidem quiqui eſt, amicus tuus, dicere poteſt cauſam tibi non fuiſſe, cur ἀπροσεξίας ei obiectares. Cetera conuicia quib. in me velitaris prætereo, ſed ſcias velim, me deinceps Palikanum tibi non futurum.

Mirum autem qualib. oculis vſus. cum Horatij locum ex epiſt. xvi. ſic legeres. *Labra mouet cupiens audiri.*

TVNC NIGRI LEMVRES.

Meliùs, *Nunc nigri Lemures*. Hoc enim vult, Superſtitioſus es & quidem pluritariam. Aliâs ſabbatarius, aliâs deinde laruatus, mox Gallis, aut Iſiacis obnoxius.

Nigri Lemures, laruæ nocturnæ. Horat. epiſt. poſteriore lib. ii. *Nocturnos Lemures*. Cariſius lib. i. & Gloſſæ Philox. *Lemures*, νυκτερινοὶ δαίμονες. Marcell. *Lemures laruæ nocturnæ*. Νυκτερινοὶ φόβοι Athenæus lib. iv. *Nocturni metus* Ciceroni pro Cælio. L. Ouid. v. Faſtor.

OVOQVE PERICVLA RVPTO.

Explicant gloſſæ veteres. Iuuenal. Sat. vi.——*Niſi ſe centum luſtrauerit ouis*. Alia & ſuperſtitio in calicibus ouorum, de qua Plinius c. ii. lib. xxiix. Orphei quidẽ etiam liber ᾠοσκοπία. Suidas. Hermagoræ quoq. ᾠοσκοπία apud eundem.

TVNC GRANDES GALLI.

Meliùs. *Nunc*. Aliâs Berecynthios furores times. *Grandes Galli*, pingues ſacrificijs, inquit Pſeudocornutus. Sed veriùs, grandes quia cothurnati. Sic Apuleij lib. iix. Galli, *pedes luteis induti ſoccis*. Iuuenal. Sat. vi. ———*& ingens ſemiuir*.

LVSCA SACERDOS.

Quæ quod Iſis irata eam cæcitate percuſſiſſet, ſacerdotula Iſidis facta eſt, & hoc ita ſibi eueniſſe teſtificans. Ouid. eleg. i. lib. i. Ponti.

Vidi ego linigeræ numen violaſſe fatentem
Iſidis, Iſiacos ante ſedere focos.

Alter ob huic ſimilem priuatus lumine culpam,
Clamabat media ſe meruiſſe via,

Hinc ergo metus huic Damæ orbitatis huius ab Iſide. Iuuenal. de Iſide lib. xiij.

———et irato feriat mea lumina ſiſtro.

Apuleius lib. iix. *At te omnipotens et omniparens Dea Syria cæcum reddat.* Sic & epigr. Lucillij.

———μὴ κατὰ ἐρίσῃ
Τὴν Ἶσιν τούτῳ. &c. Eiuſdem modi autem Oſiridis quoque numen, vt dixi ad Horat. Epiſt. xvij. Peccant verò qui *ſacerdotem luſcam* non corpore ſed animo accepêre. Neque facit eis Iuuenalis locus quem proferunt.

INCVSSERE DEOS.

Incuſſere metum Deorum inflantium corpora.

INFLANTES CORPORA.

Dij corpora inflantes Cybele & Iſis. Illa furore inflans, hæc morbis. Itaque indiſtinctè Pſeudocornutus, Deos inflantes corpora, accipit *metum adferentes.* Quibus autem Iſis inflet corpora & mutilet morbis, patet Iuuenal. Sat. xiij.

—Et phtiſis & vomicæ putres, et dimidium crus.

Et mox, *———locupletem optare podagram.*

Martial. epigr. cxxiij. lib. j.

Iuro per Syrios tibi tumores.

Plutarch. lib. de Superſtitione. Syriam Deam, vt quidem ſuperſtitioſi perſuaſi, ἕλκεσι τὸ σῶμα πιμπλάναι. *Vlceribus opplere corpora.*

CAPVT ALLI.

Quia id amuletum cantionibus magicis. Sic gloſſæ veteres. Forte an & inde ſuperſtitio illa, quod allium aduerſus inflationes efficax. Plinius c. vj. lib. xx.

INTER VARICOSOS CENTVRIONES.

Varicoſos labore militiæ, vt Sat. iii. hircoſos antiquitate. Et nobilitatem accipe, non vt Pſeudocornutus milites. Populariter milites nobiles. Sed notæ iam illæ ineptiæ. Pro ſententia mea ſtat Horatius Sat. vj. lib. j. cum ait, *Quò pueri magnis è centurionib. orti.* Fruſtra ſunt, qui *varicoſos* dici putant à vitio animi. Nam prius eſt, intelligi *varicoſos* corpore, vt etiam *hircoſos* Sat. iij. Per conſequentiam autem referri poteſt quoq. ad animum.

VVLPENIVS INGENS.

Fruſtra illi qui *Vulpenium* ſiue *Vulpenaium* accepêre militem aliquem κερδαλεόφρονα ſiue vulpionem. Repugnat Perſius, cum ait, *craſſum ridet,* & cum *ingentem* vocat. Nec verò *miles* ille gregarius aliquis, ſed centurio.

GRÆCOS.

Vt Sat. j. *In crepidas Graiorum.*

CVRTO CENTVSSE.

Priſcian. lib. de ponderibus legit. *Vno centuſſe.* Sed *curto* melius in ſatyra. Sic Lucilius ——— *Fannij centuſſi' miſellus.*
A. Gell. c. xxiv. *Curtus centuſſis , miſellus centuſſis*, paruum æs.

SATYRA VI.

PRIMA Perſij Satyra in poëtas malos, vt Neronem. II. in vota hominum improba. III. in adoleſcentes voluptarios ſimul & ſaperdas ſiue δοκησισόφοις. IV. in magiſtratus præcoquos. V. de vera ſiue Stoica libertate. Hæc poſtrema in auaros & profuſos.

BASSE.

Hic C. Cæſius Baſſus poëta, de quo veteres gloſſæ ſiue Cornuti ſiue Probi alicuius illæ, in hanc Satyram, & in vita Perſij, & Fabius c. j. lib. x. Verius autem hic A. Cæſius Baſſus, vnde natus error ille ἐπιγραφῆς. *Ars Cæſij Baſſi de metris*, pro *A Cæſij Baſſi*, &c. De exitu Baſſi huius gloſſæ in Perſium veteres, quæ ex bibliotheca V. C. Petri Pithœi.

FOCO SABINO.

Alius enim prædiis actæ hiemes, aliis æſtates, vt plutarchi Luculo, Horatij epiſt. vij. & xv. Sueton. Auguſto c. lxxii. aliis. Bene in hunc Perſij locum Gloſſæ, quas ante laudaui.

IAMNE LYRA.

Lyricus enim vates hic Baſſus. Ex lyricorum eius lib. ij. verſum illum Priſcianus laudat lib. x.

Calliope princeps ſapienti pſallerat ore,

TETRICO PECTINE.

Stoïco.

VETERVM PRIMORDIA VOCVM.

Scripſit Cæſius Baſſus libros de origine vocabulorum. A. Gellius c. xix. lib. iii. c. vii. lib. v. c. xvii. lib. xj. Sed hos à Perſio libros non laudari hoc verſu, liquidares. Nam de his primordiis vocum, Baſſi poëmata : de originibus autem vocabulorum libri eius proſa oratione.

Meo quidem animo triplicem lyrici carminis materiam à Cæſio tractatam Perſius notat, vnam veterem μυθιστορίαν, vt θεογονίας, & alias de diis fabellas, alteram *iuueniles iocos*, amatoria, iij. *egregios ſenes*, heroum laudes. L. Fabius c. j. lib. x.

FIDIS LATINÆ.

Cariſius lib. i.

MIHI NVNC LIGVS ORA.

Baſſum hic mare in Sabinis, ſe in Liguria, portu Lunæ.

QVA LATVS INGENS DANT SCOPVLI.

Montes quibus Lunæ portus incingitur. De his Strabo lib. v. Eleganter & Silius lib. iix.

LVNAÏ PORTVM.

Ex Q. Ennij annali prima. Verboſè hoc ille qui in membranis Cornutus ſiue Probus.

POSTQVAM DESTERTVIT ESSE.

Sic laudatus hic locus Probi catholicis. Priſciani c. i. lib. ix. Cariſij lib. i. Aliena eſt à Perſii mente lectio quæ profertur ex membranis Cariſij.

——Pauus quum deſtitit eſſe
Mæonides, Quinctus pauone ex Pythagoreo.

Perſij mens eſt. Poſtquam deſiit ſtertere Q. Ennius ſiue ſomniare, poſtquam expoſuit ſomnium ſuum. Prima nempe annali narrauerat ſomnium illud ſuum principio ipſo Q. Ennius, ſecuta deinde portus Lunæ deſcriptio, ex qua verſus ille nunc Perſio. *Lunai portum.* &c. Aliter, ſed minus commodè in aduerſ. c. vii. lib. xxx.

MÆONIDES QVINCTVS.

Dilogia. *Quinctus*, aut Quinctus Ennius, aut quinctus ſerie παλιγγενέσιας. Quinque gradus illi παλιγγενεσίας, *Pythagoras, pauus, Euphorbus, Homerus, Q. Ennius.* Sic gloſſæ veteres. Tertyllian. autem lib. de reſurrectione carnis, *Euphorbus, Pythagoras, Homerus, pauus, Ennius.* Lactantius ad iii. Thebaïdem *Euphorbus, Pythagoras, pauus, Homerus, Ennius.* Anilibus anachroniſmis, Pythagoram priorem Euphorbo & Homero fecêre, aut inter Homerum & Euphorbum, Pythagoram poſuêre. Minus delirè de Pythagoricæ palingeneſiæ gradibus interpres Apollonij ad j. Argonaut. Interpres Sophoclis in Electram. Etiam Laërt. in Pythagora. Tertyllian. c. xiv. lib. de anima D. Hieronym. apolog. iii. in Ruffin.

HIC EGO.

Ingreditur ſatyram, & deſtringere auaros.

ETSI ADEO OMNES.

Diſtingue. *noſtro quia pinguior. Etſi adeo omnes*, &c.

SIGNVM LAGOENÆ.

Vt Tullij epiſt. xxvi. lib. xvi. ad famil.

NASO TETIGISSE.

Bene hic gloſſæ veteres.

DISCREPET HIS ALIVS.

Hæc mihi mens, aliis forte alia. Nam etiam geminis germanis mores ſæpe pugnantes.

HOROSCOPE.

Aſtrum natale, ſidus horoſcopum. Dixi ad Sat.v. Aliter accipiunt gloſſæ veteres, ſed minus oportunè.

VARO, GENIO.

De varo ſiue diſcrepante ſæpe geminorum fratrum horoſcopo Nigidius Figulus apud A. Gellium c.j. lib. xiv. Quinctil.in Geminis languent. D. Auguſt. de ciuit. Dei c.iv. & ſeq. lib.v. Euſtath. ad Iliad. xiix.

SOLIS NATALIBVS EST QVI.

Geminorum hæc diſcrepantia. Hic triparcus, ille prodigus. Imitatus autem Horatium eſt epiſt. poſteriore lib.ij.

MVRIA.

Gloſſæ *Muria*, ἅλμη. Plinio eſt ſalſugo c. iix. lib.xxxj. Muria dura, de qua Iun. Columel. c.vii. lib.xii. Celſus, Scribonius, alij.

SACRVM PIPER.

Sacrum, cui dominus tanquam ſacro parcit. Gloſſæ veteres. Sed forte an *ſacrum* quia mordax & acre, vt *ſinapis ſcelerata*, Plauti Pſeud. Sc. x Rectè ibi Seruius ad Æneid. xi. legit, *ſinapis ſcelera. Scelera*, eſt *ſcelerata*. Pro Seruio ſtat lex carminis.

HIC BONA.

Alter geminorum.

VTAR EGO.

Gemini illi in extremis, auaritia & profuſione: ego medium ferire volo, & tu quiqui es velle debes. Nempe liberaliter viuere, abeſſe à tenacia & luxu.

RHOMBOS LIBERTIS PONERE LAVTVS.

Sic plebeij libri omnes, ſed Perſij quidem manus certiſſima

———*rhombos libertis ponere lautis.*

Vtar, inquit, ego quæſitis, neque tamen ſollers ſiue peritus fuero ſiue eſſe voluero, ponere ſiue ponendi lautis libertis, ſiue libertis meis qui lautiores, vltra quam par eſt cœnas opiparas, & obſonia, & rhombos: aut ſollers eſſe turdorum ſaliuam tenuem noſcendi. Sic liberti *lautiores*, & *minus lauti*, Ciceroni epiſt. vlt. lib. xiii. ad Atticum. In magno comitatu amici, liberti, ſerui, & in his ipſis, alij alijs lautiores. Peccat profuſione ſua, & ſumtu nimio, qui turbat hoc diſcrimen, & rhombos libertis adponit vt amicis. Sed vulgatæ lectioni propugnat aliquis & dici rectè *ponere lautum* ait Atticè, vt *ſollertem noſſe*. Hui, horribile *ſecretum*, *quod millies mille vix homines nouerunt*. At mihi non de verborum formula, ſed Perſij ſenſu quæſtio eſt.

TVRDORVM.

Turdarum legunt gloſſæ. At Varro Terent. iix. de ling. Latina negat, *turdam* dici aut *cornam*. Et gloſſæ Philox. κίχλα, *hic Turdus*. Iſidorus tamen c. vii. lib. xii. *tordelam* dixit.

TENVEM SALIVAM.

Explicant gloſſæ. Talis autem oſtreorum & echinorum ſaliua, & *vſu edendi*, Iuuenali Sat. iv.

MESSE TENVS PROPRIA VIVE.

Meſſe horna vtere, neque ſepone & conde in annum, aut annos ſequentes. Itaque ſubiungit, *granaria emole.* Ne rectè aliorſum Perſius acceptus in Prouerbiis.

AT VOCAT OFFICIVM.

Gloſſæ, *Aſt vocat.* Neque hoc neque illud Perſius agnoſcit. Facile oſtendo. Dixit Perſius diuiti. Noli cumulare meſſes, noli auarus eſſe. At, inquit diues, maior mihi meſſis quam opus. Ita? inquit Perſius, tibi non opus, hoc ſatis? An nemo eſt, cui elargiare? Ecce officium aduocat te, ſiue ad amici naufragi opem vocat, largire amico inopi. Sic *meſſe tenus propria viues,* neque cumulabis in annos ſequentes.

BRVTIA SAXA.

Pompon. Mela c. iv. lib. ij.

SVRDAQ. VOTA.

Non exaudita, vt *omina ſurda,* Propert. eleg. iij. lib. iv. *ictus ſurdi,* Plinio c. j. lib. xix. Sic infra. *ſeu ſpirent cinnama ſurdum.* hoc eſt, ita vt non percipiatur ex eis odor.

INGENTES DE PVPPE DEI.

In aliis. *Ingentes à puppe Dei.* Di à puppe, ſiue Di puppis, tutelæ nauis, ſiue Di nauis tutelares. Nam hos pingere ſoliti ad puppim. Itaque Lactant. in Thebaidem iix. *Pictos nauium præſules* vocat.

Notiſſimus hic ritus, & adponere exempla, in ſole lucernam adhibere fuerit. Patent actib. apoſtolor. c. xxiix. Platonis Phædone, Lycophronis Alexandra, Q. Smyrnæi lib. xiv. Virgilij Æneid. x. Horatij Oda xiv. lib. j. Ouidij eleg. iij. & ix. lib. j. Triſtium & epiſt. Phyllidis. Valerij Argonaut. lib. j. & iix. Luciani Nauigio, Dectione in Lycophronem. Euſtath. ad Iliad. ix. Hinc & quæuis puppium inſignia & imagines, tutelas dixere, vt in gloſſis. *Tutela,* παράσημον τοῦ πλοίου. Gloſſæ veteres in Iuuenal. Satyra iv. *Paraſia* lege *Paraſema,* & accipe vt hæc *ſchema.* Feſtus in *Europam.* *Nauem cuius tutela effigiem tauri habuerit.* Iſidor. c. xj. lib. iix. *Fuit in naui cuius inſigne erat taurus.* Fulgent. Mytholog. lib. j. *Iupiter Europam in tauro rapuiſſe fertur, id eſt, in naue tauri picturam habente, & Iſidem in vacca ſimiliter, in naui huiuſcemodi pictura.*

NVNC ET DE CAESPITE VIVO.

Occaſio tibi hæc non emolendi ſolum granaria, ſed & largiendi aliquid de viuo cæſpite ſiue prædiis tuis.

Cæſpes viuus comparatione meſſis iam aridæ & quaſi emortuæ.

NE PICTVS OBERRET CÆRVLEA IN TABVLA.

De hoc ritu ad Sat. j.

SED HERES NEGLIGET.

Reſpondet auarus Perſio. Sane volo elargiri, ſed heredem vereor, ne ſi accisa hereditas ei venerit, parcus in funere meo ſit, ne funere plebeio efferar, non indictiuo aut publico.

Coenam funeris.

Multæ in funerib. cœnæ. Prima illa quæ in rogum imponebatur, vt Iliade xxiij. Æneide vj. Catulli epigrammate lv. Ouidij ij. Faſtor. vbi munera illa. Solita enim mitti ab amicis, vt in funere L. Sullæ, Appiani lib. j. Eaque cœna feralis Apuleij Florida iv. Altera funebris cœna περίδειπνον & circumpotatio, epulum nempe quod præbitum his qui reuerſi ab exſequiis, vt Iliade xxiv. in funere Hectoris, Luciani lib. de luctu. Tull. iij. de Legib. Tertia, Silicernium ſiue cœna depoſita ad ſepulcrum, ἐσχάτης δεῖπνον, νεκρόδειπνον. Hæc feralis cœna Iuuenali Sat. v. Quarta epulum nouendiale. Tangitur Plauti Aulul. Sc. vj. Pſeudulo Sc. x. Et C. Taciti annali vj. De his omnibus cœnis Perſius accipi poteſt, gloſſæ veteres de prima tantum accepêre.

In his vero cœnis omnibus cibi funebres, & ſupellex atra. Elegans narratio Dionis eſt in Domitiano.

Ossa inodora.

Aut inhonora, inquiunt gloſſæ veteres, ſed minus hoc ad mentem Perſij, & refellitur mentione cinnami & caſiæ quæ ſequitur.

Tangit autem Perſius ritum cineres & oſſa ſiue reliquias odoribus miſcendi. De hoc ritu Tibullus eleg. ij. lib. iii. Ouidius Triſtium eleg. iii. lib. iii. Plin. c. xij. lib. xxxv. Iuuenal. Sat. vii.

Sev spirent cinnama svrdvm.

Surdum ſpirantia, odore vaneſcente, vt φάρμακα παλαιὰ διαπνεύσαντα. Dionis Pruſæi orat. de exſilio. Sic ante, *ſurda vota*. Et Plinio, *ſurdus ictus*. Cinnamum ſuo ſibi ingenio, eſt τῇ ὀσμῇ πληκτικόν. Quaſi odore verberans ſiue iciens. Dioſcorides c. xiii. lib. j. Tangit & Galenus lib. j. de antidotis. Surdum itaque ſpirant cinnama quæ ſine illo ictu odoris, nempe euanida, aut pſeudocinnama.

Sev ceraso.

Explicant gloſſæ veteres.

Tvnc bona incolvmis minvas.

Hæc cum ita ſint, amens, inquit auarus ille, ſim, ſi talibus officiis bona minuam. Paullo ſeciùs gloſſæ. Delirat, qui ait hæc *cuiuſdam heredipeta verba* eſſe.

Bestivs vrget.

Membranæ. *Et Beſtius vrget*. Perſium ſi roges, ſcripſi inquiet.

———*en Beſtius vrget*. *En*, ſiue Adſpice, inſuper etiam Beſtius ille rancidus, mucidus, ſordidus homo, philoſophos inſectatur qui munificentiam & officia in amicos laudant. Beſtius hic auarus ex Horatij epiſt. xv. vbi Beſtius eſt in membranis, qui vulgo Menius. Dixi ad Satyram illam Horatij. Quæſiuit hoc Beſtij nomen Perſius, vt conueniens in hominem bellutum, & qui declamet aduerſus philoſophos, declamationem dignam beſtia. Apage autem ad παραβλῶπας qui *confidentiam* huiuſce correctionis meæ *ſtupendam* eſſe aiunt.

Atqui non *ſtupenda* hic *confidentia* aliqua mea, ſed *ſtupida* illorum Critica eſt. Etenim auarus ille, Beſtium ſibi teſtem facit; & vt ſcias, inquit, bonum factum eſſe, *non minuere bona*, Beſtius Græcos philoſophos vexat & peruellit qui voluptatum & profuſionis magiſtri, vt Epicurus, &c.

ITA FIT.

Mimica declamatio Beſtij in doctores Graios. Meliùs ita quàm vt gloſſæ, tribuentes hanc orationem heredi Beſtij.

POSTQVAM.

Poſtquam hi Graij doctores inrepſere in vrbem, deliciæ vna influxere, itaque non vrbani tantum iam ſed & ruſtici deliciantur.

CVM PIPERE ET PALMIS.

Cùm mercibus tranſmarinis Aſiaticis, vt *trans mare* pro in Aſiam Horatij epiſt. xj. Ante piper autem, Romæ pro pipere baccæ lauri. Plin. c. xxix. lib. xv.

NOSTRVM HOC MARIS EXPERS SAPERE.

Aculeus Perſij Stoici in Epicureos. Duplex *cum pipere & palmis, ſapere*, ſiue ſapientia ſiue philoſophia venit Romam. Vna *particeps maris* ſiue ſalſa incorrupta, corruptelisque aduerſaria, nempe *Stoica*: altera *expers maris*, corrupta, & corruptrix, *Epicurea*. Hanc Beſtius nunc perſtrinxit; quaſi magiſtram voluptatum delicatarum, & docentem *feniſecas, vnguine pultes ſuas corrumpere*, ſiue ex *barbaris pultifagis*, tales enim Romani olim, vt Plauti Patruo, concinnauit vnctos helluones. Stoicæ Beſtius non æquè infeſtus, quia deliciis, ſiue *pultibus vnguine craſſo vitiatis*, ſiue vitæ vnctæ aduerſaria illa, eóque ipſo magis faciens ad parſimoniam. Fruſtra illi, qui de vnguentis in hunc locum aliquid conſomniauêre.

Exortus autem quoq. aliquis eſt, qui *expers maris* interpretaretur, aliâs, *non maſculum*, ſiue effeminatum, quaſi Perſius delirans, *marem* dicere voluerit, pro maſcula virtute: aliâs, *ſapere expers maris*, ἔμπειρον ſiue πεπειραμένον θαλάσσης, ſapientiam expertam mare, ſiue *tranſmarinam*. Quid ita? Quia, inquit, in Gloſſis, *expers* eſt, ἄπειρος καὶ ἔμπειρος. Credo. Sed nunc ita ſumi à Perſio,—*credat Iudæus Apella, Non ego*——— Tolleretur enim diſcrimen illud neceſſarium, ſapientiæ *Stoicæ* cui nihil cū *pultib. vnctis*, & ſapientiæ inſanientis, libidinantis, corbitantis *Epicureæ*. Sed, dicet aliquis, Beſtius hic philoſophos omnes ſub eadem cauſa obruere voluit. At hoc iam *nec verum nec veriſimile*, & vt maximè eſſet, maneret tamen illa interpretatio *maris expers* inſulſum, corruptum, & corrumpens. Atq. hoc ampliùs, tolleretur ὀξύμωρον illud ſuum Perſio, *expers maris* & ſalis: & tamen tranſmarinum, ſiue non expers maris. Vtrumque verbo vno *expers maris*. Quæ igitur cauſa interpretibus illis fuit, veniendi cum gloriarum inanium plauſtro, & plenis *inaniarum* atque *aranearum* paginis? Qui ſi

quid arguti ad Perſium habent, de meo liguriuêre, ſi quid blennum ac bliteum, ab ipſis eſt.

Vtraq. ſapientia illa, atq. omnis omnino philoſophia, eſt *tranſmarina doctrina atque aduentitia*, Ciceroni iij. de orat.

Perpendit vero hunc Perſij locum Lactantius Firm. c.xvj. lib. iij. ſed læuorſum accipit, quaſi Perſij hæc tam odioſa in philoſophos declamatio, non Beſtij. Neque recta interpretatio in Gloſſis, aut in Aduerſariis c.vij. lib. xxx.

HÆC CINERE VLTERIOR METVAS.

Hoc iam Perſius. Itane ſtultus ac beſtia tu Beſtie, vt etiam de funere tuo & herede cures, ſiue de his quæ poſt mortem tuam & cineres? ſiue vt heredi tuo rem ſerues & funeri?

AT TV MEVS HERES.

Auertit ſe iam Perſius à Beſtio ad ſuum heredem. Beſtius heredem timet, at tu qui mihi es heres audi, ſiue quiqui es quem heredem fecero.

MISSA EST A CÆSARE.

Caio. Suetonius in Caio c.xliv. Iunge & Dionem lib. liix.

LAVRVS.

Pro literis laureatis, vt Martial. epigr. xxxvij. lib. ix.

Victricem laurum quam venit ante vides. Claudian.

Rumorémq. ſui praeuenit laurea belli. C. Tacitus hiſtoriar. lib. ij. *Lauream geſtæ proſperè rei.* Laureatæ literæ illæ, nempe lauru implicitæ. Patet literarum huiuſmodi vetere pictura, neque ſat propriè veteres in Iuuenal. Sat. iv. gloſſæ, fixam in his tabellis laurum. *Si*, inquiunt, *victoria nunciabantur laurus in epiſtola fiebatur: ſi autem aliquid diuerſi, pinna fiebatur.* Scripſit haud dubie interpres ille, *figebatur*, quemadmodum ijſdem Gloſſis ad Satyr. j. malè ſcriptum, *fiebant*, pro *figebant*. Inuolutas lauro literas diſertim Appian. in Mithridatica. Τὰ γράμματα, inquit, δάφνῃ περιβαλών, ὡς ἔθος ἐστὶν ἐπὶ νίκαις. *Literis lauru implicitis, vt mitti ſolita ob victorias.*

Quibus autem literæ ſemel laureatæ, his & laurus deinde in aliis omnibus epiſtolis. Cæſar belli ciuilis c.xiv. lib. iij.

INSIGNEM OB CLADEM.

Iocus in Caium L. Sueton. c.xliv.

IAM POSTIBVS ARMA.

Notiſſimus ritus ornandi poſtes ſpolijs & tropæis vt in elogio veteris Poetæ de Africano, quaſi ipſo dicente.

Deſine Roma tuos poſtes, Tullij ij. de orat. & iij. de finibus. Tangit hunc ritum & Plaut. Trucul. Sc. iix. Tullius Philipp. ij. Virgil. Æneide vij. Horatius Oda xv. lib. iv. Propert. eleg. vij. lib. iij. Plin. c. ij. lib. xxv. Albinouanus conſolatione Liuiæ. Silius lib. vj.

Et quidem ita frequens hic ritus, vt & falſa, pro veris ſpolia figerent, auram ſcilicet captantes & choragium gloriæ. Vnde M. Catonis

oratio', *de ſpoliis, ne figerentur, niſi quæ de hoſtibus capta eſſent.* Feſtus in *Reſignare.*

IAM LVTEA GAVSAPA.

Gloſſæ, *pilea*. Magis conuenit quod gloſſæ Philox. *Gauſapa βαρβαρικὸν παλλίον.* Barbaricum, accipe Germanicum, Patet carmine Perſij & narratione Geographi lib. v. Sed vſi etiam Romani. Sic Trimalcio Petronianus, *inuolutus coccina gauſapa.* Sic Martial. epigr. xxix. & cxlv. lib. vlt.

INGENTESQ. LOCAT RHENOS.

In triumphorum ferculis effigies fluminum regionis debellatæ. Patet Virgilij Æneide iix. Propert. eleg. j. lib. ii. Ouid. lib. j. Nequitiæ. Ponti eleg. iv. lib. iii. Triſtium. eleg ii. lib. iv. Plinij c. v. lib. v. Malè interpretati aliqui, *Rhenos,* Rhonanos. Dixi quoq. ad Horatij artem Poeticam & Satyr. x. lib. i.

CÆSONIA.

Milonia Cæſonia. Dio lib. lix.

INDVCO.

Male in aliis, *indico*.

ARTOCREASQ. LARGIOR.

Gloſſæ. *Viſceratio* Ἀρτόκρεας. Nam creſcente luxu, cum pane fiſcali diſtributæ quoque carnes. Hæc Panaria Suetonio, Martiali, &c. Non fuiſſe vero panes & carnes ſeiunctim, ſed iunctim aliquid, artitéq. conditum de C. Suetoni verbis Domit. c. iv. & nomine quo Perſius nunc vtitur.

NON AVDEO INQVIS.

Meliùs. *Non adeo inquis.* Negas te adire.

EXOSSATVS AGER IVXTA EST.

Negas te adire quia hereditas mea quaſi exoſſatus ager eſt, ſiue inſtar agri exoſſati, Notus hic vſus articuli, *iuxta*.

Exoſſatus vero eneruatus, exhauſtus largitione. Quod exoſſatum id debile, caducum. Nota vis verbi ex fabulis Plautinis. Pſeudocornutus, deridiculi cauſa videtur adſcripſiſſe gloſſarium illud. *Non te audeo prohibere, quia ager plenus lapidibus longe non eſt, quo me contradicentem obruas.*

AGE.

Reſpondet Perſius. Ne adito ſi ne vis: ego mihi aliquem heredem facile inueniam, vel terræ filium eccillum Manium.

ACCEDO BOVILLAS.

Viâ Appiâ ignotum aliquem repererο mihi.

CLIVVMQ. AD VIRBI.

Qui cliuus, mendicorum ſtatio, Iuuenal. Sat. iv. Martial. epigr. xix. lib. xi. epigr. xxxii. lib. xii. Gloſſæ veteres in Iuuenal. Sat. iv. Vt ſi diceret, inueniam mihi vel mendicum aliquem.

PRÆSTO EST MIHI MANIVS HERES.

Manij nomine vſus quia *multi Manij Ariciæ*. Feſtus in *Manius*.

PROGENIES TERRAE.

Hoc iam heres ille Perſio, Sane inueneris facile Manium aliquem, ſed is Manius tui generis non eſt, ac ne vllius quidem, ſed obſcurus ac terræ filius.

QVAERE EX ME.

Non curo, inquit Perſius, Nam exceptis paucis proauis qui numerari poſſunt nempe ad tritauum, plerique omnes terræ filij ſumus. Vt ſi ex me quæres nomen tritaui, neſcio; ſic iam atauus meus quaſi terræ filius. Terra igitur quaſi tritauia mihi, & Manius ille prope ſiue paucis gradibus abeſt, quin mihi auunculus maior.

TERRÆ EST IAM FILIVS.

Vt Solini c. xv. *Æmathius genuinus terræ.*

RITV GENERIS.

Tanquam ſtemmate, de quo dixi ad Satyram iij.

QVI PRIORES.

Poteſt, inquit, fieri vt iure agnationis mihi ſit heres qui maior natu quam ego, vt Manius ille mihi quaſi auunculus maior. Anne abſurdum ſi heres talis iraſcatur mihi bonis meis fruenti, qui prior ipſe naturæ ordine moriturus eſt?

CVR ME IN DECVRSV LAMPADA POSCIS?

Tanquam in certamine λαμπαδούχῳ, ſiue in λαμπαδηδρομίᾳ. L. interpres Ariſtophanis in Ranas, & Harpocratio in λαμπάδιον. Dio lib. lvi. Themiſt. Euphrades Orat. v.

SVM TIBI MERCVRIVS.

Hermæum ſiue lucrum inſperatum tibi hereditas mea, quali quali ergo contentus eſſe debes.

VT ILLE PINGITVR.

Quaſi cum ſacculo pleno. Nempe τὸ ἄγαλμα αὐτοῦ βαστάζων μάρσυπον. *Statua eius tenens manu marſupium*, Suidas in Ἑρμῆς. Sic in veteri lapillo ſcalpta Mercurij effigies læua caduceum tenens, dextra ſacculum, & in ore ſacculi ſtantem gallinaceum, talaria in pedibus, ad dextrum pedem ſcorpius, ad læuum hircus, & à latere dextro muſca. Emblema exprimens notas omnes mercatoris induſtrij.

AN RENVIS?

An ſi deminuo ego aliquid tu iure dices. *Non adeo*?

DEEST ALIQVID SVMMÆ.

Verbum heredis obmurmurantis.

MINVI MIHI.

Perſius. Non tibi hoc, mihi deeſt.

LEGARAT STADIVS.

Alij *Staius*, alij Tadius. Rectæ ſcripturæ veſtigium eſſe videtur quod veteres gloſſæ habent. *Quid quid mihi quondam à* TEDECIO TACIO

per legatum dimiſſum erat. Scripſiſſe ille quiqui eſt videtur, à Teito Tacio. Titus Tacius dicis cauſa pro aliquo de maioribus.

NEV DICTA REPONE PATERNA.

Neque ſis pater mihi aut patruus parcere iubens. Reponere ſignificanter dictum. Pater aut patruus poſuit hoc mihi, tu reponere vis. Sic *Achillem reponere* Horatius ad Piſones, quia ſcilicet poſitus in carmine iam ab Homero. Sic Iuuenal. Sat. j.

——*Nunquámne reponam?*

FENORIS ACCEDAT MERCES.

Hæc paterna illa dicta, Ne ocioſa tibi pecunia eſto. Ne ſumtus facito.

QVID RELIQVVM EST?

Ἐπιμονὴ heredis, vt ante. *Deeſt aliquid ſummæ.*

RELIQVVM?

Indignatio Perſij.

NVNC NVNC.

Tanto iam maiores ſumtus faciam, quia tibi diſplicet.

VRTICA.

Vrtica in cibo. L. Plinius c. xv. lib. xxj. Apicius cap. xv. lib. iij. Patina vrticæ. Idem c. ij. lib. iv.

SATVR ANSERIS EXSTIS.

Iecore anſeris, Horat. Sat. iix. lib. ij. Plin. c. xxij. lib. x.

PATRICIÆ INMEIAT VVLVÆ.

Vt *Permingere*, Horat. Sat. ij. lib. j. Et *abolla vxor* Cynici, Martial. epigr. liij. lib. iv. Quoniam ſubmeiulus cynicus ille. Itaque abolla tanquam vxor cynico, quippe in qua & cubare ſolitus vt pelle lanata & eadem vti pro pallio. Sic cùm mimus Græcus in Macedonia Oedipum ſaltaret, & de inceſtu cum matre doleret, riſere barbari, & vt de re non magna exclamauêre, ἤμιεν εἰς τὴν μητέρα. *Inminxit matri.* Tertyllian. Apologet. c. ix. Male ibi legunt ἔλλιπε εἰς τὴν λυχνείαν. Neque tetigere ſenſum Tertylliani, aut Macetum.

MIHI TRAMA FIGVRAE SIT RELIQVA.

Ego tam gracilis ſim & tenuis quam trama picturæ. Trama eſt quæ telæ ſiue ſtamini ſubit, vt graphicè Ouidius exprimit principio lib. vj. in fabella Arachnæ, & L. Seneca epiſt. xc. Seruius ad Æneid. iij. *Subtemen, quod intra ſtamen currit, quod Perſius tramam dixit, Mihi trama figuræ; Sit reliqua,* &c. Trama illa ſtamine ipſo tenuior eſt ſiue ſubtilior, vnde & nomen ipſum ſubtilitatis. Subtile tenue tanquam trama ſiue ſubtel quod ſubit ſtamini. Priſcian. lib. iv. Eadem res nempe, *trama, ſubtemen, ſubtel.* Gloſſæ κρόκη. *Trama, Subtegmen.* Et *Subtemen.* κρόκη. Propter tenuitatem itaque benè hoc Q. Ennius filum gracilentum vocauit. *Deducunt habiles radios filo gracilento.* Marcell. in *Gracilentum. Filo gracilento*, trama. Nam hæc radio inſeritur. Ouid. loco antedicto.

Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis,

Quod

Quod digiti expediunt.——— Interpres Homeri κερκίδες συμπήγεασι τὴν κρόκην τῷ στήμονι. Falluntur qui & illud Propert. eleg. iij. lib. iv.

Et Tyria in gladios vellera ſecta ſuos reſcribunt, *in radios.*

Tenue igitur & gracilentum filum tramæ eſt illius quæ telæ ſubit: ſed tenuior etiam trama figuræ, ſiue picturæ. Lineæ nempe illæ primæ, & quæ picturæ tanquam trama telæ ſubeunt. Nihil tali trama fingi poteſt gracilentius. Huic tramæ qui ſimiles, tenuitate ipſa illi tenuiores, eóque dicti monogrammi, *homines*, inquit Marcellus, *macie pertenues ac decolores.* Sic *monogrammis* Tullius *formam pulcherrimam* oppoſuit, iij. de nat. Deor. Hoc itaque vult Perſius, ego monogrammus ſim, tuus ille nepos obeſulus & toroſulus.

Gracilior autem hæc monogrammica gracilitas ſiue *trama figura*, quàm illi Euripidi in Autolyco. τρίβωνες ἐκλείποντες κρόκας. *Palliola ſic detrita, vt nihil præter tramam eis reliquum.* Apud Laërt. in Solone. Athenæum lib. x. vbi non tetigêre Euripidi mentem qui ſic adſcripſere. *Veſtimenta habendo amittunt* κρόκας *& contrahunt ſordes.* Dictum oportuit, Veſtimenta cum deteruntur, ad tramam rediguntur. Neque vt ibi notant, Perſij dictum Euripidio illi contrarium. Sed gracilitas duplex notari debuit. Vna hominis quaſi decotis pallioli redacti ad tramam, altera hominis monogrammi. Illam Euripides pingit, hanc Perſius. Illa inferiore gradu, hæc ſuperiore.

Ast illi.

Heredis mei heredi, ſiue tuo mi heres nepoti. Dilogia in nepotis nomine, nepos vel aſotus & ligurius intelligi poteſt, vel filij filius. Sed priore modo Perſius nunc accipiens, Satyricè nepotem dixit, Tuo illi nepoti, hoc eſt filio nepotino.

Popa venter.

Pinguis, vt popanis paſti ſacerdotes eorúmque miniſtri, inquiunt gloſſæ. σατυρικώτερον hoc Perſij eſt. Nempe *popa venter*, qui ſic fartus placentis ſiue popis, ſiue popanis, & pinguis, vt quaſi totus *popa* ſiue placenta ſit. Gloſſæ Philox. *Popa*, ὁ πλακοῦς, καὶ τὸ πόπανον. Aut totus quaſi popina. Nam *popa* etiam popina. Gloſſæ καπηλεῖον. *Popa, Popina.*

Vende animam lvcro.

Pergit indignari Perſius. Ob heredis huiuſmodi curam Perſi age, *vende animam lucro.* &c. Hæc figuratè, & εἰρωνευόμενος. Directè autem dixiſſet. Tali ſcopo & fini, tam nullâ cauſâ, vendam ego animam lucro, mercator ſim & mango ſiue venalitius, ſiue venalitiarius, & rem multiplicem? Apage.

Ne sit præstantior alter.

Ne quis peritior mangonij.

Cappadocas pingves.

Venales ſaginatos, vt habitiores ſint & vendibiliores. *Cappadocas,*

figuratè pro ſeruos. vt Martial. epigr. lxxvj. lib. x. *nec de Cappadocis equos cataſtis.*

PAVISSE RIGIDA CATASTA.

Cataſta, manſio venalium lignea, ſiue pegma in quo expoſiti venales ſiue mancipia venum data. Pingit hanc Martialis epigr. lx. lib. ix. Tangit quoq. C. Plinius c. xiix. lib. xxxv. Et Gloſſæ in hunc locum veteres.

Alia in ſuppliciis martyrum *cataſta*, quam ab equuleo differre Baronius voluit Martyrologio ſuo xvij. Kal. April. Sed accipi *cataſtam* etiam pro eculeo, teſtis Prudentius in Coronis, Hymno x. *Emitto vocem de cataſta celſior.* id eſt, *de equuleo.* Patet cum ſequitur

——— *Quod retortis pendeo. Extentus vlnis.* ———

Apertum & narratione Vvitikindi Saxonis lib. j. in narratione de ſupplicio martyris Viti. *Poſtremò*, inquit, *tormento quod cataſta dicitur, cum Modeſto & quadam nobili femina Creſcentia figitur, & fractis omnibus membrorum motibus, á Chriſto conſolatur.*

Aliâs in cruciatibus martyrum cataſta igneus lectulus in quo ſtrati & vſti, vt apud Prudent. in coronis Hymno ij. Itaque & Hymno j. dixit *cataſtas igneas.* ἐσχάρας Græci vocant. Vt Hermias Eccleſ. hiſtor. cap. xj. lib. v.

Vtrumque cataſtæ ſignificatum bene Iſidorus tangit in gloſſis. *Cataſta*, inquit, *lectus ferreus, ſcala in qua ligantur puniendi.* *Scalam* dicit equuleum.

Qui notauêre ad hunc verſum *cataſtas* illas, dictas quoque *machinas*, vt commentatio Q. Ciceronis de petitione conſul. ij vt ſoliti, fruſtra ſunt. *Machina* Quincto ibi theatrum, *amica, mima.* Mimas emere ſoliti à dominis, & manumittere, ſi quæ forma & ſaltatione placuiſſent. De qua inſania Horat. Satyra ij. lib. j. Ergo tales rapuêre quoque interdum, vt apud Ciceron. pro M. Cælio. Mimulæ itaque Q. Cicero, quaſi coëmtionem, probro eſſe vult & infamiæ C. Antonio, quod eam non modo amicæ aut pellicis, ſed pæne iuſtæ vxoris loco haberet, quia mimæ infames. Quid ego nunc doceam illos, *amicam, pellicem, panè iuſtam vxorem* intereſſe? Non iſti rei hodie auſpicaui. At de cataſta emere ancillam; & manumittere, propalamque domi habere, non æque turpe, quia eiuſmodi libertæ cum patrono, quaſi ἡμιγαμία ſiue ſemilegitimum matrimonium, neque de cataſta, ſed de ſcæna infames.

Machina etiam pergula quoque interdum, vt *ſarcinatrices in machinis*, apud Varronem, cuius locum Marcellus profert in Sarcinatrices.

Machina quoque *mola* & *piſtrinum*, vt recte V. C. Hadr. Turnebus c. ix. lib. iix. Sed non ea machina denique de qua Q. Cicero. De-

nique machinarum multa quamuis milia, neque cataſtæ tamen omnes, aut machinæ de quib. Q. Cicero.

Quid autem elegantius, quàm quod *elegantiarum pater* pro *paniſſe* repoſuit *plauſiſſe?* Quid fiet miſero illi ad nomen addito ſiue ἐπιθέτῳ *pingues*? Qua ratione autem *paniſſe* illud de poſſeſſione deijcitur. Quia, inquit, *plaudere* vſurpatur quoque cum accuſandi caſu, vt apud Papinium *plaudere limina, plaudere victorem.* Iam abi, viciſti. Digna correctio quam non plauſus ſed *paſtoritia fiſtula excipiat.*

REM DVPLICA.

Pergit indignari, & ſecum tacitus ſermocinari. Imitatus autem illud Horatij ex epiſt. vj. *Mille talenta rotundentur.* &c. Cuj eſt ſimile illud Ariſtophanis Pluto.

Ἀλλ' ἢν τάλαντα τις λάβῃ τρισκαίδεκα. &c. Neque diſſimiliter Libanius, Declam. περὶ ἀπληστίας. Simplicius in Enchiridium Epicteti.

IAM DECIES REDIT IN RVGAM.

Iam decuplex, ſi fas ita loqui, hoc eſt, multiplex. Rugam dixit reſpiciens ad plicas multiplicationis. Vnde ſimplex, alterplex, duplex, triplex, &c. Tralatum a plicis ſiue tabulatis togæ, de quib. dixi ad Sat. v. Meliùs hunc ita locum gloſſæ accipiunt, quàm aduerſaria c. x. lib. xvij.

DEPINGE VBI SISTAM.

Ecquis finis multiplicationis? Rectè autem V. C. Petri Pithœi editio. *Depunge*, &c. Pateſcet antedictis ad illud Satyræ v. *Certo compeſcere puncto examen.*

INVENTVS CHRYSIPPE.

Hæc rei familiaris, inquit, multiplicatio, tanquam tua Chryſippe accruatio eſt, ſiue ſorites. Vt ſoritæ, ſic auaritiæ & χρηματιστικῆς exitus inuentu difficilis. εἰς ἄπειρον γὰρ ἡ ἐπιθυμία, inquit Ariſtoteles nempe χρηματιστικῆς. c. vj. lib. j. de Republ. Ad hunc autem Perſij locum putido lapiſmate interpretis neſcio cuius, omnes *eruditiſſimi viri* qui *ante ipſum* attigêre hunc locum, per ſummam iniuriam vapulant. Quid ergo reliquum eis? Quid? Cantillare & facere votum Q. Horatij. *Vt redeat miſeris, abeat fortuna ſuperbis.*

TVI ACERVI.

Soritæ ſtruentis.

Duplex ſorites. Vnus ſtruens, addens, adfirmans: alter ruens, demens, negans. Vtrumque ſic Tullius tangit in Lucullo. *Sorita dicuntur cum aliquid minutatim & gradatim additur aut demitur.* Sorites ruens. Horatio epiſt. ad Auguſtum, eſt *ruens aceruus*, vbi & elegans Soritæ ruentis exemplum. De ſorita ſtruente nunc Perſius.

FINITOR.

Pergit ſemper ſtruere ſorites, niſi finem ſtatuas ſiue reſiſtas. Itaque Horatius, *Excludat iurgia finis.* Reſiſtitur autem ſoritarum aceruationi, in aliqua earum quas *minutias* vocant aut *gradus*, vt Cicero in Lucullo. D. Hieronym. Apolog. j. in Ruffinum, legiſperiti *mutationes* vt l. clxxvij. D. De verb. ſign. In huiuſmodi mutatione aliqua ſi reſtiteris aceruus totus ruit. Vt j. de natura Deor. Velleius Epicuri ſublingio vult oſtendere, vt & poſtmodo hæretici anthropomorphitæ, Deũ eſſe ſpecie figuraque humana. Sorite autem ſic vtitur. Si Dij ſunt beati ſunt. ſi beati, virtute præditi: ſi virtutis compotes, etiam rationis. ſi rationis capaces, homines ſunt. Reſiſte in iv. minutia, ruit ſorites. Nempe ratio in Deo. ſed non vt in homine. Ille fons: hic pertenuis riuulus, vt & noſter, quem in acceptis huic referimus vni, vt & alios ſuum velle, & par, & credibile eſt.

FINIS, DEOQ. GLORIA.

MEMORABILIA IN NOTATIONIBVS AD PERSIVM.

A.

ABACVS Geometrarum 45. 46.
Acerra thuris 52.
Adclamationes in auditorÿs 25.26.
Admonere flagris 167.
Admouere 72.
Adſentiri pro adſentari 23.
Adſignare 142
Ædilatus municipalis, Romanus 45.
Aedilitium munus, & ſparſio 171.
Aediles curantes Floralia 171.
Aeroſa pecunia 151
Agrarius mergus 114
Albarÿ, Albini 125
Amicarum fores perfuſæ vnguento, vino, lacrumis 164.
Amatoris excluſi faces 165.
Amoris plagæ 169
Αμφάπιδες 14.
Antitheta Pedij 36.
Anuli comarum 21.
Artocrea 182.
Aſper nummus. Ασπρότης. Aſpritudo. Aſpratura. 91.
Aſinis contumelioſior. Prouerb. 30.
Aſſa calla 97.
Athenæum 5.
Attin 37
Auerrunci, auertentes, depellentes Dÿ 166.
Auguſtij, Auguſtani, Auguſtiani 17.
Auis circanea 115.

B.

BAlnea noxia ægrotis 98. In eis repotia 97. thermopolia 99. cellæ 97.
Baltheus 117.
Baluca 70.
Barbati philoſophi 46.
Baſilicum ocimum 113.
Bathyllus pantomimus 155.
Beati diuites, mortui 102
Bidental 59. Ritus eius varÿ 60.61
Bombi, plauſus 18.
Braccæ, braccati 88.
Bullæ circumlares 126.
Βυσαύχην 93.

C.

CAcula 149.
Calcei mullei, cerei, albi, ederacei 167.168. Lunati. Signati. Patricij. Plebeij 168.169.
Calcei propriè Rom. 44.143. 144.
Calo 149.

Cambire. 92
Candidus dies. 63
Candidus lapillus. 48
Canicula ſtans. 73
canis ſiue canicula talorū iactus. 86
canthus. 135
Καρφισμός. 139
cataſta triplex. 186
caudam iactare. 110
cauliculi. 107
centuſſis. 175
Κερδὼ, κερδαλεόφρων. 152
cerei funebres. 101
ceruicis inclinatio et mollities. 39
Χαρώνειοι κλίμακες. 122
charta. 76
Χλωρόν. 76
chreſtus, chreſtiani. 172
Χείεσθαι. 105
chriſtiani, dicti Iudæi. 172
chromatiari. 111
cicuta ſuccus. 160
cingulum. 117
circumagere, circumuertere, manumittere. 139
cirrus, cirratus, cirritudo. 21
cluden. 122
clunaclum. 122
cœna funebres iv. 179
cognomina nota claritatis. 141
collocatio funeris. 103.104.105
collybus. 91
comites. 74
corrumpere, miſcere. 69
crepidæ Græcorum. 44
creta ſaxum. 170
cretata toga. 170
cretata crepidæ, faſcia, mappa, boues. 167
Κρόδοις. 79
curua corrigere. Prouerb. 109
cuſtos funeris. 103
cyma. 107

D.

DAMOCLES. 84
Dealbatores. 125
Decempeda. 110
Deliquare. 16
Delutare. 105
Deſtrigmenta. 156
Digitare. 20
Digitum exſerere. 124
Diregere. 31
Diſcincti. 114
Durare. 170

E.

EDICTVM. 46
Elogia amatorum. 165
Elegidia. 28
Ἐλεύθερος. 139
Ἔμβραχυ. 71
Ἔμφαγεῖν. 71
Ἐνδυστυχῆσαι. 71
Ἐν πυρὶ φθεγγόμενοι. 22
ἐπιθύειν. 64
Ἤ τις ἢ οὐδείς. 7
Expers. 181

F.

FALERÆ. 82. equitum, peditum. 83
Farpium. 72
Faſcinari, Faſcinum, Faſcinus Deus. 62
Filum gracilentum. 185
Florales ludi. 171
Flores Stirpeſque ſata in ſepulchris. 150
Fluminum effigies in triumphis. 182
Focalia. 13
Foſſor. 154
Fritillum. 86
Fulmine interfectorum ſupultura. 59.60.
Funda, crumena. 66

G.

Galearius. 149
Gargaridare. 23
Gauſapa. 182
Geminorum horoſcopus. 177
Genio ſacrum die natali. 49.51. Et vota. 51. Mero ei caput perfuſum. 50. Victima porcus. 50.
Genius dexter, ſiniſter. 115
Gladius mimicus. 122
Glutto, gluttus. 151
Gracilitas duplex. 184
Graij. 44

H.

Hiatus tragœdorum. 120.
Hircoſi. 92
Hoc benè ſit. 115
Honorarium ius. 62

I.

Ianthina læna, veſtis. 22
Ἱδρὼς λιπαρός. 66
Imago, echo, 40
Imbrices, plauſus. 18
Impotens. 71
Improbus. 17
Incoctum. 71
Incœnare. 71
Incubare Dijs. 67
Inde. 163
Inmedicatum os. 71
Inpromiſcuus. 71
Inraſum caput. 71.89
Inſegnis. 71
Inſolatio. 111
Inuidere. 164
Iunctura Neronis. 37. Attica. 123
Iupiter liberator. 152
Iuuenis ſenilis. 109

L.

Laconica. 97.98
Lallus, lallare. 78
Λαμπαδηδρομία. 183
Lances thuris. 52
Lares Præſtites. 126
Lectus funebris. 103
Lectuli imaginum. 104
Lemures, 173
Λευκὴ ἡμέρα. 63
Liaculum. 125
Liberti lauti. 177
Liberti noui, ſiue modò manumiſſi inſignia, pileus candidus, caluitium ſiue tonſus, toga, calcei, caliga, corona. 144
Libertas mera, legitima, pleniſſima, maior, iuſta, perfecta, Latina, DeditICIA, naturalis. 143
Liber iure Quiritium. 142
Ligamenta aurium. 13
Liquida, liquata vox. 15
Litera laureata, pinnata. 181
Liturarij libri. 76
Lucernæ in ianuis. 172
Lutare. 105

M.

Machina. 186
Mantica. 160
Manuarium æs. 86
Manumiſſionis formula. 139. notæ. 143.144
Margus. 161
Maſurius. 145
Membrana libri. 75
Mercurij. ſtatua cum ſacculo. 183
Metaflexus. 91
Miſer. 106
Μισόδουλον, baſilicum. 113
Monogrammi. 185

Moueri, ſaltare mimicè. 154
Moueri ad numerum, extra numerum. 154
Mullei calcei. 167
Municipales magiſtratus, ædiles, prætores, dictatores, ii viri, iv viri. Eorum faſces. Munus. 45
Μυρμηκοιζεῖν. 105

N.

NAcca. 83
Naſus ſedes iræ 147
Natality anuli. 15
Nauticum fenus. 162
Neronis filias. 30. Forma. 112
Νευρόσπαστα. 157
Nix rubra. 84
Nocturni terrores. 173
Nonaria. 46
Nucum ſparſio. 10
Nudipedalia. 44
Nugari, poetari. 29
Nutricius pater, nutricia mater. 77
Nutricum vota. 63

O.

OBba. 161
Obeſi hebetes. 29.83
Obiurgare ſolea, ferulis, colaphis. 166.167
Obſtipum caput. 93
Occentare oſtium. 165
Ocima cantare. 113
Ollæ theſaurorum. 54
Opimæ victimæ. 65
Orca. 87
Os teres. 123
Oſcitatio. 89
Oua in ſuperſtitione. 175

P.

Παιδαγωγεῖον. 109
Palingeneſia. 176
Pallium capitis, palliolum, pallium malacum. 13
Palpones. 170
Palumbus regius. 77
Pannucius, pannuciati, pannucia poma. 113
Pappare, papparium, pappo, papa, pappas, pappa. 77
Patella Deorum. 79. ritus eius. ibid.
Paterfamilias, rex familiæ ſuæ. 113
Patrima, nutrix. 63
Patruus obiurgator. 10.54
Pedius Blæſus. 35
Pera. 160
Pergere. 159
Perones. 150
Permingere. 184
Pertica, decempeda. 110
Phæcaſia, phæcaſiati. 167
Philoſophia Romanis odio. 44. romana, Tranſmarina. 180
Philoſophi ἰόντες ἐπὶ θύρας. &, ἐπὶ μισθῷ σιωπῶντες. 72. De foro & ſchola. 92
Phimus. 87
Pignus prætorium. 62
Pilæ circum lares. 126
Pilæ luſus. 116
Pileus manumiſſorum. 143.144
Piſinni. 89
Pittacium. 46
Plaſma. 15
Plauſuum genera bombi, imbrices, teſtæ, cymbala. 18
Poetarum imagines, corona 2. commiſſiones. 3
Polenta, pollire, polire. 89
Pollitor. 89
Popa, popanum. 185
Poſtes ornati ſpoliis. 181
Poſcere, liceri. 51
Prænomen nota ingenuitatis. 141
Prætexta puerilis. 125
Programma. 47
Proſapexa tunica. 14

Pſittacus.

Pſittacus. 5
Puerculi iracundi. 78
Pudoris ſedes. 150
Puppa. 71
Purpura candida, Hermionica. 84
Purpureum pro candido. 84
Puteal Libonis, puteal, ara, puteus, tribunal. 117
Pyrgus. 87

R.

RApina Nympharum. 63
Recitationum locus. 5.11. *ritus varij.* 11.12.13.14.15.16.19. 25.26.
Regula, decempeda. 109
Relegere pecuniam. 153
Religio quibuſdam ars quæſtuaria. 51
Relinquere. 24
Reponere. 184
Reſcribere. 155
Reſpectus. 19
Reſona. 40
Rogandi teſtis formula. 142
Romulus pro tyranno, & ciue Romano. 36
Rubricæ. 145
Σύνθεσις *teſſerariorum.* 86

S.

SAbana. 156
Sabbatharij. 172
Sacrificia Diis ſuperis mane, inferis veſpere. 57
σαίγγρος. 110
Salina. 177
Sambuca. 148
Sandalia aurea. 167
Sanna. 31
Scæna in naui. 161
Scelerus pro ſceleratus. 177
Sclopus. 123
Senio talorum iactus. 86
Seruitus triplex. 156
Siclus. 164
σημοτράχηλος. 93
Simpulatrix, Simulatrix. 62
Solea ſiue ſandalio pulſare. 167
Solea rubra, fulmentata. 168
Soliclari. 111
Sorites duplex. Eius gradus, minutiæ, mutationes. 187
Species, Specimen. 151
Splenia. 14
Stemma generis. Stemmatum atria plura. 80
Strimenta. 156
Submeiulus. 184
Subtel. 184
Subtemen. 185
Succidanea hoſtia. 64
Succinctus. 114
Succinere. 78
Sulfur pro fulmine. 59
Sumen. 28
Suppoſiti partus. 127
Surda vota, ſurdi ictus. 178. *ſurde ſpirans ſiue olens.* 179

T.

TAlorum iactus. 86
Tali hominum. 111
Talo recto. 151
Tectoria, tectores. 125
Teſſera frumentaria, lignea, quadrata, miſſilium, orbiculares. 138
Teſta, plauſus. 17
Teſtamentum phyſicum. 85
Teſtes rogati. 142
Thermopolium. 99
Theta præfigere. 110
Tibia ſuccentiua, incentiua. 78
Titi. 17
Toga candida, durata, ſplendens, preſſa, cretata. 134. *Eius tabulata tilia, ſtrigæ.* 170

Tollit ſuſtulit. 109
Tragicorum ἄπυχνα. 121
tragœdia duplex. 4
trama telæ, trama picturæ. 184.185
transuectio equitum. 81. *Ea duplex.* 82. *Vtriuſque ritus.* 82
trepidare. 127
τρίβωνες ἐκλείποντες κρόκας. 185
triumuiri cenſoria poteſtate. 82
troſſuli, Toroſuli. 35
tubæ funebres. 99
tucetum. 64
turdæ. 177
turricula. Gradus eius. 87
tutela nauium. 178

V.

VApidum. Vapidè ſe habere. 152.43
Varones. 159
Ventrale. 66
vertere, manumittere. 139.140
veſtimenta cubitoria ſiue accubitoria. 21
vidulus. 159
vindicta Prætoris. 145.170
vinum merum, purum, ſpurcum. 50
Surrentinum. 95. *picatum, reſinatum.* 161
vitrea bilis, toga, futilitas. 75
viuere. 9
vmbo togæ. 126
vnctura funebris. 105
vota ſtulta. 63
vrnæ veſtales. 68
vrtica in cibo. 184
Vulcani pileus. 143

Z.

ΖΗν, βιοῦν. 9

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAutum eſt authoritáte Henrici IIII. Franc. & Nauarr. Regis, ne quis hoſce Theodori Márcilij Profeſſoris eloquentiæ Regij Commentarios ad Perſium intra decennium imprimat néve vendat. Qui ſecus fecerit, libris & pœna in ſanctione æſtimata, mulctabitur, vt latius patet literis datis Pariſ. 1601.

AVCTORES QVOS HI COMMENTARII QVA EMENDANT quà explicant, eſt vbi & notent.

A.

ACro notatus.55.emend. 61
Agathias poëta emend. explic. 88
Apollonius explic. 57
Appianus emend. 58
Apuleius emaculatus, 31.61.64.83 explic. 122
Ariſtæneto lux. 18
Arnobius emend. 64
Athenæo lux. 69.185

B.

BLæſus apud interpretem Perſij emendatus. 36

C.

CÆcilius apud Marcell. emend. 16
Callimachus emend. 165
Capella emend. 73. expl.173
Capitolinus emend. 5
Catiſius emend. 2.89. Notatus. 8
Cato de re ruſt. emend. 89. lect. def. 119
Catullus explic. 27
Cedrinus notatur. 33
Cicero emend. 58, 68. explic. 142
Clemens Alexandrin. emend. 51
Clemens Romanus. 108
Codex Theodoſianus emend. 49
Corippus. 18
Cyprianus emend. 70

D.

DIgeſta iuris emend. 170. explic. 77.104. 118.142. 173.
Lectio earum defenſa. 118
Dio emend. 144. 171. explic. 168
Diodor. emend. 143.
Diomedes emend. 77
Dionyſius emend. explicatus. 70.104.143.173
Donatus notatus. 113

E.

ENnius emend. 2. 6. explic. apud Marcellum. 184
Euſebius. 4

F.

FEſtus emend. 31.44.50.89. explic. 61.167

G.

GAlenus. 44
Gloſſæ Iſidori emend. 113.149
Gloſſæ Philoxeni emend. 14.31.35. 62.64.92.94.111.146.166
Gloſſæ in Iuuenalem emend. 77. 180
Gloſſæ in Perſiũ. emẽd. 60.64.114 126.146.184. Notatæ paſſim.

H.

HOratius emend. 87. 179. explic. 48.56, 188

I.

INſtituta iuris emend. 170
Iſidorus emend. 70. notatus. 112
Iuuenal. explic. 57

L.

LActantius Firmian. not. 180
Lactant. interpres Papinij. 75

Laërtio lux. 185. emendatio. 4
Lucan.explic. 173
Lucilius emend. 20

M.

MÆcenas apud L. Senecam emend.explic. 38
Marcellinus Amm.emend. 102
Martial.emend. 38. explic. 28.184
Meliſſa emend. 16
Menander ſophiſta emend. 103

M.

NOnius emend.5.27.331.50.77
Notatus. 137

O.

OVid.emend.explic. 80.164 165.151

I.

PApinius explic. 81
Perſius emend.10.19.37.38.40. 54.55. 88.93.94.109.111.115.116. 123.138.139. 140.141.145. 153. 162. Semel, iterum. 164.173.177.178. 181,183. & paſſim.
Petronius emend. 169. explic.21.
Philoſtratus emend. 168
Plautus emend. 23.165.177. explic.63.119.164.165.
Plinius emend.61.69.82.150. Notatus.28.111.150.explic. 168
Plinius nepos emend. 28
Plutarch.emend. 127.145 explic. 164. notatus. 143
Pollianus poeta emend.explic. 2
Polybio lux. 141.emend.idem 141

Propert.emend. 164

Q.

QVinctiliano lux. 30. eméd. 139

S.

SEneca F. emend. 155. 156
Seneca P.emend. 155.156
Seruius notatus. 172
Sidonius emend. 46
Suetonio lux. 17.93.152.171.168
Suid emend. 5. 48. Notatus.48

T

TAcitus emend. 22. inluſtr. 100
Tatius emend. 183.184
Terent.emend. 23
Tertyllianus emend.170.184.explic. 144.184.168
Theophilus Inſtit.not. 170
Theophraſtus in notis explic. 161
Tibullus emend. 47

V.

VArro apud Marcell. eméd. 85
Victor de vir. inluſtrib. not. explic. 81
Virgil.emend. 38

X.

XEnophon. emend. explic. 74

Z.

ZEnobius explic.notat. 48
Zygomala. 48

L. ANNÆI
CORNVTI
GRAMMATICI
ANTIQVISS. COMMENTVM IN AVLI PERSII FLACCI SATYRAS,

cum veteri codice manuſcripto collatum & multis in locis auctum & emendatum,

Ex Bibliotheca C. V. IOANNIS ROVSSATI, Conſil. Reg. Præfecti Caluimontij & Propratoris Lingonenſis.

ELIÆ VINETI SANTONIS

PRÆFATIO IN ID COMMENTARIVM & annotationes in eaſdem Perſij Satyras.

Cum P. PITHOEI I.C. varijs lectionibus, & notis ad veteres gloſſas.



LVTETIÆ,
Apud IOANNEM ORRY, via Iacobæa ad inſigne Samaritanæ.

M. DC. XIII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Quæ addita ſunt è veteribus membranis eiuſmodi vncis [ ] comprehenduntur.

Quæ aberant à membranis his ( ) parentheſeos notis includuntur.

Ad oram libri reiectæ ſunt variæ lectiones.

ELIAS VINETVS

DE CORNVTO PHILOSOPHO, ET GRAMMATICO: DE CORNVTI in Perſij Satyras commentario, ac de commentarij commentíque ſignificatione.

ANNEVS CORNVTVS Stoicæ diſciplinæ philoſophus, quem amicum & magiſtrum ſuum tantis effert laudibus Perſius Flaccus in ſatyra quinta: is, ſiquid Suidæ collectaneis credimus, diues valde fuit. Patriam habuit vrbem Africæ Leptin: ſed Romæ tamē Claudio & Nerone principibus philoſophiam profeſſus eſt. Idē Perſius illi ſe in diſciplinam tradidiſſe fertur anno ætatis ſuæ quintodecimo: quem inde ea obſeruantia coluit, vt quoad poſſet & liceret, ab eius latere nunquam diſcederet. Quin eū quanti faceret hoc oſtendit, quod moriens illi totam bibliothecam ſuam argentiq; multum legauit: vnde ſuſtulit Cornutus libros tantum: reliquum legatum, ſororibus Perſij quas frater hæredes inſtituerat, vniuerſum reliquit. Huius rei auctorem habemus, quiſquis veterum, Perſij poëtæ vitam ſcripſit, quæ extat, ſiue Suetonius Tranquillus hic ſit, ſiue potius eius antiquus interpres. Scriptorum diſcipuli ſui cenſor & arbiter fuit ille: ſatyræq; Perſij iam vita functi non ante fuerunt editæ, quam eas recenſuiſſet emendauiſſétque ipſe magiſter. Scripſit autem hic Cornutus philoſophica multa & rhetorica, quæ ad nos non peruenerunt: in quem etiam

Neronis tyrannidem ſæuiiſſe Dion memoriæ prodidit. Nero enim res Romanas à primordio vrbis carmine perſcribere conſtituerat: & iam ante, quam librum vllum, abſoluiſſet, conſultabat cum ſuis, quot libris rem tantam complecti deberet. In id ergo conſilium inter alios Cornutus philoſophus ob inſignem ſapientiam adhibitus, cum cenſuiſſent illic quidam quadringentos debere fieri libros, dixit, immenſum videri numerum, & neminem tot libros lecturum. Atqui Chryſippus philoſophus, obiecit aſſentatorum vnus, quem laudas, & ſectaris Cornute, multo plures compoſuit. Cui Cornutus, eſt ita, vt ais, inquit: ſed illi libri Chryſippi, humanæ vitæ ſunt vtiles. Qua libera Stoici hominis ſententia offenſus Nero, qui ea videret vanitatem & ineptias ſuas palam argui, Cornutum in inſulam relegauit. In Euſebij autem chronicis legimus annum fuiſſe à Chriſto nato ſexageſimum nonum, & à Perſio mortuo quartum, cum ſic ille relegatus eſt: eodémque anno Octauiam Auguſtam iuſſu mariti in exilio interfectam: quam Cornelius Tacitus iiſdem conſulibus occiſam refert, quibus Perſium deceßiſſe traditum eſt. Hæc fere ſunt, quæ in antiquis monumentis de Cornuto philoſopho Perſij magiſtro legere meminimus. Nam quem memorant Aulus Gellius, & Ambroſius Macrobius Cornutum, quem Gellius vbique Annæum quoque vocat, Macrobius libro quinto Saturnaliorum, aut Macrobij librarius, Aurelium pro Annæo: hunc volunt alium eſſe Cornutum, non philoſophiæ vniuerſæ, ſed ſolius grammaticæ profeſſorem: qui libros de figuris ſenten-

Cap. 10. *tiarum ſcripſerit, quos memorat Gellius libro nono noctium Atticarum: compoſuitq; in Terentium, Virgilium, Perſiũ, Iuuenalem commentaria; de quibus mentionem fecerunt*

partim vetuſti ſcriptores, partim noui, qui noſtra & patrũ noſtrorum memoria, grammatica tractauerunt, & ſcripſerunt. Hic itaque Cornutus commentariorum & rerum grãmaticarum ſcriptor, quiſquis ſit, qui Cornuto philoſopho annis vix quinquaginta iunior eſſe poteſt, ſi alius fuit eum Gellius doctum & prudentem, Macrobius magnum virum & literarum etiam Græcarum doctiſſimum appellat: ex cuius plurimis ſcriptis ſolum vidimus, quod hic edimus in Perſij ſatyras commentarium. Quod certe ita interim habet, vt niſi Gellius & Macrobius Cornuti grammatici eruditionẽ nobis commendaſſent, ſemidoctum hominem fuiſſe iudicaremus. Nam in hoc commentario multa quidem perquã erudita, & antiquitatem multam redolentia, & quæ niſi legiſſent noui interpretes Perſij, non pauca in eius libello ignoraſſent: ſed in eodem id quoquè offendes, indocta multa, & inepta. Accidit enim illi, quod Aſconij Pediani, Donati, Seruij, Placidi, & aliorum veterũ commentarijs. Primum enim imperitos librarios nactũ eſt: quod genus nihil non corrumpere ſolet. deinde qui deſcribere properantes, laborem fugiebant totum deſcribendi, multa contraxerunt. poſtremo nõ defuerunt, qui plurima infercirent, in-primíſque illi, quibus doctiſſima enarratio, quæ fortaſſe pro vetuſto more breuiuſculo erat, ad intelligendũ poëtam obſcurum & tenebricoſum minime ſufficiebat: atque ita non pauca interiecerũt & ſua & aliena vndique collecta doctorum hominũ, indoctorúmque ſcholia. Sic non magis vnius Cornuti videtur, quod publicamus in Perſium commentarium, quam vnius Donati, quod Donati nomine proſtat in Terentiũ: vt illa multis locis te fallant, niſi cum iudicio legas. Qui autem huius Perſiani commentarij meminerunt Hermolaus Barbarus, Baptiſta

Plautius, Lilius Ferrarienſis, ac alij horum æquales (antiquiores equidem proferre non poſſum, qui ſe illud vidiſſe, ſcripto teſtatum relinquerint) neſcio, quam bona habuerint exemplaria: ſed noſtris ſcio nihil inueniri poſſe corruptius. Fuerunt autem hæc tria: quorum vnum nos & Gulielmus Martinus Voltanus, clariſſimæ ciuitatis Burdigalenſis procurator, Aquis Auguſtis in vetuſta libraria anno Chriſti 1585. *repereramus. Alterum Franciſci* Bernæ *Santonenſis: tertiũ Ioannis Amaritonis Aruerni fuit. Quæ magis varia in conferendo deprehendimus, quam diuerſa loca ſunt, vnde fuerant conquiſita. In iis ergo libris tale fuit, quale hic vides Annæi* Cornuti *commentarium. Nihil in deſcribendo mutaui, niſi ſi quæ voculæ corruptæ videbantur. Nihil detraxi, quod aliquando ſum expertus, quam periculoſum ſit, ea ſtatim contra vetuſti codicis fidem auctoritatémque delere aut mutare, quæ in alienis ſcriptis non probes.* Op*tauiſſem quidem certe hoc commentarium in lucem dare purius emẽdatiúſque: ſed ad eam rem antiquis codicibus opus fuit: qui non ſuppetebant alij, quam quos dixi: neque habui, vnde alios conquirerem. Et hæc qualiacunque ſint, ita edere melius duxi, quam pati literarum ſtudioſos diutius huius commentarij deſiderio ſe torquêre.*

Quod autem ad vocem commentum attinet, quam in titulo legiſti: COMMENTARIVS *ac neutro genere commentarium, vnde commentariolum fecit* Cicero, *eſt ſcriptum aliquod, & liber ad ſubſidium memoriæ comparatus, breuis, & in quo rerum tantum capita, ſummáque ponuntur: quas memorias, & inſtructiones nunc fere vulgus appellat. Huiuſmodi fuit Valerij Probi commentarius de occulta literarum ſignificatione, cuius meminit Aulus* Gellius *libro ſepti-*

mo decimo: ac tale etiam paulo plenius orationis contra Domitium habitæ commentarium, cuius mentionem in Bruto facit Cicero. Horum nominum pluralia commentarij & commentaria, etſi vim ſui numeri plerunque retinent, tamen ea nihil eſſe aliud interdũ, quam quod vnius numero ſignificatur, grammaticis noſtris iampridem placuit: qui viderint, quam recte hic præcipiant. Vereor enim, ne cum Cæſar commentaria ſua inſcripſit, quos apud Ciceronem commentarios legimus appellatos, multorum librorum opus intellexerit, quorum quiſque commentarij nomine appelletur, quomodo Euclidis Alexandrini geometræ elementa, libri ſunt tredecim, qui appellantur elementum primum, elementum ſecundum, tertium, quartum, & reliqua deinceps eodem nomine. Commentarius rurſus & commentarium, ac multitudinis numero commentarij & cõmentaria, ſæpiúſq; commentaria, ſicut ijdem volunt præceptores, eam ſignificationem habent, vt expoſitiones interpretationéſque auctorum in literas relatæ, ita vocentur. Seruius in librũ ſeptimum Æneidos. Dicit etiã quidam commentarius conuecta legendum. Aulus Gellius libro viceſimo. apud Plutarchum in quarto in Heſiodum commentario. Idem libro primo. Præterea in commentarijs Labeonis, quæ ad duodecim tabulas compoſuit. Et, Hyginus autem non hercle ignobilis grammaticus, in commentarijs, quæ in Virgiliũ fecit. Quod igitur commentarijs vtróque genere, & commentarios & commentaria eſſe debere tradunt noſtri grammatici, id commentum fuit in Aquenſi codice, ſicut omnes huiuſmodi expoſitiones commenta vulgo dicebantur me puero: Tunc nãque proſtabant paſſim Virgilius, Ouidius, & alij ſcriptores, cum commento: ſed poſtea, quam politiores literæ flo-

Cap. 9. · Cap. 7. · Cap. 12. · Cap. 12.

rere cœpiſſent, cedente ſenſim barbarie: quæ commenta primum videram, ea dici commentaria cœpta ſunt. Sic multi, qui ſibi aliquid præ cæteris ſapere videbantur, exiſtimauerunt iſta, commenta barbare dici, commentaria Latine appellanda: ſed vellem tamen ego, vt, qui inter audaces iſtos emendatores eruditione præcellunt, docuiſſent, vnde ſciant, commentaria hic rectius dici, quam commenta. Veteribus librarijs, quibus ſtrenue omnia perdendi ſummum ſtudium fuiſſe diceres, ex commento commentarium, ac ex commentario commentum facere facile fuit: ipſi interpretes ſcriptorum alienorum, quomodo ſuas expoſitiones appellarint hoc nos quærimus. Priſcianus libro ſexto. Seruius in commento Virgilij. Et paulò poſt. Seruius in commentario tertij libri Virgiliani. Idē libro decimo. Seruius in commentario Æneidos. Ita modo commentum, modo commentarium res eadem apud Priſcianum, antiquum & nobilem grammaticum, appellatur. Eſt autem COMMENTVM *proprie res inuenta, excogitata callide, ac ficta: vnde & verbū commentari pro inuenire, excogitare, fingere: at ſicut commentum pro expoſitione auctoris dictum eſt, vti oſtendimus, ita etiam hoc* COMMENTARI *pro eo, quod eſt commentum, ſiue commentarium facere, & interpretationem componere in ſcriptorē*
Cap. 16. *aliquem, legimus vſurpatum. Aulus Gellius lib. 3. Sabinus medicus, qui Hippocratem commodiſſime commentatus eſt, his verbis enarrauit. Et hinc* COMMENTATOR *pro interprete & commenti ſcriptore, frequens in Seruij commētarijs. Quod ergo fuit in antiquiſſimi exemplaris titulo cōmentum, ſiquis minus probet: id in commentarium illico mutare, mihi non leue viſum eſt flagitium.*

INCIPIT VITA PERSII DE COMMENTARIO Valerij Probi.

AVLVS Perſius Flaccus natus eſt pridie Nonas Decembris, Fabio Perſico, L. Vitellio Coſs. deceſſit 8. Kal. Decemb. Rubrio Mario, Aſinio Gallo Coſs. Natus in Etruria Volaterris, Eques Romanus, ſanguine & affinitate primi ordinis viris coniunctus. deceſſit ad octauum milliarium via Appia, in prædiis ſuis. Pater eius Flaccus pupillum reliquit moriens, annorum fere ſex. Fuluia Siſennia mater nupſit poſtea Fuſio, Equiti Romano: & eum quoque extulit intra paucos annos. Studuit Flaccus vſque ad annum 12. Volaterris: inde Romæ apud Grammaticum Remmium Palæmonem, & apud rhetorem Verginium * Flaccum. Cum eſſet annorum 16. amicitia cœpit vti Annæi Cornuti, ita vt ab eo nuſquam diſcederet: à quo introductus aliquatenus in philoſophia eſt. Amicos habuit à prima adoleſcentia Cæſiū Baſſum, & Calpurnium Staturam, qui eo viuo iuuenis deceſſit. Coluit vt patrem Seruilium * Numanum. Per Cornutum cognouit Annæum etiam Lucanum, æquæuum auditorem Cornuti. Nam Cornutus illo tempore Tragicus fuit, * ſectæ Stoicæ, qui libros philoſophiæ reliquit. Sed Lucanus adeo mirabatur ſcripta Flacci, vt vix retineret ſe illo recitante à clamore, (quin illa eſſe vera poëmata diceret.) Sero cognouit Senecam, ſed non vt caperetur eius ingenio. Vſus eſt apud Cornutum duorum conuictu doctiſſimorum, & ſanctiſſimorum virorum, acriter tum philoſophantium, Claudij Agaterni medici Lacedæmonij, & Petronij Ariſtocratis Magnetis, quos vnice miratus eſt & æmulatus, cum æquales eſſent, & Cornuto minores. Ipſe etiam decem fere annis ſumme dilectus * apud Thraſeam eſt, ita vt peregrinaretur quoque cum eo aliquando, cognatam eius Arriam vxorem habente. Fuit morum leniſſimorum, verecundiæ virginalis, formæ pulcræ, pietatis erga matrem & ſororem & amitam exemplo ſufficientis. Fuit frugi & pudicus. Reliquit circa H-SXX. matri & ſorori. ſcriptis tantum ad matrem codicillis, rogauit eam vt daret Cornuto ſeſtertia, vt quidam dicunt, centies, vt alij volunt plus, & argenti facti pon-

*ms. Flanum.

*ms. Nomianum.

*ms. Poetica.

*ms. Agaturni.

*ms. à Pæto Thraſea.

dera viginti, & libros circa ſeptingentos, Chryſippi. ſiue bibliothecã ſuam omnem. Verum Cornutus ſublatis libris, pecuniam ſororibus, quas frater hæredes fecerat, reliquit. Et raro, & tarde ſcripſit. Hunc ipſum librum imperfectum reliquit. Verſus aliqui dempti ſunt in vltimo libri: & * quaſi finitus eſſet, leuiter recitauit Cornuto: & Cæſio Baſſo petenti vt ipſe ederet, tradidit edendum. Scripſerat etiam in pueritia Flaccus prætextam, * & Ὁδοιπορικῶν librum vnum, & paucos in ſororem Thraſeæ in Arriæ matrem verſus, quæ ſe ante virum occiderat. Omnia autem Cornutus auctor fuit matri eius, vt ea aboleret. Editum librum continuo mirari homines, & deripere cæperunt. Deceſſit autem vitio ſtomachi, anno, ætatis 30. Sed mox vt à ſchola & magiſtris deuerterat, lecto libro Lucilij decimo, vehementer ſatyras componere ſtuduit: cuius libri principium imitatus eſt: ſibi primo, mox omnibus detrectaturus, cum tanta recentium poëtarum & oratorum inſectatione, vt etiam Neronem illius temporis principem, culpauerit: cuius verſus in Neronem cum ita ſe haberet,

Auriculas aſini Mida rex habet,

In hunc modum à Cornuto ipſo tantummodo eſt emendatus,

Auriculas aſini quis non habet?

Ne hoc Nero in ſe dictum arbitraretur.

*quos qu.

*ms. Veſcio & ὀπωρικῶν

ANNOTATIO.

Satyræ proprium eſt, vt vera humiliter dicat, & omnia cum ſanna faciat: quam Siſenna protulit poëta. Item ſatyra dicitur, quæ variis rebus continetur. Satyra item lex apud Romanos lata, quæ fucatis verbis fallit audientes, vt aliud dicat, aliud vero ſignificet. In hac præfatione dicit ſe non poëtam, ſed ſemipoëtam eſſe: & dicit fame ſe coactum ſicut & cæteros, ad ſcribendum: quod cùm de ſe dicit, non dubium, quin de alijs dicat.

ANNÆI CORNVTI COMMENTARIORVM LIBER IN FLACCI PERSII SATYRAS.

IN PROLOGVM.

NEC FONTE LABRA PROLVI CABALLINO. 1. *Verſus.* ΙΠΠΟΚΡΗΝΗ. quod & Heſiodus dicit. Dicitur enim Pegaſus errando ad Heliconem montem perueniſſe, ibique ſiti oppreſſus, vngula fodiſſe: ex quo loco fons editus, Muſis ſit conſecratus. Dicit autem ſe de illis nõ eſſe, qui ſunt egregij Muſarum amici. *Caballino* autem dicit, non equino, eo quod ſatyræ humiliora verba conueniant. *Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo.* Parnaſſum montem Delphorum dicit, qui habet cacumina duo, Nyſam libero ſacrum, Cyrrham Apollini. [Vnde Lucanus,

Cardine Parnaſſus gemino petit æthera colle,
Mons Phœbo Bromióque ſacer.

Tangit autem Ennium, qui dicit ſe vidiſſe ſomnium in Parnaſſo, Homerum ſibi dicentem, quod eius anima in ſuo eſſet corpore. *Bicipiti* autem, pro duplicis cacuminis.

Pallidámque Pyrenen. Pyrene fons eſt Muſis conſecratus in Helicone. *Pallidam* autem ideo dicit, quod poëtæ palleant ſcribendi laſſitudine. *Lambunt.* id eſt, * tegunt vel circundant, & quaſi lingua tergunt. [Virgilius, *tergunt, circumducunt.*

——*& ſidera lambit.*]

Hederæ ſequaces. quod ſequantur & ſine fine repant. *Semipaganus* ſemipoëta. Et hoc verbo humili, Satyrico modo vſus eſt. Pagani dicuntur ruſtici, qui non nouerunt vrbem. [ἀπὸ τοῦ πάγου à villa,] *Ad ſacra vatum.* ad numerum poëtarum. *Quis expediuit pſittaco ſuum chære?* Hoc dicit: quod non omnes ſolummodo natura ſua ſunt poëtæ, ſed ventris & egeſtatis neceſſitate coguntur, dum ſemet ſtudendo vigiliis cruciant: alioqui omnes eſſent ſine labore poëtæ, & hoc de auibus probat. Nam hodiéque videmus pſittacos eſurientes vocali ſono ſtrepere, & χαῖρε dicere. *Suum* autem, quaſi proprium, vt naturaliter videantur loqui. ita tamen, ſi eſurierint. *Conari.* & *Blandiri* legitur. (*Venter.* Apologiam facit poëta. nam excuſat ſe non inuidioſe ſcripſiſſe, vt poëta appareret, ſed cauſa vi-

ctus, vt ſalarium mereretur. Nam *Salarium* eſt victus vnius diei. *Voces.* humanas.) *Negatas.* per naturam. *Doloſi nummi.* callidi & potentis ad ſuaſionem: quod ad omne facinus facile impellat. *Refulſerit.* refulgeat. *Coruos poëtas.* quod coruino lucro inducti, non ſolum cantare poſſint, ſed etiam carmen effingere. *Pegaſeium nectar.* In aliis eſt *Melos.*

IN SAT. PRIMAM.

15 O CVRAS HOMINVM. Semetipſum redarguit, quod ipſe relinquit carmina, quæ vulgus lecturũ non ſit, quoniam non ſunt vulgaria: & quod minime conueniant robuſto ingenio, & libidini iuuentuti. Sed hæc ſatyra ſcribitur de iis, qui publice captant famam eloquentiæ ex fauore imperitorum. Et hoc velut dialogi genus in principio ex perſona interrogantis inducit. Ait ergo *Curas hominum* inanes, quod ſine fructu laborare velint. *Quantũ eſt in rebus inane.* Græcum eſt, ἐστὶ τὸ κενόν. Deeſt autem, humanis, vt ſit, in rebus humanis. *Inane* autem vacuum ac ratione carens. *Quis leget hæc?* Hunc verſum de Lucilij primo tranſtulit, & [humanæ vitæ vitia increpans] ab admiratione incipit. Dicit autem ſibi. *Min' tu?* pro mihíne? Figura ſynæreſis. *Min' tu iſtud?* Sic pronunciandum eſt, quaſi de re non manifeſta audiat. *Nemo Hercule.* affirmatiue & aduerbialiter. *Nemo?* Interrogat admirans. *Nemo* ergo ſi * acuta prima Perſius dicit, vel duo lecturi erunt: & cum repetitione intulit *vel.* & quia hanc vitiorum materiam dubitat etiam à paucis legi, interciſiue dixit *vel,* non addens, vnus, vel tres. *Nemo.* Perſiſtit in eo, quod dixit, *Nemo Hercule. turpe & miſerabile.* Turpe, ſi duo, & miſerabile, ſi nemo. & quaſi corrigit dicendo, *Quare? ne mihi Polydamas.* id eſt, multinuba. Polydamas autem Nero, quod multis nupſit: aut quod timidus & imbellis fuit, vt apud Homerum inducitur. *Troiades,* Romani accipiuntur. Alij Polydamanta, populi perſonam accipiunt, quæ loquax eſt & inepta, cuiuſmodi naturæ fuit Polydamas: Troiades vero nobiliores. *Labeonẽ.* quia Labeo tranſtulit Iliada & Odyſſeam, verbum ex verbo, ridicule ſatis, quod verba potius quam ſenſum ſecutus ſit. Eius eſt ille verſus:

*mſ. Adiuncta per ſona dicat.

Crudum manduces Priamum, Priamíque Phiſingos.*

*mſ. piſinnos.

Nugæ. Vim habet reprehenſionis. *Turbida Roma.* Ab aqua tranſlatio. vel quod multis gentibus repleatur. *Eleuet.* altum faciat laudando, vel incuſet. *Accedas.* aſſentiaris. *Examen ve improbum.* ἀλληγορικῶς dicit. hoc eſt, non debere quæri iudicium in vulgari iudicio, cum in eo æquitas non ſit. Examen autem eſt lingua vel lignum, quod mediam ha-

ſtam ad pondera adæquanda tenet. *Caſtigare* autem eſt digito libram percutere, vt temperetur, & præ agitatione poſt in æquum conquieſcat. *Trutina* verò eſt foramen, intra quod eſt lingula, de qua examinatio eſt. *Nec te quæſiueris.* Id eſt, noli iudicium de te extrinſecus quærere, [quæ eſt Chilonis Lacedæmonij ſententia.] *Nam Romæ quis non?* In populo, inquit, quis non eſt rudis & imperitus? *Tunc cum ad canitiem,* cum riſu pronunciandum. Id eſt, cum ad ſenes reſpicio poëtas. *Et noſtrum iſtud viuere triſte.* Figura Græca eſt, pro, noſtram vitam triſtem. *Nucibus relictis.* ludis puerilibus depoſitis. *Cum ſapimus patruos.* Eleganter patruos. Id eſt, cum veram ſeueritatem ſapimus. Patrui enim ſeueri circa fratrum filios. [Sic Cicero: obiurgauit Cœlium, vt quidam patruus Cenſor.] Horatius, *Lib 3. Ode 12.*

——metuentis patruæ verbera linguæ.

Tunc, tunc, ignoſcite, nolo. ἔκλειψις ſc. dicere vel ridere. *Tunc.* præcipue: vel eſt aſſeueratio valde dolentis, vt, *Gl. Defectus per indignationem.*

Me, me adſum, qui feci, *Æneid. 9.*

Tunc tunc ò liceat crudelem abrumpere vitam. *Sed ſum petulanti ſplene Cachinno.* Id eſt, non me contineo. Laſciuior fio riſu. & hoc dicit. Date mihi veniam. talis ſum naturæ, vt rideam. Et hoc ſecundum phyſicos dicit, qui dicunt homines ſplene ridere, felle iraſci, iecore amare, corde ſapere, [& pulmone iactari.] *Splene petulanti.* luxurioſo pectore. vehementius enim ſplenetici ſolent ridere. *Cachinno* autem dupliciter exponitur. Siquidem nomen eſt & verbum: nomen eſt, cum per caſus inflectitur, vt hic cachinno, huius cachinnonis, quomodo leno lenonis, palpo palponis. Eſt & verbum, cum per modos & tempora declinatur, vt cachinno, cachinnas, cachinnat, & facit cachino ab eo quod eſt rideo. Cachinnus autem riſus eſt laſciuior cum voce, [quem Græci * μωρογέλωτας dicunt.] *Scribimus incluſi.* Aut ordo eſt verborum, Cum ad canitiem venerimus, tunc ſcribimus incluſi: aut ad poëticam artē retulit, quod ait *Incluſi,* ac ſi dicat, ab omni cura remoti: aut certe *Incluſi,* metri lege coarctati. Ab hoc ergo loco incipit de malis poëtis loqui. *Numeros ille.* Numeri proprie rithmi ſunt. nunc vero metrum ſignificat. *Hic pede liber.* Id eſt, proſaicam orationem componit: quamuis Cicero præcipiat proſaicam orationem ita componendam eſſe, vt etiam certis quibuſdam pedibus & fiat, & terminetur. *Grande aliquid.* Hoc per ironiam dicit: id eſt, putat ſe tragœdiam ſcribere. *Quod pulmo, animæ prælargus, anhelet.* Id eſt, ſermone non humili, imo poëtico ſpiritu, qui proferendo in recitatione pene rumpitur, dum vult hoc, quod ſcribit, inflatius pronunciare. *Animæ* autem *Prælargus,* dicit, vento abundans [ἀπὸ τοῦ ἀνέμου Vt Virg.

Æneid. 8.

**Fed. Morellus legit μωρὸν γέλωτα.*

Quantum ignes animæq; valent. Et alibi.

Ille regit dictis animos. Et Horat.

Impellunt animæ lintea Thraciæ.]

Scilicet hoc populo. qui talia ſcribis, vt populi iudicio digna ſint, qui nunquam recte iudicat, neque ſapit. *Pexúſque.* pectinatus vel tonſus. [Vnde, *propexam in pectore barbam.* Barbitondium eſt tonſuræ genus quo iuuenes tondentur. Vnde ſic tonſi, pexibarbi vocantur. Cuius rei meminit Virgilius,

Barbitō-dium, pexibarbi.

——*candidior poſtquam tondenti barba cadebat.*]

Togáque recenti. noua vel nitida valde. Abuſiue pro noua. Non enim quicquid eſt nouum, recens eſt: ſed naturalia intacta, recentia ſunt. *Et natalitia tandem cum Sardonyche albus, ſede legens celſa.* Id eſt, pulpito. [vel in roſtris recitantes.] & hoc dicit. Ad hoc recitaturus, ornatus & feſtiuus incedebat, vt corporis habitu, non dignitate carminis ſe audientibus commendaret. *Albus*, aut feſtiua veſte indutus, aut † cogitandi pallore confectus, [vel veſte candida, nondum purpureum adeptus veſtimentum, quod laticlauium dicitur.] *Sardonychem* autem gemmam dicit, aut quam ipſe habebat, aut quam ab amico accepit natali die. *Tandem.* In hoc ambiguitas exiſtimatur: quia poteſt dici vel tandem legens, vel tandem cum ſardonyche, vel etiam tandem albus. Alia ambiguitas in *Natalitia*, vtrum eam natali ſuo, munere acceperit, an tantum eo die gerere ſoleat: quia quidam habent anulos, quos die tantum natali gerunt. Sardonyches gemmæ ſunt ſpecioſæ in anulis, quibus in natalibus ſuis * vſi ſunt, & ſacris diebus. *Liquido cum plaſmate.* Πλάσμα dicitur medicamentum, quo recreantur fauces clamore ſauciatæ. [Item *liqu. cum plaſm.* qua vox formatur, hoc eſt per humidas fauces venit, vt Virgil.

† recitandi pauore ac meditandi & ſcribendi tædio perfunctus.

** & conſecratis diebus vtuntur.*

——*& vdæ vocis iter.*]

Vel plaſma lenis cantilena, veluti deficientis gutturis medicamentum. Vel *liquido plaſmate*, id eſt, exquiſito, tanquam eo laueris, & purum reddideris guttur, ac ſi fletu fœmineo agitatum. *Patranti fractus ocello. Fractus*, id eſt, ſolutus, effœminatus. *Patranti*, conſummanti. Patratio eſt rei venereæ perfectio vel conſummatio: vnde & patres dicti eo, quod patratione peracta, filios procreant. vnde Iuuenalis,

——*oculóſque in fine trementes.*

Item *ocello* per ὑποκόρισμα: quia illum contrahendo minorem facit. [& eſt hypallage, vt pictus acu chlamidem, quod fieri ſolet non ſolum ablatiuo caſu, verum etiam accuſatiuo, vt Nuda genu.] *Hic neque more probo.* Hic, dicit, in auditorio, vbi recitant poëtæ: vel *hic* pro tunc: & hoc dicit. Cùm molliter leguntur carmina, audientium quoque animi ad libidinem excitantur, Laudantium lætitiam inſectatur. Cum aut tumultuoſe clamant, aut obſcœnos motus edunt ad dulcedinem carminum, quæ effœminant aures intantum, vt audientium quoque animi diſſoluantur. *Ingentes* autem *Titos*, dicit, aut ge-

neraliter Romanos Senatores à Tito Tatio Sabinorum rege, aut certe à membri virilis magnitudine dicti Titi. [Idem valuiſſet ſi Lucios aut Marcos aut Publicos dixiſſet.] Titos, εἰρωνικῶς Romanos equites, principes magnæ auctoritatis & honoris. [Titos. Tres enim curiæ fuerũt primo Romæ, Titiens, Samnes, Nuceres: Titiens à Tito Tatio Rege Sabinorum participem in regno Romuli. Samnes à Romulo qui Romam condidit. Nuceres à Nuciſmone qui aliquando Romulo auxilium dedit. Alij à luco nominauerunt. Et eſt ſenſus. Hæc enim cum effœminate leguntur carmina, audientium quoque ſoluuntur animi. 35
Itaque neque more honeſto, neque voce virili laudant.] Item συνεκδοχικῶς autem Titos, ſcholaſticos, quòd ſint vagi, neque vno magiſtro contenti, & ad libidinem proni, ſicuti aues, quibus comparantur. Nã Titi. columbæ ſunt agreſtes, quibus ruſtici auditores deſignantur. *Cum carmina lumbum intrant.* Id eſt tangunt. Bene dicit lumbum, & non animum. Dicitur enim libido lumbis immorari. Vel certe cum carmen effœminate recitatum fuerit, repræſentare ipſos concubitus ſolet. Quomodo enim tactus mulierum, mouet intima, ſic & verſus enerues non animum intrant, ſed lumbum. *Et tremulo ſcalpuntur.* Tremulo verſu, id eſt, fragili voce cantante, vbi modulanti verſu pruriũt eorum viſcera, ſicut tempore coitus. *Scalpuntur* dicit, in libidinem excitantur, vt Iuuenalis.

——quod enim non excitant inguen *Lib. 2.*
Vox blanda, & nequam? digitos habet.——

Tun' vetule auriculis. Inuehitur poëta in captatorem laudis incommodæ. *Vetule*, ſtulte, qui ſeneſcis in vilibus carminibus. Et non dicit *ſenex*, ſed vetule. Et dictum eſt ſatyrice *vetule*, id eſt, eius ætatis homo vanæ gloriæ non debet eſſe captator. Scribis ergo, quod te non delectet. ſed quod capiatur auribus imperitis: & ideo laboras, palles, & tibi otia denegas, vt tempore recitationis à pueris tibi plaudatur euiratis & diſſolutis. *Eſcas* autem dicit fauorem vel delectationem: id eſt, exiſtimationem tibi concilias ex fauore imperitorum. *Auriculis, quibus.* id eſt imperitis & ſpurciſſimis. *Et dicas cute perditus ohe.* Id eſt, vigiliis & ſolicitudine ad tenuiſſimam cutem perductus. Aut certe *cute perditus*, ſenectute pallidus: vel, manifeſte cute perditus, vt vitium, quod intrinſecus habes, etiam in cute poſſis habere. *Ohe*, interiectio eſt percontantis cum eadem ratione. *Quid didiciſſe.* Verba poëtæ illius ad quem ſcribit. ſed ἀμηγεικῶς dicit. hoc eſt; Quid proderit didiciſſe aliquid, niſi recitatione pandatur? Et eſt tracta μεταφορᾷ à fermento & caprifico. Sicut enim fermentum maſſam corrumpit, & caprificus ſaxa: ita ingenium pectus. Fermentum enim intra maſſam plus vna hora non poteſt contineri. Creſcit enim & caprificus ex lateribus in quibus eſt concepta. Inuehitur autem in eum, qui

carmina ſua intra ſe non poteſt continere, niſi ea diuulget, licet vana ſint. Et bene caprificum poſuit, quæ cum exierit, nullos fructus ex ſe profert. Item hic eſt ſchema ἀνθυποφορὰ, ἢ μεταπροσωπία, id eſt, à ſe in alium, cùm per ſuam in illius tranſit poëtæ vocem, quam corripiebat: nec tamen receſſit à ſua perſona. Ergo difficultas impoſita ſuſtollitur interrogante ſe, & alio reſpondente. & erit ſenſus ipſius Flacci quaſi dicentis, Et hoc tu putas dulce, quod magis acidum eſt, quàm fermentum: & fructus putas ingenij, quod in iecoribus tuis caprificus innata erumpat. *En pallor ſeniumque.* ἐκφώνησις per indignationem. Pallor eſt anxietas quædam animi, præmaturam faciens ſenectutem. Vel certe pallorem dicit cogitandi. ſiquidem pallent poëtæ cogitando. Senium eſt veluti arceſſita miſeria ſenectutis. *O mores.* defecti & peruerſi. *Vſque adeone ſcire tuum nihil.* Hoc dicit. In tantum ſcientia tua nihil eſt, & ad nihilum redacta, vt aliquid te ſcire neſcias, niſi alterius iudicium de tua ſcientia conſulas? Hæc periodus apud Luciliũ poſita eſt.

*Sic repoſuit Fed. Morellus.

> * *Vt me ſcire volo,* [dicimus] *mi mi conſcius ſum,*
> *Ne damnum faciam. Scire hoc ſe neſcit, niſi alios id ſcire ſcierit.*

Scire tuum, vt viuere triſte. *vt pulchrum eſt digito monſtrari.* Obiectio eſt ſtulti poëtæ. Sed magna gloria eſt in digitos extendentium manus. Hic requiritur hiſtoria Demoſthenis, qui cum tranſiret, & à mercenario tabernæ, digito mõſtraretur, fertur lætatus eſſe, quod ab ignobilibus ſciretur. Et Horat. lib. 4. carminum ſic poſuit,

Ode 3.

> *Totum muneris hoc tui eſt,*
> *Quòd monſtrer digito prætereuntium.*

Tén' cirratorum centum. Poteſt ex perſona Perſij ridicule admirantis accipi: poteſt & ab illo dictum putari, qui gaudet æſtimatione poëtica. Si Perſius dicit, ita eſt intelligendum. Cur non debes lætari? certe maxima eſt gloria laudari à centum cirratis. Si ille dicit poëticæ laudis cupidus, ita. An tu, Perſi, exiguum putas laudari à centum *Cirratis*, id eſt, ſcholaſticis? *Cirratis*, capillatis pueris. [quoniam apud antiquos criniti erant adoleſcentes, vſque ad certam ætatem, quod de Aſcanio Virgilius ait,

> *Fuſos ceruix cui lactea, collaque.*]

Neſcis maximam hanc æſtimationem videri? Et hoc dicit, Pro nihilo ducas ſcripta tua à magiſtris ludi dictari pueris? Mos enim erat magiſtrorum, ex aliquo libro dictare diſcipulis. Occulte autem tangit Neronem, cuius carmina, quia imperabat, per ſcholas celebrabantur. *Centum* autem, finitum pro infinito poſuit, vt Virgilius,

Æneid. 6.

> *Non mihi ſi linguæ centum ſint, oráque centum.*

Ecce inter pocula. Hoc dicit. Quod iuſtum ab iis expectes iudicium, qui iam madentes vino, diſcernunt de carminibus, quæ vix integrius

etiam

etiam à ieiunis diſcerni poſſent? Benè autem dixit *inter pocula*, vbi ſunt inſtrumenta libidinis. *Romulidæ*, id eſt Romani à Romulo, vt Æneadæ ab Ænea. *Dia.* id eſt, ſancta, magnifica, clara, [vt Horatius.

Sententia dia Catonis, & Virg. *Dia Camilla.*]

Quid dia poëmata narrent. Id, quod ſentiendum ſit de poëmatibus: aut qualianum poemata celebrentur. *Hic.* facta in conuiuijs, poematum mentione [dicit aliquis locuples, amatorios verſus, putida cum vox eius videatur emittere per nares.] *Cui circum humeros.* Qualitatem veſtis poſuit, vt per cultum corporis, animi cultum monſtraret. *Hyacinthina læna*, eſt palla variis coloribus tincta: per quam locupletem quempiam vult intelligi. *Rancidulum quiddam.* Id eſt putidum, vel quaſi aſperi ſaporis, corruptæque gulæ. *Balba de nare.* balbutiente lingua. Linguæ eſt enim proprium balbutire. Et hoc dicit. Refert quoſdam verſus ita putide, vt vox eius videatur emitti per nares, repetita ex vitio linguæ. *Phyllidas, Hypſipilas.* Phyllidis Hypſipylēſque reginarum exitus triſtes fuiſſe noſcuntur. Nam Phyllis ægre ferens peregrinationem Demoöphontis, qui ad Troiam profectus, die conſtituto non remeauit, ſuſpendio periit: & conuerſa eſt in arborem Amygdalum ſine foliis. Reuerſus Demoophon, cognita ea, amplexus truncum eſt: qui velut ſponſi ſentiens aduentum, folia emiſit. Hypſipyle vero vna ex Lemniadibus mulieribus, Thoantis filia, Liberi patris neptis, poſtquã eam,* natis duobus filiis apud Lemnios, Iaſon,* reliquit, *ms. facta.
qui eo tempore cum Argonautis venerat, nec ad eã rediit ex Colchis: comperto poſtea illum ad ſuam patriam * rediiſſe: ſe neglectã, ingra- *ms. deſeruit.
tum eius amorem diu ſecum fleuit. His itaque ſiquid ſimile carmini- *ms. remeaſſe.
bũs ſuis poëtæ defleuerunt, ita ſine vocis aſperitate pronunciant, vt audientium aures emolliant, & ponit hiſtorias & ea nomina, , quæ in carminibus neceſſaria non ſunt: ſed quia * rara, & amatoria ſunt, *ms. cara.
ideo ponuntur. [*Probabile ſiquid.* ſiquid flebile.] *Eliquat.* cum lenocinio vocis pronunciat, & vocem diſſoluit in cantilenam. *Et tenero ſupplantat.* tenero *palato* dicit, molli, gracili. *Supplantat.* ſuprimit: mutatis accentibus curtat. Quaſi ſonus vocis canoræ in vltimi palati cauo leniter infringitur, quo iucundior fiat. *Aſſenſere viri.* ἐπηκόους viros dicit auditores. Id eſt, qui eiuſmodi dicta voce ſua laudant. *Nunc non cinis ille.* Verba adulantium per εἰρωνείας. Cinis poëtæ fœlix eſt. Et reprehenſibile notat, quotiens de mortuis, etiam ſi bene loquitur. Veteres autem dixerunt prægrauari corpora eorum, qui tantum corpori ſtudentes, nihil memorabile reliquerunt. *Nunc leuior cippus.* Cippum pro ſepulchro poſuir, vt fermentum pro acido. Proprie autem cippus eſt lapis ſepulchri. *Laudant conuiua.* poëtæ perſonam dicit, hoc eſt, verſus poëtæ ab vno conuiua recitatos. Hoc autem irridens dicit. *E manibus illis.* Hic manes pro oſſibus

poſuit. Iterum facit vocem illius recitantis in conuiuio. *Nunc non è tumulo.* Violæ, res voluptariæ vel amœnæ, quoniam in ſepulchro eorum, qui bene meruerunt, violæ naſci memorantur. Hæc autem verba eius perſonæ facit, quam retulit verſus poetæ in conuiuio recitare, exiſtimantis & dicentis fœlicem poetam eſſe, & illi defuncto leuem terram futuram, cuius ſcripta omnibus dulcia ſunt. Tumulus dicitur terræ aggeſtio, vbi nulla eſt memoria. *Rides ait, &c.* Eſt *ἀνθυποφορὰ*, id eſt, obiectatio illius culpati poëtæ ad Perſium: & hoc dicit: Rides & nimium das operam cachinno. Bene autem dicit *vncis naribus.* Incuruantur enim nares, cum eas ſoluto riſu contrahimus. Vt Horatius in primo ſermonum.

——minus aptus acutis
Naribus.—— & alio loco,
——naſo ſuſpendis adunco.

An erit, qui velle recuſet os populi meruiſſe. Id eſt fauorem. & hoc dicit. An inueniretur homo, qui contemnat fauorem, nec velit, ſi laudetur à præſentibus auditoribus, famam ſibi, ac exiſtimationem poëtæ perennem linquere? *Et Cedro digna locutus.* Carmina digna cedro ideo dixit, quod mos apud veteres erat, vt chartæ in quibus nobilia carmina ſcribebantur, oleo cedrino inungerentur: quia & diuturnabiles faceret, & à tineis conſeruaret. Alij dicunt cedrũ genus ligni eſſe, quod dignum bibliotheca habebatur. Hoc ergo dicit. Quis non velit ea carmina ſcribere, quæ & populus laudet, & cedro perungantur, quo diutius durent? *ζεῦγμα* eſt *velle. Nec ſcombros metuentia carmina nec tus.* Quæ carmina nullum periculum habeant apud ſalſamentarios & turarios. Ideo hoc dicit, quod chartæ, in quibus vilia carmina ſcribuntur, quaſi non neceſſaria, aut ad tus inciduntur inuoluendum, aut ad ſalſamentum. Scombri dicuntur piſces ſalſi, de quibus fit optimum garum. Per ſcombros ergo ſignificat ſalſamentarios, per tus pigmentarios. [Hoc & Horatius in lib. 1. Epiſt. dicit,

Aut fugies Vticam aut nunc tus mitteris Ilerdam.]

Quiſquis es, ô, modo quem. Hæc verba ſunt Perſij ad quemlibet poëtam laudis cupidum: & hoc dicit. At tu quem mihi in hoc libro affatum aſſimulaui aduerſarium, qui mihi obiicis riſum importunum audi. Et eſt mimica & comica exclamatio: quoniam poëtæ nonnunquam omiſſo recto ſermone, extra ſcenam ſoli loquuntur, ſuſtinentes perſonam ſuam: aut aliquorum hominum verba interponunt. Ideo tu quem induxi extra dicentem, * & eam inducit perſonam, quam ab initio induxit, alterna narrantem. *Non ego cum ſcribo.* Ordo eſt, Non ego laudari metuam: & iam dico fauorem expetendum & eſſe gratũ, ſi verſibus laudabilibus exhibetur: & ſi forte aliquid inueniretur in meis verſibus gratioſum (quod raro quidem contingit) non fugio

laudem, cum ſcribo. *Quando hæc rara auis.* Tranſlatio à phœnice, quæ dicitur ſexcenteſimo anno colorem habere venetum: quæ omnes virgulas odoriferas colligit, & ſibi ipſas parat, quæ dicuntur ſolis ardore incendi. mox autem vt ſol occiderit, ſe flammis imponit: & cum ſol oriri cœperit, de cineribus ſuis cum ſole renaſcitur. Et hoc prouerbialiter dicunt. Raram auem eam quam poſt longum tempus videmus. Et hoc verecunde Perſius raro ſe commode dicit ſcribere, ceu phœnix, quæ circa partes Indiæ eſt, tarde ſe ad videndum hominibus profert. Item *ſcribo* præſentis eſt: *exit* ſimiliter, vnde poſteriorem ſyllabam non dubito Perſium doctiſſimum hominem, exit, dixiſſe correpte, quamuis quidam producant eam, & verbum temporis faciant. *Laudari metuam.* Id eſt, nolim laudari. *Neque enim mihi cornea fibra.* [σιδηρόσπλαγχνος. i. corneum pectus. metaphoricos duram quoque & adamantinam dicimus frontem. Improbam fibram pars eſt iecoris] Sinecdochicos pro tota fronte accipi debet. Vnde qui affectibus non mouentur, duram fibram habent, id eſt, præcordia. Ergo hoc dicit, Non tam ab humanitate diſſentio, aut adeo duro ſum ſenſu, vt ea, quæ humanitatis ſunt, ſolus * reſpuam, id eſt, vt poſſim non lætari laudatus, *ſpernam
nec dolore culpatus. Relatum ad regulam patientiæ, quia non negligit laudem & culpam ſpernit.] *Sed recti finémque extremúmque.* Id eſt, quod quæro: & hoc dicit. Laudem quidem amo non falſam, ſed quæ ad finem & ad extremum recti, id eſt, ad veritatem intendit. Finem recti & extremum dicit ſecundum philoſophos, qui ſummum bonum in recto atque honeſto conſtare dicunt. [Vt Lucanus,

Seruare modum finémque, &c.

Eſſe recuſo euge tuum & belle. Neque enim durauit ſenſus tantum ſcribendi, vt ſtatim me recte feciſſe, perfectúmque crediderim, cum tuũ *euge* & *belle* audiero. Hoc enim dici ſolet de Accio Labeone, quod ita voluerit, tanquam in iis ſummum iudicium ſit. Solent namque dici auditores *euge*, & *belle* reſpondere recitantibus. Sed laudationem (inquit) tuam, non puto recti definitionem. Neque enim ſcribentes debent hoc fine eſſe contenti, vt *euge* & *belle* audiant. *Nam belle hoc excute totum.* Tranſlatio à veſtimento pleno ſentibus. vel quibuſcunque corpuſculis, quod dum excuſſum fuerit, quicquid habet abſconditum, proiicit. *Quid non intus habet?* reprehenſionis, vel ineptiarum, [vel turpitudinis] vel deriſionis? *Non hic eſt Ilias Acci.* Hic, id eſt, in ſatyra mea. Accius Labeo poëta indoctus fuit illorum temporum, qui Iliadem Homeri verſibus fœdiſſime compoſuit, ita, vt nec ipſe poëta intellexiſſet, niſi helleboro purgaretur. *Ebria veratro.* Id eſt vitijs plena [vel nimis inſana] Græcè autem Ἐλλέβορον dicitur, Latine veratrum, quod datur inſanientibus, vt eos ad integram mentis valetudinem

abundantia * librorum pinguis ſis, & ventrem habeas vltra * ſeſquipedem extenſum: quomodo tanta obtuſus craſſitudine, poſſis aliquid ſubtile vel tenue ſapere? Operam ſcribendo perdis, cum ventri tuo indulges, vt pinguedine creſcat. Tractus ſenſus ex Græco verſu, quo ſignificatur, ex ventre craſſo tenuem ſenſum non naſci. Aqualiculus proprie venter porci eſt. hic ad ventrem tranſlatio, & eſt hyperbolicos, omnes ſenatores ſtulti ſunt. *O Iane à tergo.* Ianus dicitur bifrons eſſe, qui nec poterit derideri, nec ei à tergo ſanna fieri: per quem vult, quemuis ſapientem intelligi. [Ac per hoc ſolus Ianus eſt ſapiens qui duas habet facies.] *Nulla ciconia.* quam manu formare ſolent irriſores, qui vnitate * colligatos digitos agunt, ad inferiorem partem inclinata, ſimilitudine ciconini roſtri: quod cum præſentant poſt tergum * motantes, derid ant quos volunt. Ideo ſannam Ianus, ſi à tergo fiat, intelligit, quomodo ciconiam pinſit manus, vtpote cui nemo per abſentiam detrahere poteſt. *Pinſit*, dixit aſſidue percuſſit. dictum à piſtoribus. Pilo enim apud veteres frumenta tundebantur: vnde & piſtores dicti ſunt, quaſi pinſores: vel à pindendo. Pindo enim, id eſt, ferio: vnde & piſtillum dicimus, quo terimus in mortario. *Nec manus mobilis*, id eſt facilis, docta. *Auriculas albas*, id eſt aſininas. nam ſic ſtulti ridentur, appoſito temporibus pollice, imitantes aures aſini alijs digitis, quaſi ſannam facientes. Aut protendunt linguam, quantum *Apula canis* multa ſiti. Et bene Apulam, canem dicit, propterea quod Apulia æſtuoſa eſt. Etiam hoc genus ridendi eſt. Nam tria genera ſunt ſannarum: aut manu ſignificare Ciconiam, aut auriculas aſini, aut linguam ſitientis canis, *Tantæ*. Id eſt tantum prolatæ. *Auriculas albas*, ſtolidas eſſe hoc prouerbio ſignificatur, ex quo fabula quoque prodidit Midam animi ſtolidi aſinarias quoque habuiſſe aures, quas albas dicit per ſynecdochen. Eſt enim interior pars aurium alba, vt populum quoque dicimus albam, quod vtique folia eius alba ſunt vna parte, alia parte viridia. *Vos ô patricius ſanguis.* Vos igitur nobili 75 loco nati, (quorum vita ex * debet eſſe,) qui videre quid à tergo fiat non curatis: date operam, vt non derideamini. *Quos viuere fas es occipiti cæco.* Id eſt, quos vos fas eſt in occipitio oculos non habere. (Occipitiũ dicitur poſterior pars capitis, ſinciput anterior) ac ſi diceret, qui non ſentitis vos à tergo irrideri. *Poſticæ occurrite ſannæ*, id eſt, irriſioni, cui non eſtis [Iani] nec poteſtis à tergo riſus videre, nolite vos deridendos præbere. [Poſticæ à poſt factæ.] Antiqui ita fores templorum vel ædium dixerunt antiquas & poſticas. *Poſtica* ergo *ſanna* quæ fit à poſteriori parte. Sanna autem dicitur os diſtortum: cum vultu: quod facimus, cum alios deridemus. Inde ſanniones dicti, qui non rectum vultum habeant. *Quis populi ſermo eſt?* Ad eius perſonam redit, quam ſuperius fecerat dicentem, *verum* mihi dicite de me. Deinde motus

*ms. ciborum plenum.

*ms. ſemis & vno pede.

*ms. collatos.

*ms. motitantes i. mouentes.

indignatione tam prauæ digreſſionis parentheſin facit. Nam contextus hic eſt, *verum mihi* dicite de me, Quis populi ſermo eſt? hoc eſt, quid de me populus loquitur? an bonum poëtam me dicit? *Quis enim, niſi carmina.* Aut reſponſio conuiuæ illius adulatoris eſt, aut ipſius Perſij, Quid aliud, niſi quod talia carmina facis, quæ mollitie & tenero læuore ſuo inoffenſa defluunt, & vnguis ſeuerum iudicium non formidant? Quod autem dicit *vngues*, tractum à marmorariis, qui quotiens volunt bene coaptatam iuncturam marmoreis approbare, vngue experiuntur, ſi vlla inæqualitas ipſam læuitatem offendit. Et verſus ita deduci & dirigi oportet, vt ſolent fabri rubricata linea opus dirigere, quo certius videantur: ad quorum ſimilitudinem diligenter verſus ſine norma faciunt, verſificationi tantum ſtudentes.

80 *Ac ſi oculo rubricam.* Tractum à fabris, qui quotiens volunt rectitudinem lineæ comprobare, retortis in vnam partem oculis ambobus, lineam ex rubrica factam inſpiciunt, ob hoc ſcilicet, ne per oculorum diuiſionem, iudicij veritas confundatur. *Siue opus in mores,* in comœdiam: *In luxum*, in ſatyram, *in prandia Regum*, in tragœdiam: & hoc dicit. Quicquid eis poëtis operis impoſueris, non inuenies illos diſſimiles ſui. Si volueris eum ſcribere comœdias, id eſt mores. nam Comœdia mores hominum exprimit, conuerſationémque. *In luxum* dicit, ſi volueris ſcribere ſatyram, quæ inuentionem continet hominum. Nam ſatyrici hoc habent. *In prandia Regum*, hoc eſt, in tragœdias Oreſtis, Atrei, Thyeſtæ & Procnæ. Nam tales tragœdiæ cœnarum facinoroſarum continent deſcriptionem, qualiter ſcilicet appoſuerunt Thyeſtæ ignoranti membra filij comedendæ. *Ecce modo heroas ſenſus.* Adhuc de malis poëtis loquitur, & dicit. Videmus eos, qui hoc tantum ſciunt, Græcas nugas verbis componere, velle tamen etiam fortes & nobiles ſenſus carminibus pangere, cum neque vilia aut agreſtia carmina * didicerint ſcribere. *Nec ponere lucum artifices.* Id eſt, doctos vel idoneos. Ponere dicit ſcribere, vt Horat.

*mſ. apti ſint explicare.

85 *Scriptor honoratum ſi forte reponis Achillem.*

In arte poët.

Et Iuuenalis,

Satyr. 1.

Semper ego auditor tantum? nunquam ne reponam?

Et hoc dicit. Nec ſcribere artifices nemora, ita, vt varietas arborum enumeretur decenter, vt non * tam ſcribere quam locum ipſum feciſſe videantur. Ecce, inquit, ſenſus nobis heroum facta ſuggerunt, vt ſolent Græcorum moribus pulſati res * magis plenas ſcribere. *Rus* autem *ſaturum* dicit rebus omnibus abundans. *Vbi corbes, & focus, & porci.* Id eſt, fertilem agrum, qui neceſſaria habet, & corbes, & porcos, & Palilia. *Palilia* dicit diem ſacrum in honorem Palis deæ paſtoriciæ, cognominatum: quo die poſitis in foco manipulis fœni, ludibundi ruſtici ſaliebant: qui expiari ſe hoc ſacrificio credebant:

*mſ tantum ſcripſiſſe.

*mſ. nugis

ideóque *fumoſa* dixit. Aliter. Si Palilia diem dicit ſacrum in honorem [Iliæ] quæ peperit Remum & Romulum, quorum mentionem ſacrificiorum Cicero in Philippicis ſic commemorat. Palilia, quæ nunc Parilia mutatis literis dicimus, vel quod eo die condita Roma eſt accenſus manipulis, accenſo fœno colitur. aut Palilia dies feſtus Palis deæ agrorum ſeu paſtorum habitus à veteribus. Varro ſic ait. Palilia tam priuata quam publica ſunt: & eſt genus hilaritatis & * luxus apud ruſticos, vt congeſtis cum fœno ſtipulis, ignem magnum tranſiliant. his palilibus ſe expiari credentes. *Vnde Remus.* Hic occulte tangit Romanos, ex ruſticis & paſtoribus eos originem trahere. Vnde Remus, deeſt natus: id eſt, de ſaturo rure. [Vt Virgilius qui hoc mirè laudauit *ms. luſus.*

Hoc oles veteres vitam.] &c.

Sulcoque terens dentalia. Senſus duplex eſt, & hoc dicit. Non poſſunt rudes poëtæ *ſaturum rus laudare*, vnde Remus ortus eſt, vnde & tu, ô Quinti * Atili Serrane, cum te ante boues dictaturam lictor induit, & tua vxor trepida domum aratrum tulit. Alter ſenſus eſt, aduenient ad ſe lictore cum inſignibus dictatoris, Quintius Atilius Serranus iuſſit vxori, vt has à lictore veſtes acciperet, & ſibi ad locum, in quo arabant, afferret. Ordo enim ſermonum eſt iſte: Cum te ô Quinti, *trepida vxor*, id eſt, rei nouitate perterrita, ante boues dictaturam induit: & tua aratra domum lictor tulit. Quintius autem Cincinnatus cum ſuum agrum exararet & ſereret, dictatura ei à populo Romano vel decreto ſenatus delata eſt: qui contra Samnites progreſſus, victor extitit: qui à ſerendo Serranus appellatus eſt: vt Virgilius, *ms. Tati.*

—— *nec te ſulco Serrane ſerentem.* *li.6. Æn.*

Euge poeta. Ironia per ſpeciem, quæ laudando deridet. *Eſt nunc Briſæi quam venoſus.* aſper, fortis, & valens: Et eſt ſenſus. Sunt qui contemnentes carminis nobilitatem, ſolos ſtudent [veteres] poëtas legere, vt Accium, qui fortia carmina ſcripſit, cuius venoſum ait librū: vel Pacuuium, qui tragœdiam de Antiopa ſcripſit. Briſæum Accium ideo dixit, quia poëtæ in Liberi patris tutela eſſe noſcuntur. Eſt autem Briſæus Liber pater cognominatus, vel, vt quibuſdam videtur, à mellis vſu, eo quod ipſe primum inueniſſe dicatur mel, & ex fauis exprimere. Bris enim iocundum dicimus, vt etiam quidam Breſeida exiſtimant dictam, quod Achilli iocunda fuerit. Vel certe, vt aliis videtur, ab vua, quod vuam inuenerit, & expreſſerit [pedibus.] Briſare enim dicimus exprimere. Vel certe Briſæum dictum ex nomine nimphæ, quæ eum nutriſſe dicitur. Briſæus ideo, quia barbatus colitur Liber pater Briſæus cognomine, & venoſus, quaſi inæqualis, horridus: ſimiliter & verrucoſa Antiopa, quæ eſt tragœdia nobilis Briſæi hirſuti. & tractum à Libero patre, qui in Græcia eſt, vbi eius duæ ſunt

ſtatuæ, vna hirſuta, quæ dicitur Briſæi, altera leuis, id eſt, ſine pilis, quæ dicitur Lenæi. *Sunt quos Pacuuius, & verrucoſa moretur Antiopa.* Id eſt, delectet, & detineat. Antiopa * Fimeri Merei regis filia, ab Epapho per dolum ſtûprata, ob hoc à viro ſuo Lyco eſt ſpreta. hanc relictam Iuppiter conuerſus in Satyrum compreſſit. Iratus Lycus Dircem in matrimonium duxit, cui ſuſpitio incidit virum ſuum cum Antiopa concumbere: itaque imperauit famulis, vt eam vinctam in tenebris clauderent. Deinde euenit vt includeretur: & inſtante pœna Antiopæ, Iuppiter pulchritudine ſeductus, & ardore concubitus, eam à vinculis liberauit, & impregnauit: ex quo concubitu in Cytherone monte Zethum & Amphionem procreauit, qui educati à paſtoribus ſunt: quos poſtquam mater cognouit Antiopa, & eis retulit, quomodo fuerat à Dirce tractata, Lycum interfecerunt, & iniuriam Antiopæ matris, Dirces ſupplicio vindicauerunt. Nam ob crudele ſeruitium, quod ei fuerat à Dirce impoſitum, crudeli tauro alligatam, in ſiluam dimiſerunt. Hinc fons ille appellatus eſt Dirce, qui Thebis vicinus eſt, & ex ipſo loco, in quo & ipſa oſſa collocata ſunt Dirces, ſubtus fluuius emânat. *Pacuuius* & ipſe poëta trâgicus, legitur ab ipſis maxime, qui quondam ingenio eius quamuis horrido delectati ſunt: cujus eſſe Antiopam verrucoſam Perſius dicit, quæ apud Dircem in ſqualore fuit ſeruitio oppreſſa. *Verrucæ* populæ eminentes. Squalore ergo & oppreſſione Dirces, dixit Verrucoſa. *Aerumnis cor luctificabile fulta.* Id eſt, [ærumnis] miſeriis & calamitatibus cor luctuoſum habens, ex eo, quod ſeruiret Dircæ. *Hos pueris monitus patres.* Hoc dicit, Cum videas, quod in ſenectute fere ita afficiuntur oculis: & cum videas non recto parentũ iudicio hæc ad filios vitia permanaſſe, non bene ſequendo poëticam materiam, cur mireris & interroges, vnde in linguis iuuenum hæc loquendi ariditas perſonet: aut hoc genus loquendi tam ſordidum in locutionem venerit Latinorum? Metaphora pro garrulitatis ardore arguta & ſine ſenſu, qualis ſtrepitus eſt *ſarcaginis. Vnde iſtud dedecus.* Locutionis ſcilicet, in quo *Troſſulus exultat tibi.* Troſſulos equites Romanos dicit, qui impudentiſſime exultant. Troſſulum autem oppidum fuit Etruriæ non longe à Volſcis. Hoc equites Romani ſine peditibus expugnauerunt, Numio quodam duce, vnde equites Romani, Troſſuli dicti ſunt. Aut toroſi adoleſcentes. Troſſulus, id eſt, breuis, & compactæ naturæ. Poteſt & ſic intelligi. Ita, inquit, exultant, ſine reſpectu honeſtatis, tanquam Troſſulũ cepiſſent. *Lêuis.* i. [aut] Ephebus. [aut eo quod eques lêuis, aut citus in leuando ſe, aut certe lêuis nihil in ſe habens ſeueri iudicij] *Nil ne pudet capiti.* Hoc dicit. Non eſt tibi pudori & verecundiæ, vt de capite tuo tam grandæuo & ſenili, diſcrimina non abiicias? hoc eſt, vt illa quæ inepta ſunt, & ſine viribus,

*ms. Niſtei regi.

liceat

liceat te fauorabiliter audire? *Pedius quid? crimina raſis.* Id eſt, expolitis & purgatis. Pedius quidam illo tempore damnatus [eſt pecuniarum] repetundarum: cui cum crimen obiectum eſſet furti, non ſe fortiter reſpondendo purgauit, ſed ex compoſitione verſuum fauorem quæ- 100
rebat, figuris dictionum ſeruiens, ſecurus criminum diuerſorum.

Antitheta autem ſunt hæc.

Fortia neglecti velabant colla capilli:
Et per neglectos velabant colla capillos:
Aut quotiens vmbra porrexi brachia mota:
Aut quotiens vmbra reduxi brachia mota.

Et eſt ſenſus. Cum propoſuerit Pedius in carmine ſuo, crimen obiecti furti purgare, omiſſa criminis materia ad verſuum figuras & antitheta commigrauit: quæ quidem eſſent in libris eius laudabilia, niſi ordinem materiæ perturbaſſent. *Librat,* id eſt, quadam moderatione verba trutinat. *Antitheta* autem iſta ſunt, quæ contra ſe ponuntur, vt hac parte [pudor] pugnet [illinc] petulantia: hinc pudicitia: illinc ſtuprum: hinc caſtitas, hinc fides, illinc fraudatio. *Doctas poſuiſſe figuras laudatur.* Quia laudatur Pedius docte poſuiſſe figuras, non crimen ſoluiſſe, vituperat aduocatum, qui breui ſermone obiectum crimen non diluit, ſed ambagibus diſtulit. *Bellum hoc, bellum eſt. An Romule ceues?* Hoc dicit, O Romane, hoc quod laudas, & dicis eſſe bellum, vere eſt bellum. An ceues, id eſt ad turpitudinem inclinatus non ſyncere iudicas. *Ceues,* molleſcis? Molles & obſcœnos clunium motus ſignificas. An tu ô Romule, id eſt, Romane, vir non es? *Mén' moueat quippe.* Ab exemplo vituperat. Hæc ſimilitudo ducta eſt ab iis, qui mendicant & cantant. Hoc ergo dicit. Naufragus ſi velit ad miſericordiam meum animum flectere ſola dulcedine cantilenæ: materiam autem ſuæ calamitatis opprimat, in nihilo proficit, neque ei aſſem pro concinentia conferam: ſicut & poëta à me laudem non meretur, qui in ſolis figuris verſuum, neglecta carminis materia vigilat. *Cantas cum fracta te.* Apud veteres, paſſi naufragia, tabulam, qua fuerant liberati, pingebant, ne omnibus cladem ſuam mendicantes narrare cogerentur. Inuehitur ergo in illos, & dicit. Qui me volet flectere ad miſericordiam, lachrymis flectat, non cantu vocis. ἀλληγορικῶς arguit malum poëtam ſcripta ſua canore vocis commendantem non dignitate carminis. *Verum, nec nocte paratum.* Verum nomen pro aduerbio vere poſuit, hoc eſt non ſimulate: & hoc dicit: Qui * noſtram cupit *ms. meã.
elicere miſericordiam, non exerceat lamentationem nocte paratam: & cogitatam: quia me non inflectet, eo, quod otium omni die habeat, & ſe plorare fingat. *Sed numeris decor eſt.* Obiectio ſuperioris. Sed vide, 106
quia ſi verſus læuigatus ſit, non pro nihilo eſt. Et eſt ordo, Numeris crudis addita iunctura decor eſt, id eſt, metris addita iunctura decor

eſt, id eſt, metris addita iunctura honorem affert. Ergo quemadmodum ſemicrudus cibus lacerat mentes: ſic & verſus ſemicrudus interficit. Sarcaſmos obiicit. Sed videlicet, inquit, putant ſe nouum facere, decorémque inueniſſe crudis & duris ſenſibus, ſi compoſiti ſint aliqua lenitate: & ſtatim legitima poëmata putant ſe ſcribere, ſi verſus ſpondaicos ponunt, duobus vltimis ſpondæis claudentibus, vt Virgilius, *Li.3.Æn.*

Cornua velatarum obuertimus antemnarum.

Et diſyllabo ſpondæo terminant. *Claudere ſic verſum.* Hi verſus exempli cauſa proferuntur. non autem ſunt Perſij, ſed poëtæ neſcio cuius Græciſſantis, qui cum mare deſcriberet, ita dixit Atyn, delphin in extremitate verſuum: quod *huius ſæculi poëtæ affectant, ſuorum* iudicia verſuum *Berecynthius atys.* Non quod Atys Berecynthius carmina ſcripſerit ſic compoſita, ſed *nomen tale poſitum à poëta illo in fine verſus. Similiter & delphin bene ſonat. Et dicit hos verſus Neronis in hæc nomina deſinentes. *Et qui cæruleum dirimebat.* Id eſt, ſeparabat. Arionem dicit Citharœdum, qui à piratis captus, cum ab iis imperaretur, vt caneret, delphines venerunt. Ille ſe in mare proiiciés, ab iis exceptus, & ad littus perductus eſt. *Sic coſtam longo.* Coſtam, id eſt, ſyllabam. [Sicut robur carminis leuitate euirauimus linguæ, intermiſcendo græcas gloſulas. hac etiam conſuetudine: Et ſpondaicos verſus temperauimus facere &] de longitudine metri Heroici, ſyllabam ita ſubtraximus, tanquam de longitudine Apennini montis partem aliquam demeremus. [*Sic coſt. lon.* ſic longo verſu. i. Heroico, qui prolixior eſt.] Ergo ſic & huic verſui coſtam, id eſt, ſyllabam, ſubduximus, & fecimus molliorem verſum σπονδειάζοντα, vt eſt Apennino vna ſyllaba ſublata. Coſtam dixit, & molliorem verſum factum, quod fœminæ dicantur vna coſta minus naſci. Omnia Epicorum carmina ita fere ſunt compoſita, vt proximus pes ab vltimo, dactilus nõ ſit, exceptis admodum paucis, quos ſpondaizontas appellant, vt apud Cornelium Seuerum,

** ms. huiuſmodi.*

**ms. vitia*

**ms. quod poſitũ ſit à poëta illo in fine verſus ſue cantilenæ tale nomẽ & ſimiliter delphin bene ſonat.*

Pinea frondoſi coma murmurat Apennini.

Ex dactylo enim, qui tribus ſyllabis conſtat, tranſit in ſpondæum detracta ſyllaba vna, pro qua *coſtam* dixit. Sed ita placuit, vt exempli loco daretur. Longum igitur Apenninum, non quod à ſuperiori mari ad inferius extenditur, ſed *quia duobus ſpondæis terminatur. Hoc genus verſus ſi quando euenit, præſtat decorem: ſi affectetur, mouet riſum. [Sunt tamen qui affectent longo Apennino in longis ſyllabis extenſo.] *Arma virum, nonne hoc ſpumoſum.* Quæritur de iis, qui carmina Virgiliana reprehendunt. Nonne, inquit [Perſius] in hoc eſt laudandus Virgilius quod ita inchoauit? Arma virúmque cano? [Quid habet in ſe iocunditatis vel lætitiæ] εἰρωνικῶς dicit carmina arida Vir-

**ms quod dactylus & ſpondæus verſus.*

gilij videri: & hos verſus horridos nihil lætitia habentes: placere autẽ ea, quæ ipſi vitioſiſſime ſcribunt Græcis decorata nominibus: atque ita molli & flexa ceruice debeant legi, velut verſus, qui ſequuntur. non ita aſperum carmen eſt, vt ſpumam remitteret. Ergo puto ita durum eſſe hoc vitium, vt corticem arboris vetuſtiſſimæ. *Suber* autem dicitur cortex arboris. Virgilius;

Huic natam libro, & ſyluestri ſubere clauſam. Æn. 11.

Quidnam igitur tenerum? Id eſt fluxum, & delicatum. *Laxa ceruice,* molli madente. *Torua Mimalloneis.* Dicit εἰρωνικῶς carmina poëtarum illius temporis plena Græciſſationibus, nullum habere intellectũ, quæ tamen cum neſcio qua modulatione reſonent. Mimallones dicuntur miniſtræ Liberi patris ἀπὸ τῆς μιμήσεως, id eſt, ab imitatione furoris dictæ. [Vnde & maniam dicimus quaſi mamiam & per compoſitionem quaſi ἄμιμον nominamus.] *Torua Mimalloneis.* Hi verſus Neronis ſunt, & huic ſunt compoſiti. Calandrus Illyriorum rex, ad Macedoniam cum exercitu venit: Macedones cum paruum exercitum haberent, plurimas mulieres coturnis & thyrſis in modum Baccharum ornauerunt. Illi credentes exercitum aduentare diſceſſerunt. [Mimallones autem dictæ ἀπὸ τῆς μιμήσεως, quod imitarentur furorem Liberi. Dicuntur autem bombiſonæ & Mimallones: *Bombus* autem ſonus eſt tubarum raucus, nec valde acutus. Idcirco in ſacris Liberi patris Bacchæ hos ſonos tubarum faciunt, quia primus triumphauit, primus militiæ ordinem dedit & docuit. Ipſe autem Perſius finxit, hos verſus, velut alij dicunt, in aliorum imitationem, quorum ſcripta ſonũ grandem habent, ſenſum nullum. *Et raptum vitulo.* Pentheum ſignificat, Agaues & Ethionis filium, qui Liberum patrem negabat Deũ, quem mater Libero ſacra faciens, furore correpta, ſub imagine vituli trucidauit: quem mox depoſito furore cognouit, cum in ſuis manibus caput filij cerneret, conuitiata Libero eſt. *Superbo* autem, ſacrilego conuicianti Libero. *Baſſaris.* ipſa Agaue: à qua Baſſaride, omnes Bacchæ dictæ ſunt: ſed etiam Liber pater, vt Horat.

——non ego te candide Baſſareu

Inuitum quatiam.—— Lib. 1. Ode 18.

Quibuſdam videtur, à genere veſtis, qua Liber pater vtitur, demiſſa ad talos, quam Thraces Baſſarin [vocant.] Quidam à vulpibus, quarum pellibus Bacchæ ſuccingebantur, & lyncum pantherarúmque pellibus. Vulpes inde Thraces Baſſares dicunt. *Et lyncem Mænas flexura corymbis.* Corymbis, id eſt, racemis hederarum. Lynx eſt beſtia Libero patri conſecrata. [Vt Virgil. ait.

Quid Lynces Bacchi.]

Mœnas Baccha, à furore dicta. μαίνεσθαι enim Græce, Latine dicitur furere, quod ſignificat currui Liberi patris Lynces ſubiectas, eáſque

hereda & pampinis indutas regere. [Vt Virgil.

Nec qui pampinei victor iuga, &c.]

Euchion ingeminat. Id eſt, clamat, quæ vox Libero patri celebratur à Bacchis. Liber autem pater Euchius dictus eſt ex eo, quod in bello giganteo non apparuiſſet, & credidit eum pater diſcerptum à gigantibus, & dixit *heu*, quæ vox gementis eſt: & deinde adiiciebat *υἱὲ*, id eſt filium miſerum, vel vbi es. Clamantium ergo Baccharum vox Euchiō ingeminat, & *aſſonat reparabilis Echo.* Epitheton eſt Echonis, quæ reparat verba audita. *Hæc fierent, ſi teſticuli.* Quaſi prius increpantis verba: & hoc dicit. Tam mollia & virtute [rerum] carentia carmina, qualia ſunt hæc de Bacchis & de Satyris ſcripta, ſi in nobis aliquid paternæ virtutis remanſiſſet, componeremus? id eſt, non talia poëmata à quoquam ſcriberentur, ſi quicquam in nobis virilitatis eſſet, vel ſi aliquam partem haberemus bonorum, * quæ patres priores habuerunt. Alij tradunt, ſi non degeneraſſemus à noſtris parentibus: vel ſi maſculi eſſemus non delumbes. *Summa delumbe ſaliua.* Delumbe eſt carmen, id eſt adumbratium, nihílque ſolidi habens, ſed fractum & eneruе: quia in lumbis vel renibus virtus eſt: quam dicit iſtos non habere. *In vdo eſt Mænas & Atys.* Hæc prouerbialiter dicuntur poſita eſſe in vdo linguæ: & ſoluta ſunt, & nihil rigidi & aſtricti habentia, vt eſt Mænas & Atys, vt ex his verbis conſtet ipſos, qui recitant, in vdo eſſe, id eſt, in palato, vnde humor naſcitur. Athyn námque & Mænada dicere promptum eſt, & ſine tormento cogitatum venit, ore primo emiſſum. *Nec pluteum cadit.* Lecticæ ſiue plutei lecti. Sponda eſt exterior pars lecti, pluteus interior. Et eſt ſenſus. Quomodo poteſt eſſe ſenſatum carmen ſcribentis, cum ingenium leuitas non pondus ſequatur? quod nec diu cogitatum eſt, nec factum manu quærentis aliquid mirificum afferre. Aut quo *vngues* rurſum præ indignatione raſi non ſunt. Nam qui cum cura ſcribunt, ita intenduntur animo, vt pluteum vel tabulam feriant interdum, & etiam vngues corrodant: vnde Horatius in primo ſermonum,

* ms. qua patres eſſe poſſemus.

Satyra vltima. *Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues*:

Quorum nihil [id eſt vngues non rodunt nec pluteum cedunt, nec vt bene faciant laborant,] faciunt leuium carminum, auctores. *Sed quid opus teneras,* id eſt molles, vel tractabiles. Vel ſe caſtigat, quod nimium libere ſe gerat. Vel libellus reſpondet, apud quem Perſius, vt ſupradictum eſt, inchoato ſermone ſingulariter inductis perſonis locutus eſt. Ergo vera ſunt inquit, quæ dicis, ſed minime opus eſt mordaci vero auriculas *radere,* id eſt, perſtringere vel lacerare. Et bene *mordaci vero* dixit. Veritas enim morſum habet, & odium parit ſeu creat. *Vide ſis.* Id eſt ſodes, vel ſi vis [aut certe caue:] ecce prædico, tibi caue, ne noceat tibi potentium familiaritas, & excludaris de domo amicorum,

cum vis vera loqui: aut certe *limina frigeſcant*, id eſt, frigus tibi afferãt, id eſt mortem. *Sis* pro ſuis apud antiquos ponebatur, & ſos pro ſuos, ſas pro ſuas, detracta v litera. Interdum ſis pro ſi vis ſonat. *Sonat hic.* in domo diuitum. Nam canes laceſſiti, conantur R literam minitabundi exprimere. Idem facturos diuites ait, ſi verum audiant. *Per me equidem.* Et Perſius, Quia iraſcuntur ergo, ſi aliquid de ipſis dixero, nihil dico. *Sint omnia alba,* id eſt, bona: quomodo & nigrum malum dicimus, vt Horat. *Lib 1. Serm. 4.*

——*hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.* [& Iuuenalis
Maneant qui nigrum in candida vertunt.]

Euge. Hæc pars orationis eſt laus. *Hoc iuuat, hic inquis. Veto.* Inquis, quod hoc delectet aures eorum, vt veritatem non audiant. Si ita eſt, conſentio & ego voluntati tuæ, neque audeo carmina tua in quoquã vitiare, non veritati ſed voluntati tuæ inſeruiens, vt pueris ne in loco ſacro micturiant, anguium pictura terrori eſt. Ergo tam valde interdicunt diuites, ne vituperentur, quam qui aliquem locum vrina infectum olere nolunt, & pingunt duos ſerpentes iuxta conſecrationis ſimilitudinem. *Faxit* priſca conſuetudine, dixit, pro faciat. *Oletum,* locum putidum, in quo ſolent pueri mingere. ἀπηγγελικῶς, nolo mè quiſquam vituperet. Hic quaſi ſecunda perſona loquitur. *Pinge duos angues.* ſub ſpecie religionis, qui meiere volentes ſummoueant. Mos erat, vt tabernarij cupientes terrere pueros, ne mingerent per ſtationũ ſuarum angulos, pingerent ſupra duos angues: deinde interdicerent micturientibus, oſtendentes religionem loci, per quod deſignat ſat ſacrum: quoniam, inquit, pueri ſi videant pictos dracones, ſacrum locum exiſtimantes, mingere illic ceſſabunt. Ita volo, vt nullus poëta faciat oletum, id eſt, ſatyram apud me. Tabernariorum ergo exemplo interrogat amicum, Vis à me neminem maledici? deſine, quæ vitia non oporteat, tangere. *Secuit Lucilius vrbem.* Quid ergo? Quod alijs licuit, mihi non licebit? Certe nouimus Lucilium in vrbe Roma ſatyrographum, ita inuectum eſſe in vitia, vt videretur non mores carpſiſſe, ſed homines vulneraſſe & necaſſe. Quos enim non vituperauit, & vitiauit? Conſidera * Lupum, Mutium, & alios proceres noſtræ reipublicæ: nec tamen ei nocuit iracundia laceratorum, ſed profuit. Ita autem inuectus fuit in vitia nimio furore iracundiæ elatus, vt frangeret genuinum illorum. *Genuinus* proprie Deus, qui ſub genis eſt, qui ſimul cum homine naſcitur, & vna cum eo interit: qui Deus à Græcis σωφρονιστὴρ vocatur. Vel dentes vehementer mordentes Genuini dicuntur, quos Græci κυνόδοντας appellant. Alij eiuſdem numeri molares vltimi in vtriſque maxillis, qui poſt viceſimum annum accreſcunt, & ſponte naſcuntur. *Vrbem* autem ideo dixit *ſecuit,* quia tribus omnes * triginta quinque lacerauit, ex quibus vrbs tota con-

*ms. Lucium.

*ms viginti quinq;

ſtat. *Omne vafer vitium.* Horatius Flaccus non cum inuectione, vt
130 Lucilius, hominum vitia caſtigauit, ſed vt rideret: & is qui emendabatur, circa viſcera eius medendi præcepto verſabatur ita, vt amici, qui eum audirent recitantem, putarent non tangi vitia eorum. Deinde cum dicta diligentius apud ſe pertractarent, viderent vitia ſua per illum deſcripta. tamen laudem eum lacerando minuere paſſi non ſunt. *Callidus excuſſo populum.* ſciens populum ſecundum arbitrium ſuum tractare. *Excuſſo naſo*, emuncto, vnde intelligitur prudenti: vt è contrario qui ſtulti ſunt, mucoſi dicuntur, ita prudentes emuncti. Horatius Flaccus ſubtili oratione, eos, quibus recitauit, lacerabat. *Men' mutire nefas?* Hoc dixit. Lucilius liber reprehendit alios, & Horatius: mihi autem aliquid mutire nimium eſt? Prouerbialiter dicimus, Muttum nullum emiſeris, id eſt, verbum. *Nec clam*: id eſt, non occulte. Ita dictum eſt, vt ſi dixiſſet, men' muttire nefas nec clã, nec cum ſcrobe? *Nec cum ſcrobe.* Midæ hiſtoriam tangit, quæ talis eſt. Mida rex Lydiæ fuit cognitor adhibitus à Marſia & Apolline decertantibus inter ſe: quorum audita cantilena præpoſuit Marſiam. Iratus Apollo damnauit eius ſtultitiam auribus aſininis, quas ab omnium aſpectu corona impoſita prohibebat. Dum tonderetur autem, à ſuo liberto tonſore metuens hoc ab eo diuulgari, ei pœnam impoſuit. Cum ſilentium quoque intra ſe continere non poſſet, ſcrobem fecit, & ita quod viderat, canna terræ incuſauit. Siquidem ex eadem canna, (quæ in ſcrobe nata fuerat,) paſtores fecerunt fiſtulam, & cum ipſi aliquid cantare vellent, fiſtula, tonſoris verba narrabat, id eſt, Mida rex auriculas aſini habet. Quod autem terræ ſeminibus
135 inculcatum fuerat, hoc ipſum canna cantabat. Hoc ergo Perſius dicit. Nec illius more tonſoris clam licebit ſuper ſcrobem garrire, quia mihi non licet aperte nec clam conqueſtionibus vti. *Hic tamen infodiam*, vt quod ille ſcrobi inſuſurrauit, ego tibi libello meo infodiam, id eſt, committam & inſcribam, vel incipiam ad librum meum dicere, O libelle, Vidi homines ſtultos in hac ciuitate. Et dicitur Neronem & Claudium tetigiſſe ſub allegoria Midæ, qui aures maximas habuerunt. Denique Perſius hoc mutauit, ita ponens, *auriculas aſini quis non habet?* veritus, ne Nero in ſe dictum putaret. Perſeuêrat autem in metaphora, quod dixit *infodiam*, quia ſuperius dixit in *ſcrobe*. *Quis non habet*, pro rege Mida poſuit. *Hoc ego oportum.* Senſus eſt. Hoc carmen meum, quod latens eſt, obſcurum, nullius momenti, & ridiculoſum. atque ineptum, quod ego compoſui, quo rideo, quo delector: non tibi illud dem, ſi mihi Iliada Labeonis, aut Neronis Troicon tradas. Scripſit enim Nero Troicon. Hoc autem per ironiam dicit. Riſus occultus ſignificat non plebeiam perſonam annotari, quóniam in Neronem dixit. *Audaci quicunque afflate.* Metaphora ab incendio,

afflatus es. Cratinus, Eupolis, & Ariſtophanes comœdiarum auctores fuerunt, vt meminit Horat.

Eupolis atque Cratinus, Ariſtophaneſque poëtæ. Lib. 1. Serm. 4.

Primi etiam exemplum dederunt liberè ſcribendi, qui cum amaritudine multa inuecti ſunt in principes ciuitatis: propter quod lege duodecim tabularum cautum eſt, vt fuſtibus feriretur, qui publice inuehebatur. Nam vnicuique ſuum epitheton dedit. ſiquidem audacem Cratinum dixit, iratum Eupolidem, Ariſtophanémque prægrandem, quia nullus eum poëta ſatyrographus antecedit. & hoc dicit. Qui afflatus es Cratino, & palles legendo Ariſtophanem: & mea carmina lege. *Aſpice & hæc. Si forte aliquid decoctius.* μεταφορὰ à vino quod coquitur ad dulcedinem. aut certe tranſlatio eſt de conflato auro vel argento, quæ quanto magis coquuntur, tanto magis præfulgent. Ergo hoc dicit, Vide mea * carmina ſi poſſunt tibi placere: ſiquidem in meis dictis aliquid pulchrum inuenies, quicunque inſtructus animum Cratini ſatyra, mihi venis auditor. *Decoctius, vaporata,* tranſlationes pulchræ. *Inde vaporata.* Id eſt, illorum ſcriptis accenſus, veniat, qui vult mea carmina legere. *Non hic, qui in crepidas.* (Crepidis Græci à ſe repertis vſi ſunt. Eſt autem genus calciamenti ſingulari forma, & idem vtrique pedi aptum. Crepidas autem dictas, quod cum ſono ſtringantur: ſiue à pedum crepitu inambulando. Cothurni ſunt, quibus calciabantur tragœdi, qui in theatro dicturi erant. *Sordidus.*) nullius verbi penſator, moribus ſcilicet ſordidus. & hoc dicit, Non ille me legat, qui habitum Græcorum cupit deridere, cum ſit impudicus, & iocari ſibi ſine vrbanitate permittet. Hoc de Nerone, qui inuehitur contra tragœdiographos. Vel aliter, Alter, qui patitur philoſophorum calciamenta riſu digna iudicare, *geſtat,* gaudet. *Crepidas,* caligulas, quibus vtuntur philoſophi. *Et Luſco, qui poſſit, dicere luce.* Naturalia vitia ſunt, vt homo ſit Luſcus: hominum vitia ſunt, vt ſit quis improbus in moribus. Ergo qui ſapiens eſt, quod naturale eſt vitium non imputat. Hoc ergo dicit, Nec ille mihi ſit auditor, qui fortunæ vitia deducit ad iocos, id eſt, ſtultus, dum de moribus debeamus eſſe obnoxij. *Seſe aliquem credens. Supinus,* id eſt, ſuperbus. Hoc inquit. Nec ille mihi ſit auditor, qui ſe putat honoratum eſſe & incomparabilem propterea, quod meruit dignitatem ædilitiam in aliquo oppido Italiæ, fracturus inæquales menſuras, id eſt, minora vaſa, ex Aretio municipio, vbi fiunt Aretina vaſa. *Nec qui Abaco numeros.* Id eſt, ſtultam vrbanitatem habens. Nec ille ſit auditor mihi, qui deridet ſtulta vrbanitate geometras. Abacus enim dicitur menſa, in qua Geometræ deſignant loca vel menſuras. *Et ſecto in puluere.* Nec illo delector, qui alienus literis liberalibus deridet Geometriam. Geometræ conſueti ſunt in abaco radio, id eſt aliquo

*ms. dicta

ſtilo formas aliquas & menſuras in ſummo terræ annotare. *Multum gaudere paratus.* Ille ſtultus paratus gaudere, ſi viderit meretricis manum, delicatam philoſophi barbam tenentem: quod de Diogene Cynico philoſopho dicitur, & Laide meretrice, (vel Thaide.) *Cynico* ideo, quia habebant philoſophi communem vitam. Item quibuſdam videtur in philoſopho derideri iſta res, ſed minime. nam impudentia potius meretricis vituperanda eſt, non patientia philoſophi deridenda. *Nonaria* autem dicta eſt meretrix, quia apud veteres à nona hora proſtabant, ne mane omiſſa exercitatione [militari] illo irent adoleſcentes. [Significat autem Laydem quam Diogenes amabat.] *His mane edictum.* In vſu fuit, vt Prætores edicta proponerent certis temporibus compellentia debitores ſatisfacere creditoribus. Ergo ſi huiuſmodi homines deriſores ſunt rerum propoſitarum à me, inuicem mutabo eorum riſum in lachrymas, oſtendendo eis edictum Prætorium, cuius aſpectus debitoribus horribilis eſt: ac ſimulatque incaluerint potu, do eis cantandam tragœdiam poëtæ cuiuſdam indocti, qui Calliroën vel aliquam hiſtoriam pueriliter & indocte ſcripſit. [Velut alij dicant.] Hæc Callirhoë nympha fuit, quam Paris ante Helenæ raptum habebat, quæ deſerta, multum dicitur rupti amoris dulce fleuiſſe conſortium. Hanc comœdiam ſcripſit Atines Celer pueriliter vel certe Calliroë pantomima (fuit.) Mane ergo edictum Prætoris, ſcilicet ob culpam, vel [vt propter] æs alienum: deinde poſt prandium animi voluptates. Nolo me legant circulatores, qui mane edictum conſulis aut imperatoris populo recitant, meridie leuia carmina dicunt.

IN SATYRAM SECVNDAM.

1 HVNC MACRINE DIEM. Hanc Satyram ſcribit ad Plotium Macrinum de bona mente: ſignificátque eodem die eiuſdem Macrini natalem eſſe, quem diebus latis albo calculo more Cretenſium, indicat aſſignandum. Ná Cretenſes diffinientes vitam ex lætitia conſtare, dies lætos albo lapillo, & triſtes nigro indicabant: poſtea computo facto lapillorũ, videbant, quantos dies in anno lætos vixerãt, [vel habuerunt] & eos ſe vixiſſe teſtificabantur. Nam etiam in tumulo cuiuſdam ita ſcribebatur. Vixit annos tot, durauit autem tot. Eſt autem hic ſenſus & in Horatio,

Lib. 1. Ode 36. *Creſſa nec careat pulchra dies nota.*

Et dicit

Et dicit placandos Deos non ſumtuoſis ſacrificiis, ſed ſolo mero, ideo quod Macrinus nihil iniuſtum ab eis petat, niſi hoc ſolum, quod poſſit etiam ſine ſacrificijs mereri. Bona enim hominibus dij ſponte concedunt. Irridet autem eos, qui putant ſuæ malitiæ effectum ſumptuoſis ſacrificijs promereri. Alloquitur Macrinum hominem ſane eruditum, & paterno ſe affectu diligentem, qui in domo Seruilij didicerat: à quo agellum comparauerat indulto ſibi pretio aliquanto. *Qui tibi labentes.* Labentes dicit natura lubricos, vt Ouidius,

Labitur occulte, fallítque volatilis ætas. Lib 10. Met.

Et nihil eſt annis velocius. & Horat. Lib. 2.

Heu heu fugaces Poſthume, Poſthume, Ode 14.

Labuntur anni,

Apponit autem dicit adiungit: quia ad præteritos alij accedunt. [Item Horatius,

Et illi quos tibi dempſerit apponet.]

Non tu prece. Non tu, inquit, ea poſcis emaci prece, quæ niſi ſecreto optari non poſſunt propter turpitudinem ipſius voti: ſed illa ſcilicet aperte petis, quæ bonæ fidei ſunt. Et notandum *prece* numero ſingulari, vt Horat.

Lib. 1.

—— prece qua fatigent Ode 2.

Virgines ſacræ minus audientem.

Emaci prece dixit ab emendo, quod emat votum Deorum precibus. *Seductis.* id eſt, dono corruptis dijs: quia putant impia poſtulantes, promiſſis votis, Deorum redimere voluntates. *At bona pars procerum.* 5 Satyrice carpit nobiles perſonas, licet ad amicum ſcribat: & cũ aliud agere videatur, efficit tamen aliud. *Bona* autem ait, id eſt, magna. *Acerra* autem, patera in qua libatur. Virg. Æn. 5.

& plena ſupplex veneratur acerra.

Aut acerra, id eſt, arca turis. *Tacita* autem ait, pro taciti ipſi, qui ideo palam non orant, ne iniqua eorum petitio audiatur. Iuſta vero principum pars, cum ſacrificat, nihil neque murmure, neque clam à Dijs petit, ſciens Deum noſſe, quibus indigeat. *Tacita acerra*, id eſt, ſine hoſtia: aut tacita prece acerra libabit. *Haud cuiuis promptum eſt.* Non cuiuis facile eſt, nec poteſt hoc inueniri in homine, vt faciat vota euidenter & dilucide, aſciſcens omnium notitiam teſtem. Difficulter poteſt inueniri, qui ſine murmure & ſuſurro vota faciat. Pene enim æqua nemo precatur. Alia expoſitio. Nõ poteſt quiuis ſine murmure optare, nec facile cuiquam contingit clare à diis poſtulare, quæ petit pro eis, qui humiliter fundunt humiles ſuſurros. [Vt Virgil.

pergentes humilis ſtrauit pauor

Id eſt, qui eſt humilium animorum:] *Mens bona, fama, fides hæc clare, & vt audiat hoſpes.* Hoſpes pro quolibet ignoto poſuit, & hoc dicit,

D

Mentem bonam, famam, fidem, clare optant, ita, vt omnis prætericns audiat. *Et* ſubaudiendum. Hoc dicit, quia hæc nullum lucrum in ſe habeant ſine aliqua dubitatione: & ideo peregrinis auribus committunt, vt bene ſentiant eorum mentes, & vt exiſtimationi eorum placeant. *Illa ſibi introrſum.* At ea, de quibus erubeſcerent, nequis audiat, murmure intra ſuam conſcientiam celebrant, & magis hæc animo deprecantur, neque vltra murmur vota * ſua neceſſaria efferunt conſcientia ſua deterriti. Hæc intra ſe nequiore voto agunt, vt patruus moriatur, vt pecunias inueniat: aut pupillus, cuius hæreditati ipſe proximus eſt, intereat. *O ſi ebulliat patrui.* Hypallage. non præclarum funus, ſed quia præclaram dat hæreditatem. [vel præclarum funus ſi patruus ebulliat.] *Ebullire* autem proprie expiare, metaphora ſumpta à bulla, quæ aliquo venti tenore ſuſtentatur: quæ bullæ cum in aqua fiunt cadentibus guttis, rumpuntur, & ſpiritum quo continentur, amittunt: ex quo etiam prouerbialiter dicitur, *homo bulla eſt.* propterea *ebullit,* id eſt, expirat. Nam cum ebulit aqua igne ſubiecto, altius quidem vapor emittitur. Ideo eleganter dixit *ebulliat.* ſiquidem ſenum fata tarde coquuntur, hoc eſt, terminantur, hæredum cupiditate præcipiti. *Et ô ſi ſub raſtro.* Item optat, vt dum * ſuum opus exercet, Hercule propitio theſauros inueniat. Et idcirco Herculem ponit, quod aut ipſe ſit Deus lucri, aut quod diuitiæ non ſine virtutibus acquirantur, aut quod Hercules labore proprio omnia adeptus eſt bona. *Seria,* dolium fictile oblongum. *Pupillúmve vtinam.* Non vtique cuius tutor ſit, ſed puerum adhuc, inter pupillares conſtitutum annos, & nondum * ſine tutela: cuius ſecundus hæres ſubſtitutus eſt: quem ſcabioſum bilioſúmque & vitioſum ideo dicit, tanquam ex hoc ſperet celerius moriturum. *Expungam,* proprie foras mittam. Tractum à militibus, qui expuncti dicuntur, dum foras à militia emittuntur. *Impello* autem ait, id eſt, proſequor. *Namque eſt ſcabioſus.* Merito ſperat eum eſſe cito moriturum, & Deos precator, qui illum faciant & plenum ſcabie, & vehementi * cholera frequentius excitari. *Et acri bile.* Id eſt, melancholia. metaphora à bello, in quo cadente qui primus eſt, ſuccenturiatur, id eſt, ſubrogatur alius, cui mortuo ſecundus ſuccedit. [Itidem in ſopiendis pro meritis accipiunt mercedem, & primo mortuo ſecundus ſuccedit.] *Nerio iam tertia.* Nomen fictum eſt, Nerius quidam morte coniugum locupletatus, fœnerator factus eſt notiſſimus: de quo Horatius ait,

Scribe decem Nerio.

Ille, inquit, nobilitatus coniunges tumulando: mea vxor nec ægrotare patitur. Dos enim à ciue Romano data, non ex patrio dictata nomine, ſi repudium non interuenerit, poſt mortem vxoris ad maritum pertinet. *Hæc ſancte vt poſcas.* Tempore quo hæc poſtulas, tu,

*ms. nefaria.

*ms. ruſticum.

*ms. ſua tutela cui.

*ms. calore.

Lib. 2. Serm. 3.

quiſquis es auarus, putas te caſte petere, ſi lotus petieris, lotus propterea quod nocturno coitu ſis inquinatus. *Heus age reſponde.* Ad auarum dicit poëta votorum talium editorem, Non te pigeat vno verbo. *Minimum eſt, quod ſcire laboro.* Id eſt, quod te conſulo. Iouem illum, quem tu poſtulas talia, qualem eſſe putas? excordem & dementem [eſſe qui aſſentiat, id eſt] qui conſentiat huiuſmodi precibus? *Vis Staio?* Nomen fictum, quomodo ſupra Nerio. Alius Staius in Iuniano iudicio & conſortio ſedit, qui pecuniam à reo & accuſatore accepit: decepítque vtrúmque. Erat ergo inter notiſſimos ciues. Poteſt igitur Iuppiter vel hoc melior videri? An etiam in hoc dubitas, quis poſſit melior iudex eſſe, Iuppiter an Staius? An adhuc dubitas vel Staio præponere Iouem? Elige tibi quemuis peſſimum, cui ducas anteponendum Iouem inani bonitate. Staius autem tutor pupillarius fuit: Gutta & Albus & cæteri præpoſiti fuerunt iudices: qui in Iuniano iudicio corrupti, Oppianicum damnauerunt. *Hoc igitur, quo tu Iouis.* Senſus eſt. Si ille Staius comeſſor omnium innocentium, non poteſt ſine iracundia per hæc ſe poſtulantem audire, ſed ſtatim dicet, O Iuppiter? (& ipſum inuocabit Iouem:) at ſe non Iuppiter clamet? Huiuſcemodi non indignatur, non obteſtatur maieſtatem numini ſui, dicendo, O Iuppiter? At Staius ipſum inuocabit Iouem, quem tu non credis perfidia tua moueri: & clamabit tanquam de importuno. Nam & mali ſentiunt, quid turpe & nefarium ſit, & aſpernantur, vbi ipſorum nulla vtilitas eſt. Referuntur autem hæc ad vota, quæ ad funus patrui & pupilli pertinent & ſeſe facere ait. Senſus autem eſt, Ioui non videatur importunum, quod Staio videtur. *Ignouiſſe putas, quia.* An putas Iouem veniam proſecutum petitioni tuæ, quia te necdum fulmen perculit? Neſcis dilationem non eſſe in pœnam? Crede, dilatio periculi, illud quod imminet, grauius facit, vt ait Iuuenalis,

> *——cura grauiore timetur* Lib. 5. Sat. 1.
> *Proxima tempeſtas.*

Aliter. Putas tibi Iouem veniam dediſſe, quia tonitru facto fulminantur arbores ocyus, quam tu, & domus tua? *Sulfure* autem pro fulmine. Ex eo enim, quod ſequitur, intelligitur quod præcedit. Fulmen enim præcedit, ſulfur ſequitur: [Vt Virgil.

> *Et circum late loca*, &c.]

Quia dum fulmen ceciderit, loca vicina odore ſulfuris implentur. Vnde *ſacrum* dixit. *An quia non fibris.* Hoc dicit. Putas Deos tuorum ſcelerum oblitos, quia non iaces fulminatus in lucis bidentalium? In vſu fuit, vt augures vel aruſpices adducti de Etruria certis temporibus fulmina transfigurata in lapides infra terram abſconderent, cuius impetratione rei oues immolabantur. Hoc ergo dicit. Et

quia nec dum te fulmen perculſum ſepeliunt cæſis hoſtijs Ergenna, ideo derides Iouem? *Ergenna* nomen aruſpicis fictum, ſecundum morem Etruſcorum. *Bidental* autem ideo dicitur fulmen, aut quia duos dentes habeat, aut certe quod in eo loço, vbi ceciderit, bidentes mactentur. Cætera autem fulgura qualibet hoſtia procurantur. ſed omnia calcare nefas dicitur: ideo *euitandum* dixit eſſe. *Triſte iaces.* Id eſt, quod leto tuo alij triſtes efficiuntur. *Iaces,* quia fulminati ſupra terram poſiti mandantur ſepulturæ. *Bidental* dicitur locus ſacro percuſſus fulmine, qui bidente ab aruſpicibus conſecratur, quem calcare nefas eſt. [Ergo bis eodem de cœlo tacta qua expiari non poteſt niſi immolata qualibet hoſtia. *Bidental.* cætera fulgurata teneantur.] *Aut quidnam eſt, qua.* Aut dicas mihi, qua confidentia tales ſuperis offers preces. *Emeris auriculas.*] An forte quædam commercia cum Ioue habuiſti, quibus ille compellatur obedire iniuſtis petitionibus tuis? *Lactes* ſunt loca in lateribus ſub vmbilico pube tenus adeo delicata, vt plagam ferre non poſſint. Inde eſt, quod lactidiatum dicimus, qui male ſit calce percuſſus. Vel certe *lactibus*, inteſtinis pinguibus. Vel vt alij dicunt, membranæ ſunt, quibus cohærent inter ſe inteſtina. *Ecce auia aut metuens.* Dicit nunc, quæ mala, & inania ab eis petantur. Sunt auiæ quædam & materteræ, quæ ſtatim puerum à cunabulis ſolutum, votis ſuis, dijs cæleſtibus commendant, poſtulantes eis diuitias, formam, vires, eloquium. In hoc petendo oſtendit vota hominum nimium eſſe importuna. *Metuens diuum,* vt Terentius, fugitãs litium, id eſt, fugiens lites. Tranſit iterum ad nouas ſuperſtitiones mulierum, quæ dum ad nutriendum infantes acceperint, eos digito turpi, id eſt, medio, (vel ſaliuis,) expiari faſcino putant. & hoc obſcœnitatis indicium eſt. *Frontémque atque vda.* Tollit eum de lecto, & incipit eius puerili fronti aliquid incantare, & labellis eius tenerrimis. *Infami digito* ait medio, qui obſcœnitatis eſt, vt ait Iuuenalis,

Lib. 4. Satyr. 1.

> *——cum fortuna ipſe minaci*
> *Præberet laqueum, mediúmque oſtenderet vnguem.*

Sunt autem nomina digitorum, Pollex, Salutaris, Infamis, Medicinalis, Vltimus. *Luſtralibus ſaliuis.* purgatorijs, liberantibus puerum ex omni malo quod dicunt mulieres, faſcino. vel quia frequenter infantibus ſaliuæ fluant. *Vrentes oculos.* merito, quia faſcino vrunt, tanquã conſumant. [Virgil.

> *Neſcio quis,* &c.]

Vrentes, ergo, id eſt, faſcinantes, *inhibere perita.* Id eſt prohibere, ne faſcinet. *Et ſpem macram ſupplice voto,* id eſt precatione ſupplici, ſpem *macram,* id eſt modicam: quæ recte mediocribus optatur. Vel certe *macram,* dubiam. Nihil enim tam dubium, quam expectatio ſumma de infante. *Nunc Licini in campos.* Licinius Craſſus inter Romanos

locupletiſſimus, ideo diues cognominatus. Huius ergo diuitias optat puero. Alij volunt Licinium tonſorem ac libertum Auguſti Cæſaris ſignificari, prædiuitem, cuius monumentum eſt pretioſi operis. ſepultus via Salaria prope vrbem ad lapidem ſecundum. De hoc homine non inuenuſtum Varronis epigrammata fertur.

Marmoreo Licinus tumulo iacet: at Cato paruo:
Pompeius nullo: quis putet eſſe Deos?

Metri vero cauſa fecit ſynæreſin nominis Licini pro Licinij: & à nomine cognomen deiunxit, vt Virgilius, *Aen. 3.*

——non hæc tibi littora ſuaſit
Delius, aut Creta iuſſit conſidere Apollo.

Interdum epitheton à nomine, vt, *Lib. 3. Aen.*

——nec talia paſſus Vlixes
Oblitúſve ſui eſt Itacus diſcrimine tanto.

Ordo eſt. ſpem macram voto ſupplici modo in campos Licinij, nunc in ædes Licinij Craſſi mittit, dicens: Da illi, quantum Craſſus habuit. Sed hic quoque admonet, ignorare ſtultos, quid ſit petendum à dijs: ideo ait, *nutrici non mando vota. Hunc optent generum.* Id eſt, ametur iſte ab imperatore, & tollatur gener à rege & à regina: quod eſt felicitatis immenſæ, vt optetur gener etiam à regibus, & à puellis ob pulchritudinem ſuam rapiatur. *Quicquid calcauerit hic.* Id eſt, vbicumque pedem poſuerit, ſtatim exinde roſa naſcatur: & pullulet terra floribus, pede calcata pueri. *Aſt ego*, inquit, contemptor diuitiarum, nolo à diis talia mihi impetrare nutricem. Arguit quoque imperitos, qui neſciunt, quid ſit conſequens optare: ſe vero dicit non ſolum ineptis votis non teneri, ſed & omnibus modis ſe denegare vota Ioui, adiungens precem, vt cum fuerit rogatus, non audiat, tanquam pecuniarum contemptor. Et non dicit hæc, aut huiuſmodi vota, ſed omnino nulla. & veto quicquam infanti meo optari. *Non mando.* verbo vſus eſt aruſpico, cum eis dicitur, Mando tibi, vt maximum Iouem audias, vt quemadmodum procurationis aſſertio fit, ita fiat & in ſacris & in prece. *Negato Iuppiter hæc illi.* Id eſt, ſi nutrix mea voluerit à te talia flagitare, ô Iuppiter, noli illi annuere, licet te albata *rogarit*, id eſt, petat. *Albata* autem feſtiua, aut certe albata, pura, & vitiis carens. *Poſcis opem neruis.* vt fortis ſis. *Corpúſque fidele ſenectæ.* vt ſit robuſtus in ſenectute *Eſto age ſed grandes patinæ.* Ad alios tranſit, qui ſua intemperantia votis officiunt. Bonam valetudinem optas, quæ te etiam in ſenectute non deſerat: & in membris auxilium poſcis: ſed hoc tibi à diis præſtari quotidianæ epulæ, ac luxuriæ non permittunt. Tuceta apud Gallos Ciſalpinos bubula dicitur caro condimentis quibuſdam craſſis oblita, ac macerata, ac ideo toto anno durat. Solet etiam porcina, eodem genere condita ſeruari,

aut ad ſaturarum iura. Hinc Plotius Virgilij amicus in eadem regione eſt nominatus Tuceta. Tuceta autem ſunt condimenta gulæ delicioſæ, quibus bona hominum valitudo corrumpitur. Iterum agit de hominum optationibus, cum petant, vt fortes ſint corpore, & eadem fortitudo vſque perſeuêret in ſenectam: ſed hoc à dijs non poteſt concedi, dum quotidie ipſum corpus crapula corrumpitur. *Corpúſque fidele.* Id eſt, validum, quod ſuſtineat ſenectam, quæ morbis omnibus abundat: (vnde dictum eſt, ſenectus ipſa morbus eſt.) Vel *tuceta* dicuntur loca, in quibus tunſæ carnes ponuntur. *Iouémque morantur,* id eſt à beneficio retinent. *Rem ſtruere exoptas cæſo boue.* Id eſt, ſacrificio. * Hodie ſunt aliqui, qui poſcunt ſibi patrimonia augeri non ſine damno: & petentes diuitias, ipſi prius impendunt ſacrificiis Deorum. Et bene ad inuidiam *cæſo boue* dixit, quaſi auctore rei familiaris. Cultura enim boum diteſcunt homines. Mercurio ideo dixit ſacrificium facere, quod Deus eſt lucri, quomodo ſupra dixit Herculem,

**ms. Hoc dicit: ſunt alij qui.*

——& ô ſi
Sub roſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule.——

Sed illum dixit abſconditi lucri eſſe* præſulem, Mercurium autem euidentis lucri. *Rem ſtruere exoptas.* Dum exoptas, vt negotia tua impleantur, Mercurio ſacrificas cæſo boue, dicens, vt locupletior efficiaris, & è gregibus tuis* fortuna plenius tribuat. Cui Mercurium inducit reſpondentem, Qua ratione hæc tibi contingant, cum quotidie vitulas, quæ poſſent gregem multiplicare, occidas? Iunices dicuntur ætate viridiores vaccæ, inter vitulas & vaccas. Iunices fœminæ, iuuenci maſculi dicuntur. *Da fortunare penates.* Id eſt, fortunatos

45 facere. *Quo peſſime pacto.* Hic quaſi Mercurius reſpondeat, Quo pacto poſſum augere rem tuam, cum hoc, quod habes, conſumas & diſperdas, hoſtias faciendo? Vel certe Perſius in eum indignatur, vel inuehitur, Iunicum autem ait iuuencarum. Iunices autem dicuntur teneræ ætatis boues, quæ iam ceſſerunt vitulis, necdum tamen ad ſummam magnitudinem peruenerunt. Dicuntur autem à iuuenibus, vnde comparatiuus iunior: quia ſint iuniores iuuenibus. *Omenta* autem ſunt membranæ, quæ exta continentur. *Attamen hic extis, &c.* Bene ait vincere, quod ſuperſtitione ſua contendat Mercurium ſuperare. *Opimo* ait pingui vel * plurimo. *Fertum* autem genus eſt panis vel libi, quod diis infertur à pontificibus in ſacrificio. Dictum autem fertum à ferendo. Alij vas dicunt, quod ornatum certis ſpeciebus ſacris & refertum, diis infertur. Et eſt ſenſus. Cum hæc ſæpe clamantem audiat Deum, tamen, inquit, perſeuerat in voto, & effecturum ſe putat, quod improbe petit: donec omni re conſumpta, ad vnicum redactus

**ms præſidem.*

**ms. fæturam.*

**ms. pleno.*

numum, quem inexhauſta arca & ſine cenſu inuenit, ſuperſtitionem ſuam gemens excrucietur. Verumtamen quamuis audiat talia, non ceſſat Deos ſacrificiis fatigare, & ſperando diuitias futuras, arcam ſuã exhaurit, quandiu vllus nummus in * arca ſuſpiret. *Iam creſcit ager.* *ms. fundo arcæ.*
Intra ſe cogitantis verba refert. *Donec deceptus & expes.* Id eſt, donec decepta expectatione & ſpe acceſſionis, pecunia vſque ad vltimum conſumta nummum, in eo * deficiat, poſita in *imo*, id eſt, in fundo arcæ, fruſtra iam gemitu & ſuſpiriis proſequente parium ſuorum. aut certe * ipſe ſuſpiret, quia nihil videt in imo fundo, nummorum. Non minus ἐπιτικῶς, vt tacita libabit acerra, pro ipſe tacitus. *Si tibi crateras.* Ad alteram animi infirmitatem tranſit: & aggreditur eos, qui inaniter vota ſoluunt, credentes Deos iis delectari, quibus ipſi delectantur. Si tibi ergo argentea vel aurea vaſa donauero, *ſudes* gaudio, & *guttas excutias*, quod cor tuum hinc ſit lætum, *incuſſa* autem dicit cælata, id eſt, producta, vnde incus dicitur, à cudendo: (cælata, caſtigata ſpei vanitate.) *Pingui auro*, id eſt lamina. Tranſit igitur iterum ad aliorum hominum voluptates, qui cupiditate tenentur: qui, ſi contingat, vt ſubito diuitias inueniant, ſtatim eis inuentis potius fatigantur. *Sudes, & pectore læuo.* Ideo *læuo* dixit *pectore*, quia in parte ſiniſtra pectoris cor habemus. [Vt Iuuenalis,

ms. cogitationes eius. *ms. definiat.* *ms. ipſe*

culpa docentis ſcilicet arguitur quid læua parte, &c.]

Vel læuo certe contrario. *Excutias guttas*, aut ſudoris, aut lachrymarum. Nam & hoc poteſt intelligi de ſudore, quia de ſudore iam dixerat: vt eſt illud Terentianum: Lachrymor præ gaudio. *Lætaris pertrepidum.* propter ſudorem præ gaudio innatum toto corpore trepidabis: vel quod ad lætitiam feſtines, & *pectore læuo*, id eſt malo, ſudoris guttas excutias. *Hinc illud ſubijt*, id eſt euênit è tali diſſolutione: aut ſubiit, vt auro putes numina delectari, quod tu diligis: & iis vultus deaurandos exiſtimes. *Ouato* ſiue quod ouo perfunduntur ſtatuæ, vt bractea melius inhæreſcat: ſiue quod bractea talis eſt, qualis oui membrana. *Ouato*, quia medium oui ſimile eſt auro: hoc eſt, in modum oui. *Nam fratres inter ahenos.* Acron tradit, quod in porticu quadam Apollinis Palatini fuerit [L.] Danaidum effigies, & contra eas ſub diuo totidem equeſtres filiorum Ægiſthi. Ex iis autem ſtatuis quædam dicebantur poſtulantibus per ſomnum dare oracula. Alij autem *fratres aënos*, Pollucem & Caſtorem, qui vtique fratres fuerunt, & aliquando nocte * Perſen Macedoniæ regem nunciauerunt victum: in quorum templo ſomniorum interpretes haberi ſolent, qui puros à pituita viſus hominum exponebant. [Aliter: Cum Romani peſtilentia laborarent, Caſtor & Pollux in ſomnis populum mouerunt, quibus remediis morbi curarentur, & licet eorum multæ eſſent ſtatuæ Romæ tamen cum non eſſent, pa-

ms. Xerxen.

ratæ ſunt illis ſimiles quas poſtea Romani deaurauerunt.] *Somnia pituita, qui purgatiſſima.* Id eſt, certa: quia pituita pleni, nihil veri ſomniant. *Pituita* autem eſt purgatio cerebri, vel morbus gallinarum, qui ex edacitate naſcitur: vnde euenit, vt grauati homines ſomno, non bona ſomnia videant. Alter ſenſus eſt: Dum ouato auro effigies linit, expulit antiquum ordinem miniſterij, quia Numa inſtituit, quibus aliis modis oporteat venerari Deos. Senſus ergo eſt. *Nam fratres inter aënos*, quorum ſacras effigies ouato auro producis, *præcipui ſunto*, id eſt, ſint præcipui honoris, magis colendi, honoratiores. Eſt autem *præcipui* aduerbium. *Aurum, vaſa Numæ.* Numa Pompilius rex Romanorum, vaſis fictilibus vſus eſt etiam ad religionem Deorum: ex quo Numa dictus eſt, quod numinibus deſeruiret. Nam primus religiones inuenit (apud Romanos.) *Saturniáque impulit æra.* Saturno enim in Italia regnantæ, æs in vſu fuit: quod etiam poſtea in æde Saturni condebatur: vnde ærarium dictum eſt. Nondum enim fuit argentum neque aurum: Virginéſque Veſtales vaſis fictilibus in ſacris etiam vſæ ſunt. Illud enim æs vna parte capite Iani notatum erat, altera, naue, qua Saturnus fugiens ad Italiam vectus eſt. Bene autem in illo nummo geminum erat ſignum, & hoſpitalitatis Iani, & aduentus Saturni: quod æs poſtea dictum eſt: in æde Saturni condebatur, nondum argento auróque ſignato. vnde ærarium nomen accepit. Fuit autem aſſis [hoc eſt libra appenſus] libralis, & dipondius duarum librarum, quod hodie in vſu remanſit: & ſolebat penſari potius quam numerari: vnde & diſpenſatores dicti (prorogatores.) Et eſt ſenſus. Myſteria innocentium ac ſimplicium vaſorum auaritia cæca remouit
60 ambitio. Vel quia Saturnus æreis vaſis placabatur. *Veſtaléſque vrnas*, aut Veſtæ aut Veſtalium virginum. Vtrunque enim eſt. Sunt autem vaſa, quæ ſeruiunt Veſtæ, fictilia. *Tuſcum fictile*, ſiue quod in Etruria creber vſus [vaſorum] fictilium fuerat: ſiue quod Tuſci Deorum ſimulachra fictilia fecerunt, Hæc omnia luxuriante mundo mutata ſunt. *O curuæ in terris.* Dicit in terris ſpiritum diuinum hominibus natura eſſe inditum, & intelligentiam ſummam, animóſque noſtros originis diuinæ immemores eſſe factos, & more pecudum humum ſpectantes, vt Saluſtius ait: quæ natura prona atque ventri obedientia finxit. *Et cæleſtium inanes.* Id eſt, qui ignorent cæleſtia, è quibus originem ducunt. *Quid iuuat hoc, templis noſtros.* Id eſt, Quid prodeſt, vt credamus Deos cupiditate aliqua, vel ambitione, ſicut homines, tangi? vel vt humana corpora credamus Deos luxuria, vel pompa, aut ambitioſis delectari carnibus, & felicitatem Deorum in auro poſitam? (*Hæc ſibi corrupto.* Hanc eandem carnem multis delectamur aromatibus, veſtium magnitudinibus, margaritarum dignitatibus, & auri copia. *Caſiam*, quam ſcilicet terra Orienti proxima, homines

toto

toto corpore contecto, paulum oculis relictis ad viſum in terris propter multitudinem auium infenſarum, quæ ſunt Veſpertilionum ſimiles, & gladicibus colligunt, & ſe colligentes aquarum ſuperficiem in limi modum. Hæc caſia oliuo miſta vnguentum facit.) *Hæc ſibi.* Incipit iam de vitiis corporalibus loqui, & tangit delitias, quas ſibi homines inuenerunt. Caſiam ad carnem reperimus. Corpus enim noſtrum omnium vitiorũ cauſa eſt. Eſt autem *Caſia* odoris genus, quod oleum corrumpit. Vt Virgilius,

Et Caſia liquidi corrumpitur vſus oliui. Lib. 2. Georg.

Et aliter. Caſia herba, vel pigmenti genus, quo oleum meliore odore inficitur: quod oleum odoribus vitiatur. *Et bona dijs ex hac.* Quid delectat credere cupiditate Deos tangi, & bona eorum malis noſtris exiſtimare? (*Pulpa* eſt caro ſine pinguedine, dicta quod palpitet. reſilit enim ſæpe, & viſcum vocatur, propterea quod glutinoſa ſit. Pulpa dicta, quod cum pulte miſta olim veſcebatur: vnde & pulpamentariũ & pulmentum dictum.) *Hæc* eadem pulpa, id eſt, hoc corpus noſtrũ omnium vitiorum eſt, quod detractiue ſceleratum appellauit. *Hæc Calabrum coxit.* Lanæ coloribus tinctæ corporis vſibus inquiruntur 65 ad ambitionem. Senſus eſt, Apulam lanam conchylio inficit. Ideo in Apulia, quod ibi oues plurimum naſcuntur. *Vittato murice.* cocto, vel fracto conchylio, quo tingitur purpura. *Vellus* autem ob hoc dictum, quod prius lanæ vellerentur non tonderentur. *Hæc baccham conchæ raſiſſe.* pro, radere margaritas de conchis marinis. Vniones enim naſcuntur in conchis, pro quibus baccas poſuit, vt Horat.

Quærunt vnionibus onuſta baccis.

Bacca ergo gemmæ genus, quod in conchis naſcitur. *Et ſtringere venas.* Quia aurum & argentum è terreno puluere ſeparatur, & in fornace coctum in maſſam confertur. Ideo autem *crudum puluerem* dixit, quia coquitur, vt metallum fiat. Et bene *ſtringere*, quia coquendo redigitur in maſſam. *Peccat & hæc, peccat.* Hoc faciendo ab integritate ſua mores humani vacillant: quo tamen crimine poſſumus hominibus ignoſcere, eis ſcilicet, qui concupiſcentiis non vtuntur. Nam crimen eſt ambitione petere. Vtitur tamen ea quamuis peccet, ſuperuacua reperiendo. Cum habet tamen aliquem vſum appetitorum, (fortius) peccat(&) amplius. *At vos dicite pontifices.* Hoc dicit, Sacerdotes, reddite mihi rationem, quid opes in templis faciant? cur diis & non vſuris conſecrantur? quibus diis tam ſunt opes ſuperuacuæ, quam Veneri puppæ, quas virgines nubentes donant. Solebant enim Virgines ante quàm nuberent, quædam virginitatis ſuæ dona Veneri conſecrare. Hoc & Varro ſcribit. Si homines, inquit, auri cupiditate corrupti vitia incurrunt, vt quid aurum ſuperis, quibus ſolent hæc vitia diſplicere. *Nempe hoc.* ibi facit aurum, quod puppæ in tem-

plo Veneris: & cum hoc faciunt homines naturæ vitio corrumpuntur. Verum vos pontifices, dicite, in templis aurum quid facit? *Quin damus id ſuperis.* Feramus, inquit, ad templum dona, conſcientiam bonam: & ſic fiet, vt tantum mola ſalſa litantes exaudiant dij, quod poteſt & pauper: quod genus ſacrificij non locupletibus tantum, ſed maxime pauperibus facile eſt. Per *Meſſalæ* autem *propaginem* eos vult * oſtendere, qui non pura conſcientia diis ſacrificant. Hic autem Cottam Meſſalinum dicit, qui tam vitioſos oculos in ſenectute habuit, vt palpebræ eius in exteriorem partem verterentur. Fuit enim & multis deditus vitiis. Hic ab Aurelio Cotta adoptatus, Marcus Aurelius Maximus vocabatur, originem trahens ab Aurelio Meſſala, qui ſepties fuit conſul: qui cum à quodam Gallo ad monomachiam in prælio vocaretur, coruus ſuper galeam in capite eius ſedit, & victo hoſte Coruinus appellatus eſt. *Compoſitum ius.* honeſtam cogitationem: & ius compoſitum in animo: & ſecretas cogitationes & ſanctas, & honeſti tenacitatem, vt erui non poſſit. Animi virtutes enumerat, quas cum quis frequentat, nullis victimis ſed farre tantummodo Deos placat. & diſcretas cogitationes honeſtatémque ſanctam ſignificat. Nam qui quærit, inquit, iuſtus & innocens & fidelis eſſe, per hæc honeſtus habetur: & iam ture placabit Deos. *Et incoctum Generoſo.* Incoctum, id eſt. valde coctum, ac maturitate animi & honeſtatis plenum. Generoſi, dicuntur, qui propitio Genio naſcuntur, & ideo beniuoli & honeſti. *Hæc Cedo, vt admoueam templis.* Ce in hoc loco adiectio ſyllabica. nam in Cedo verbo producitur. Hic quoque ſenſus ab Horatio ſumptus eſt, qui ait,

*ms. accipis.

Lib. 3. Ode 23.

Immunis aram ſi tetigit manus
Non ſumptuoſa blandior hoſtia,
Molliuit auerſos penateis
Farre pio, & ſaliente mica.

IN SATYRAM III.

NEMPE HOC ASSIDVE? Id eſt, nunquid non aſſidue hoc facis? Nempe enim eſt nunquid non? In hac Satyra in deſidiam & intemperantiam hominum inuehitur, & ita heſterno vino onerari, vt edormire ante horam quintam non poſſint: quam deſidiam nunquam dicit euitari. Et quæritur ſubinde cauſas necti, quominus ſtudia celebrentur. Ad hoc ergo ſatyræ principium pertinet, quod philoſophi dicunt, neceſſe eſſe vitiis

ſapientem incidere. Sed hoc inter ſapientẽ ſtultúmque intereſt, quod ſe vitiis ſapiens cito euoluit, ibidem * inciſo atque inuoluto ſtulto. Ergo, ne is, quem Perſius hac ſatyra ob deſidiam culpat, ad excuſationem ſui criminis dicat ſapientem quoque poſſe aliquotiens vitio detineri: hoc primum ei poëta oppoſuit: quod is non aliquando ſed aſſidue vitiis ſemet tradiderit. Hanc ſatyram poëta ex Lucilij lib. 4. tranſtulit, caſtigantis luxuriam diuitum & vitia: & cum inducit pædagogum obiurgantem ſcholaſticum, increpat humanam vitam: & dum exprobrat vni, omnium notat ſegnitiem: & inducit vnum ex comitibus alium caſtigantem. *Iam clarum mane. mane* nomen eſt temporis, non tempus. Nam mane quando ipſum tempus ſignificat aduerbium eſt & verbo cohæret, vt mane vênit, mane fecit: quando autem nomen eſt, epitheton ſumit, vt eſt clarum mane, vel mane nouum. *Feneſtras intrat, & anguſt.* [Figuratè quod lux prima per feneſtras intrat.] Mane ſcilicet per rimas feneſtrarum ſe tota lux infundit, [& ea] capi non poteſt piger.] *Stertimus, indomitum quod deſp.* Indomitum Falernum, id eſt, vinum multæ virtutis, vt Virgilius ait,

*mi. merſo.

Geor. 2.

Geor. 4.

& dux Bacchi domitura ſaporem.

Et Lucanus,

Indomitum Meroë cogens ſpumare Falernum.

Lib. 10.

Senſus autem iſte eſt. Tam diu heſterno ſopore deprimitur, vt poſſint hi, qui nimia ebrietate grauati ſunt, tam longo ſomno crapulam Falerni vini diſcutere. *Falerna* autem regio dicitur Campaniæ, vbi optima vina naſcuntur, (vnde dicitur mons Falernus. Vel aliter.) Vtrum tantum dormimus, vt in tanto tempore, qui Falernum bibunt, concoquere poſſint, id eſt, digerere? Vnde & crudi dicuntur indigeſti. aut quando concoquimus Falernum, aut quantum ſufficiat Falerno tempus in nobis.

Diſpumare, id eſt, deferueſcere. *Quinta dum linea.* Dum vmbra medii ſtyli, qui in horologio eſt, quintam lineam attigerit: ac per hoc, ac ſi diceret, vſque ad horam quintam. *En quid agis?* Vnum ex comitibus inducit caſtigantem tandiu dormientis deſidiam & dicentem, Quid tandiu dormis, cum iam æſtus meridianus cœperit? *Siccas inſana canicula.* Canicula ardentiſſimum ſidus, quam ideo inſanam ait, quod ſub ortu eius multi ægrotent. aut certe inſanam, nimiam. [Vt Virgil. 5

Inſanam vatem. &c]

Et patula pecus. Id eſt, iam meridianæ horæ ſunt, in quibus ſole ferventiſſimo tactæ ſegetes, matureſcunt, & pecora nemoris vmbras requirunt. [Vt Virgil.

Nunc etiam pecudes vmbras & frigora captant.]

Ordo eſt, *en quid agis?* vnus ait comitum dormienti. *Verum ne. Itáne?* Perſonam ponit interrogantis, An veræ meridianæ horæ ſint. *Ocyus*

adſit huc aliquis. Verba ſunt ſurgentis de ſomno, vel vocantis famulos, & quod tarde reſpondeant, iraſcentis, & clamantis pueros, & iraſcentis, quod tardius reſpondeant clamanti. *Turgeſcit vitrea bilis.* Id eſt, ira *vitrea*, id eſt, viridis, perſpicua, quod iratus intelligitur ex vultu. Ira enim virides & pallidos facit homines. *Vitrea*, quæ cito apparet. [ac velut aliquid apparet in vitreo vaſe ponas, ita qui cholera patitur, cito paret] *Findor vt Arcadiæ.* Hoc dicit. Ita rumpor clamore, vt aſinos credas clamare. *Arcadiæ pecuaria* aſinos dicit, qui plurimũ in
10 Arcadia nati ſunt. *Findor*, id eſt rumpor, vt exiſtimes Arcadicos aſinos rudere, qui campum nacti, inſane exultant. *Iam Liber, & bicolor poſitis.* Bicolor, id eſt, vna parte croceata capillis demptis. Ea, quæ cauſantur, qui pigre ſtudent, enumerat. [& hoc dicit] Incaſſum excuſſas, quod vacatio alicuius officij te deſidiæ tam longæ tradidit, cum habeas, quod agas, niſi tibi inuentis vanis occaſionibus vanas neceſſitates procures, dum vel craſſum, vel nimis remiſſum cauſaris atramentum : aut non bonam calami diſpoſitionem accuſas, tuo quærens otio conſulere. Ambigua eſt enim *bicoloris* membranæ ratio. aut enim bicolor membrana, quia quondam capillos habuit. aut quæ bicolor facta eſt, vt poſuit capillos. aut merito bicolor, quod pars crocea, pars glutinata apud antiquos erat. Vel hoc dicit, quod vigilans ſibi occupationes per deſidiam generat, dum aut de calamo intemperato quæritur, aut de pingui aut aquoſo atramento. & notandum fœminino genere membrana. *Nigra quod infuſa vaneſcat. Sepia* pro atramento, à colore poſuit, quamuis non ex ea, vt Afri, ſed ex fuligine cæteri conficiant atramentum. Nigra ſepia vaneſcit ex infuſa lympha, quia ita ſepia piſcis nigrum habet ſanguinem; vt atramentum ex ea conficiatur. (*Dilutas querimur.* Id eſt, diſſolutas nimia aqua fiſtula geminet.) *Fiſtula* pro cannali calamo poſuit exquiſite. Et eum reprehendit, quod quærendo hoc & illud tempus perdit, nec
15 proficit. *O miſer, inque dies.* O magis atque magis periture deſidia, qui tam inepte pigres, & ad hanc diſſolutionem lapſus es. & hoc dicit. Solent enim vitia proceſſu temporis minui, cum in te contra acceſſu temporis augeantur, qui ſtultam imitaris mollitiem delicatorum, vel nobilium puerorum, quos ipſa magnarum diuitiarum frangit luxuria: qui voces mutilas imitaris, & *pappare* pro comedere, & *lallare* pro velle dormire. Nam qui paruulas aues nutriunt, commanducatos cibos, diducto earum roſtro inſerunt. Hoc genere nutrices etiam infantes delicatos inſtituunt. *Palumbos* & Columbos melius eſt, vt pueros intelligamus, quos quæ nutriunt, blandientes, columbos, pullos, & paſſeres vocant. Aut cur non commanducatos cibos poſcis? aut cur à nutrice iuſſus dormire, ploras? quæ infantibus, vt dormiant, ſolent dicere ſæpe, *lalla, lalla, lalla.* aut dormi, aut lacte : quod quaſi

irati infantes nolint. *An tali ſtudeam calamo?* Eius obiurgati verba ſunt ſcholaſtici. Tu inquit, calamum cauſaris. *Cui verba?* Hic poëta dicit, Tanquam fatuus iſta loqueris, qui dum aliam rem ex alia cauſaris, tibi perit tempus, in quo nihil agis. Quid mihi has excuſationes ſuccantas? *Succinis.* Vt concinis, ita ſuccinis, id eſt, ſubmurmuras. *Tibi luditur.* Id eſt, te illudis. *Effluis amens.* Id eſt, deſidia deceperis, tẽpore ſiue actibus trito. Alludit autem à vaſe vitiato, quod nihil in ſe continet: quemadmodum hic effuſus per vitia, nihil ſapientiæ in ſe continet: vt Terentius in Eunucho, Plenus rimarum ſum, hac atque illac effluo. *Effluis amens.* tempore quo tibi neceſſarium fuerat te facere aliquid, deſidia laberis & deceperis. *Contemnere.* ſcilicet, à vitiis, relicta virtute: quia virtus in te & rigiditas mentis & ſapientia, quæ vitia expellat, non eſt. Item *contemnēre,* hæc ab Horatio (male) tranſlata, (intempeſtiua) ſunt. 20

——quin tu — Lib. 2. Serm. 3.
Inuidiam placare paras, virtute relicta?
Contemnere miſer.——

Senſus eſt. an * virtutem paras, qua relicta contemnere? Hic quippe efficaciter. Neque enim officia extorquenda, ſed voluntario petenda. *Sonat vitium.* [Vt Virgilius,

Nec vox hominem ſonat.]

*ms. inuidiam virtute relicta placare paras

Lib. 1. Æn.

Ambiguum eſt. cum non ſit vitium ſonare, & cum non ſit proprium fideliæ reſpondere, vtrum ſonat vitium, an percuſſa maligne reſpondet. Cæterum & ſonat vitium actiue dicimus; vt nec vox hominem ſonat (nec præſentat) & *maligne* pro acriter dici poteſt. Hoc dicit ergo. Quomodo vas non bene coctum, non acutum ſonum reddit & tinnitum, & prodit vitium ſuum: ita & homo non bene ſapientia politus, vitium ſuum tentatus oſtendit: & apparet, qualis futurus eſt, id eſt, miſer. Allegoricæ *viridi limo*, quod ſono tam cruda, quàm cocta vaſa explorantur. *Viridi limo*, id eſt, * creta non cocta, vel adhuc habens limum, id eſt, argillam. Sed dubium vtrum ſimilitudine vſus eſt, an allegoria. Nam & *vdum* & *molle* tranſlatio. Et reddit ad allegoriam cum ait *rota* eſſe effingendum, pro, erudiendum. *Nunc nunc properandus.* Tranſlatio eſt à figulis. *Vdum lutum es,* id eſt non bene fictus, nec decoctus es ſapientia: ideóque *acri rota*, id eſt, veloci politáque doctrina debes omnia, quæ in te vitiorum labes mollierat, corrigere. Item *vdum & molle lutum*, figurate, adhuc crudus es, & aſſidua exercitatione formandus, vt fictilia circumactu rotæ formantur. *Sine fine.* ſine interuallo, inceſſanter. *Sed rure paterno..* Hic anthypophora vſus eſt. Sed inquies, vel reſpondebis mihi, eſſe tibi rem familiarem * mediocri frugalitatis farre contentam, & tibi poſſe ſufficere, etiam ſi minus proficiat: vel etiam farris modicum, & ſaliuum ac patellam,

*ms. cruda.

*ms mediata.

quibus rebus in ſacrificiis vtimur. μετωνυμικῶς vota & ſpes non improbaſſe concipere dicit, vnde ſecurior ſit, & minus timeat in penetralibus, & quæ releuare hominem frugi poſſint. *Purum, & ſine labe ſali-*
25 *num.* Sine labe dicit, ſine macula. *Salinum* vas fictile, in quo ſal ponitur. *Cultrixque foci.* quia delibantiæ dapes in ea poſitæ, ad focum feruntur. Ideo *cultrix foci* dicitur, (quaſi integram domum) vt, hortor amare focos. *Secura patella.* Id eſt, ſecuros faciens. Item, *cultrixque foci ſecura patella,* quia in rebus diuinis vtuntur & non ſecura patella. Sed ille quaſi ſecurus, (& ſine dubio) hoc ſatis poteſt etiam intelligi, tanquam modo anthypophora ſit, & ille adhuc reſpondeat. *An deceat pulmonem.* Id eſt, inflatum eſſe? *Stemmate quod Tuſco.* Poëtica & familiaris figura eſt. Dicit ergo, An oportet te arrogantia inflatum diſſilire, quod in aliquo nobili Tuſco ſtemmate, mileſimus à magno auctore numerêris, & ramum aliquem ac lineam ſucceſſionis à genealogo in ſtemmate numeratus obtineas? Vel in equitum Romanorum recognitione trabeatum cenſorem donis militaribus inſignis ſalutas? Cognitio enim Equitum Romanorum Cenſoribus erat ſubiecta, quæ nunc conſulum eſt officij. (*Trabea* erat togæ ſpecies ex purpura & cocco, qua operti nobiles Romanorum initio præcedebant. Trabea autem dicta, quod in maiori gloria hominem tranſbearet, hoc eſt, vltra & in poſterum, ampliori dignitate honoris, beatum faceret.) *Stemmata* dicuntur ramuſculi, quos etiam faciunt aduocati in iure, cum cauſam partiuntur: vt puta, Ille filius illius, ille pater illius. Proprie autem dicuntur ſtemmata rotundæ imagines: quoniam στέψαι Græce, Latine dicitur coronare. *Tuſco* autem dixit, quod nobiliter in Etruria natus eſt. Vel quod Tuſci fuerunt nobiles apud antiquos. Hoc & Horatius de Mæcenate dixit,

Lib. 3. Ode 29. *Tyrrhena regum progenies tibi.*

30 *Ad populum phaleras.* Ornamenta quæ beneficio fortunæ habes, quæ te ornant extrinſecus, alijs oſtende: *Ego te intus & in cute noui*, id eſt, animo & conſcientia, quod vitioſus es. *Non pudet ad morem.* Diſcinctum dicit negligentem, & perditum, (infra obeſum:) vt Horat.

Epod. Od. 1. *Diſcinctus aut perdam nepos.*

Vel *diſcinctum*, obeſum & ventricoſum luxuria, quia cingi non poſſit. Nam ob pinguedinem incaluiſſe hunc *Natam* induxit: quod poteſt ab Horatio videri tranſlatum, qui ait,

Lib. 1. Serm. 1.
——vnger olino
Quo non fraudatus immundus Nata lucernis.

Apud vtrunque tamen *Nata* nomen fictum eſt. Alij putant Natam fuiſſe quendam luxurioſum, qui patrimonium ſuum perdiderit, & nobilitatem male viuendo exturpauerit. *Sed ſtupet hic vitio.* Sed hic incalluit, & tam craſſi cordis eſt, vt peccare ſe non ſentiat, & ſemel

merſus neſciat * euadere, id eſt, à malis ſuis ad bona verti non poſſit: & miſerabilis magis quam reprehendendus. *Et alto demerſus.* Hoc dicit: quod ſicut ij, quos vorago cœnoſa abſorbet, nec rurſus ab alta vndarum fauce ebulliunt: ita hos quoque, quos magnitudo criminum merſit, neceſſe eſt vitiorum mole grauatos neſcire quomodo virtutem agnoſcant: vel qua arte ſceleribus careant. *Magne pater diuum.* 35

*ms. emergere.

Vt oſtendat, quid mali patiuntur, qui cum cognoſcant & videant bonam vitam, malam tamen ſequuntur: hic precatur Iouem, vt tyrannos hoſtes publicos hac pœna deiiciat, cum vindicat, vt faciat eos videre bonam vitam & gloriæ probitatem, nec tamen ſequantur, poſſeſſi actibus prauis. Ergo *haud alia ratione*, non diſſimili pœnarum conditione, quam vt virtutem cognoſcant, & cognitam deſerant. *Cum dira libido.* Id eſt, cum malignitas eorum & cupiditas praua ſurrexerit. *Feruenti tincta veneno.* Nunc animi venenum ait: ideo feruenti vel prona voluntas circa quamlibet rem. [Metaphora à lana quæ corrupta ad priſtinum colorem reuerti non poteſt.] *Anne magis Siculi.* An maiora tormenta paſſi ſunt ij, quos Phalaris Agrigentinorum tyrannus tauro aëneo torquebat incluſos: an grauior ſollicitudo Democritum Philoſophum torſit, quem Dionyſius tyrannus opes & felicitatem mirantem, inuitauit ad cœnam, appoſitóque apparatu omni eum magnis epulis frui iuſſit, ſed ita, vt gladius ligatus ſeta ex laquearibus, ſupra ceruices eius penderet, quam torquerentur huiuſmodi ſuis cogitationibus, cum ſe decipi intelligunt, neque tamen corrigunt, & apud ſe ita murmurant, vt nec vxori credant, vt ſecretum eorum ea neſciat, quæ ſcire debeat. [Item. *Quod prox. neſciat vxor:* Vxor inquit quæ eſt proxima. i. corpore adiuncta.] *Imus imus præcipites.* Quomodo ille, qui ſibi ſoli dicit vitia ſua, & ne culpetur, non ea pandere: ita, vt vxori hoc ſecretum abſcondat, & tamen tormentum inani animi ſilentio ſuſtinet. *Quam ſi ſibi dictat.* non furore compulſus, ſed interna conſcientia [furtim] obmurmuret. *Sæpe oculos* 44 *memini.* Senſus eſt. Tu autem, cuius deſidiam & inertiam culpo, non potes tua crimina pueritiæ venia refugere. Omnes quidem ſapientiæ, propter ætatis ignorantiam pueriles ludos præponimus: tu vero iam potes & vitia morum corripere, & ſapientiam cognoſcere, & vitæ viam meliorem indagare. Et enumerat, quæ puer fecit, ne ad ſcholam iret. Merito, inquit, mihi lippitudinem accerſebam, ne Catonis deliberatiuam orationem recitarem, Vtrum moreretur, an non: aut quibus verbis vti potuit, cum ſe deſtinaret interficere. Oculi autem oleo tacti, perturbantur ad tempus: & tamen tormentum hoc nimio ſilentio ſuſtinebat, vt turbatis oculis ad ſcholam non iret. Quaſi diuiſus ſenſus à ſuperioribus eſt. Sed eo reſpondet à pueritia eos auerſum ab eruditione habere animum. Poëtico autem more finxit hunc

ſenſum. Merito mihi accerſebam lippitudinem. Id enim mihi potiſſimum erat, talis ludere, & vim vniuſcuiuſque caſus noſſe: & in collum orcæ nuces iactare, & turbines flagellare. & hinc dicit quibus
Æn. 3. modis pueritia euitabat ſtudia. *Inſano magiſtro.* Id eſt, nimis ſano, vt eſt illud Virgilij: inſanam vatem, aſpicies: pro valde ſanam. Aut certe *inſano,* qui diſcipulorum ſuorum carmina laudabat, cum aliorum debuerant iudicio comprobari. *Quæ pater ſudans*, id eſt, ſollicitus de ſpe filij recitantis. *Iure etenim id ſummum.* Hoc erat, inquit, mihi potiſſimum talis ludere, id eſt, teſſeris, & vim cuiuſcunque caſus noſſe. *Dextrum ſenionem* dicit propicium: quia in iactura talorum ſemper boni aliquid affert. (Aut ſenio maior miſſus, vt Sceua, Immerito, inquit, flebam iſtam, cum ſemper laudarem.) [Tali in hoc loco tres teſſeræ ſunt, numerum impreſſum tenentes in alea. Senio autem & canicula & Venus, propria nomina iactus teſſerarum ſunt. Verbi gratia. Dum tres ſeni proueniunt is iactus ſenio eſt: In quo notandum, quia interdum etiam eſt ſiniſter: Dum vero tres vni, canicula, Venus autem dum iactus iuxta rationem numeri optime cōnectuntur: Quā connexionem vnio. i. canicula in fine tabulæ efficere ſolet.] *Damnoſa canicula.* Canicula pro Cane, quæ in calculis ex omni iactu talorum quinque detrahit, excepta Venere, in qua ſola prodeſt. Canicula enim genus eſt aleæ, quod de numero quinque ſubtrahantur. *Anguſtæ collo non.* Collo amphoræ ex diſtanti loco ait nuces mittere, vt manus non erret.: qui ludus vbique celebratur, & ita præſtat, vt extra collum miſſæ nuces non colligantur: ludo nucum (circa) orcæ collum ponitur: & qui certo iactu iacit in eodem (collo,) victor exiſtit. *Orca* eſt Amphoræ ſpecies, (cuius minore vocabulo orcius, diminutiuo orcūlus eſt.) *Buxum torquere flagello.* Id eſt, turbine buxeo ludere potior flagello. [Vt Virgilius,

Dant animos pelago.]

Haud tibi inexpertum curuos. Interrogatiue legendum, tanquam ſi dixiſſet: Ignotum tibi non eſt, corrupti mores qui ſunt, intelligere, id eſt praui (certe deguſtaſti philoſophiam ? [Item interrogatiue aut pronunciatiue legendum dicens, Non illi eſſe incognitum prauos & turpes & peccantes mores quos curuos appellauit, Ergo ne vidiſti dextrum litteræ Pythagoricæ?] Aut magis pronunciatiue, Certe deguſtaſti philoſophiam. *Quæque docet ſapiens.* Athenienſium porticum
*ms. Porſenna. dicit, in qua picta erat pugna Athenienſium eorum, qui cum * Xerxe Perſa ad oppugnandam Græciam venerant, geſta apud Marathonios campos: quam porticum ſapientem dixit, quoniam ſapientes in ea philoſophabantur: ex qua etiam Stoici dicti. Græce enim porticus στοὰ dicitur, quam & ipſi αἰάκνον vocant. *In ſomnis, quibus & detonſa iuuentus.* Id eſt, noſti etiam & illa præcepta, quibus inuigilat iuuentus

uentus

uentus *intonſa*, id eſt, philoſophi, qui non tondebantur. *Siliquis & grandi paſta polenta.* Id eſt, naturalibus cibis viuere contenta, id eſt, leguminibus & farre: vel victu facili eſuriem ſuam implens: aut quia philoſophi non vtantur carne, dicentes animas animabus non debere dari. Vnde Ouidius,

Heu quantum ſcelus eſt, in viſcere viſcera condi: Lib. 15. Metam.
*Congeſtóque * auidum pingueſcere corpore corpus:* *ms. canis
Alteriúſque animam animantis viuere leto!

Et tibi quæ Samios. Haud tibi inexpertum eſt, quæ Pythagoras Samo inſula ortus præcepit: qui literam Y * inuenit ad modum humanæ vitæ: quæ in infantia vel in initio monitionum pædagogi, & paterno metu ſecta non eſt. Nam poſtquam in adoleſcentiam quis venerit, diuidit. Et in ſiniſtra parte rami, velut vitia ſunt, quæ deuexioribus facilem ad ſe præſtat aſcenſum. Et altera dextera, in qua virtutis opera celebrantur arduum ac difficilem limitem pandit: qua qui euaſerit, quieta ſede excipitur: quas parteis quiſque ab anno ſextodecimo obtinebit. In iis fueris ſtaturus: de qua ſimilitudine dicebat pueritiam ad perniciem cito tendere ac peruenire: ad felicitatem per virtutem tarde veniri. Aliter. Litera Y, quam Samius Pythagoras inuenit inſtar humanæ vitæ, quæ in dexteram partem anguſtiorem aſcenſum præbeat, habens in ſummitate planitiem: in ſiniſtra vero facilem aſcenſum, ſed nullum cacuminis retentaculum, qua per vitia eundem eſſet. & ideo eos præcipitari neceſſe eſt, qui illuc aſcendunt & perueniunt. Altera in qua virtutis opera celebrantur, arduum & difficilem habet limitem: quem qui euaſiſſent, experirentur quietiſſimas ſedes (quem vtrunque limitem quiſquis ab anno ſextodecimo obtinebit, in hoc ſtaturus erit.) Qua ſimilitudine docebat, vt dictum eſt, per vitia ad perniciem cito tendi: per virtutem ad felicitatem tarde veniri. *Surgentem dextro monſtrauit limite callem.* arduum ac difficilem, ſed glorioſum & certum. *Stertis adhuc.* Cuius ætas apta eſt ſapientiæ, & philoſophicis præceptis. *Laxúmque caput compage ſoluta.* Id eſt, crapula marcidus, vix caput ſuſtinens iuncturis maxillarum extenſis in rectũ, & vehementer patefactis. *Oſcitat heſternum.* Crapulam ſignificat. [Vt eſt illud Virgilij.

Heſterno venas vt ſemper Iaccho.]

**ms figurauit.*

Eſt aliquid, quo tendis? Interrogantis eſt. Propoſuiſtíne tibi aliquod genus vitæ, quod ſequi debeas, & in quo neruos animi extendas? An vagus ſine propoſito vitæ rectioris peragrans, vt libuit, omnia facis? & *coruos* lapidibus inſectaris, quod eſt inertiam & ſtultorum iudicium. (Corui enim inſtabiles ſunt, huc illuc tranſuolantes, & non curant aut in alta arbore ſedere, aut in paluſtribus, in aquaticíſque locis: & adulteros figurant.) *Ex tempore viuis.* Hoc eſt, non quo te ſa-

pientia, ſed quo vitiorum impetus duxerit, traheris. *Atque ex tempore viuis.* Cum tua nihil putes intereſſe, quo te pedes ferant, ad horam, & nihil de craſtino cogites: [Habes, inquit, iam propoſitum rectioris vitæ, an adhuc titubans nondum inuenis firmiorem ſententiam quæ te non cogat aliquod remedij genus quærere, vt tuæ vitæ victus iam turpitudine non ſubuenias.] *Helleborum fruſtra cum iam.* Stulti quidã ſolent membris inueteratis in ſe vitiis, medendi remedia implorare: cum vtique primo cauendum ſit, nequis ſanis membris morbus irrepat. Απηγεικός à medicis tractus intellectus. ſic hominibus captis turpitudine ſubueniri non poſſe, ſicut à medicis non poteſt valetudine diutina victis ſubueniri. *Helleborum* autẽ medicaminis genus eſt, quod hydropici ſæpe bibunt: quod ſi nimium ſumpſerint, necat. *Magnos promittere montes.* In prouerbio eſt, *montes aureos.* Grandia enim promittunt, qui in periculo ſunt. Antequam morbus veniat, cauete. Satius eſt ipſis venientibus morbis occurrere. Vt quid enim prodeſt, poſt morbos ſera remedia quærere, & Cratero medico multa promittere? Hic *Craterus* Auguſti temporibus nobilis fuit: de quo Horatius dicit,

Lib. 2. Serm. 3.

Non eſt cardiacus: Craterum dixiſſe putato.

Per hunc vult omnem medicum accipi. *Diſcite, & ô miſeri, & cauſas cog.* Id eſt, philoſophiam. Dicit vnum quemque debere diſcere omniũ rerum rationem, vt ſciat, quid ipſe eſt, & ob quam cauſam natus eſt. Sed & finem vitæ debet intueri, & quæ fugiat, quæ exoptet, quemadmodum in cupiditate teneat ſe: quod bonum, quod aſperum nummus habeat, vel quantum ſuis parentibus largiri oportet: vnde eſt,

Virg. 2. Georg.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

[Sapientem ergo & felicem eſſe dixit, qui rerum potuit cognoſcere cauſam.] Diſcite ergo aut naturalem philoſophiam aut moralem. Naturalis eſt, quæ tractat de rerum naturis. Moralis quæ de moribus noſtris. & hoc dicit, Diſcite in quem vſum naſcimur victuri, aut qualiter victuri, & quid futuri. *Quid ſumus, aut quidnam.* Quia mortales & rationis capaces: & à cæteris animantibus ſola ratione diſcernimur, quam noſſe quemque decet. [Nam ideo facti ſumus vt cum hac viuamus, quæ ratio officiorum, & quæ finis beatæ vitæ: vel ſi facilis vitæ finis, vel quam cito vita noſtra terminetur, quam debemus virtute protendere.] *Ordo quis datus, aut metæ.* Id eſt, vnde & vbi vertamur: vel quem ordinem viuendi natura conſtituerit. quia decet ſapientem, vt in bono vitæ propoſito conſtitutus, ſi neceſſe eſt inflecti, ad meliora flectatur. *Quis modus argento.* Quis habendi diuitias modus ſit. *Quid fas optare.* Quid maxime optandum ſit: quia ſolent ſtulti optare ſibi ſæpe contraria. *Quid aſper vtile nummus habet.* Hoc eſt, quid in ſe vtili-

tatis diuitiæ habeant: quia ille bene poſſidet diuitias, qui eis non abutitur, ſed cum honeſtate diſpenſat. *Aſper nummus*, aut male parcus, aut criminoſus. *Patriæ cariſque propinquis.* Quomodo patriæ vel propinquis ſit largiendum. ſiquidem largitatem remuneratio, tenacitatem pœna ſubſequitur. vt Virgilius hoc volens oſtendere, ait,

——& qui diuitijs ſoli incubuere repertis, Æn.6.
Nec partem poſuere ſuis.

Et Horatius,

Cur eget indignus quiſquam te diuite? Lib. 2. Serm. 2.

Quem te Deus eſſe. Hoc eſt, rationabilem, & diſciplinæ capacem. *Et humana qua parte locatus es in re.* Id eſt, in humana re, ad quos vſus conſtitutus ſis, ſcilicet, vt ſapientiam conſequaris. Vel, quod regnum teneas inter omnia animalia. *Diſce.* ſubaudi philoſophiam, & non inuideas diuitibus, quæ ſapientia non eſt: in quorum cellariis tanta eſt dapium abundantia, vt etiam putreſcant epulæ, quæ conſumi præ multitudine non poſſunt: quæ cellaria muneribus pinguium Vmbrorum vel clientum referta ſunt, quibus defenſionem patrocinando præbet Perſius. Pingues autem Vmbros dixit nobiles, populos Tuſciæ (Vmbria enim Tuſcia eſt) vt Virgil.

Totáque turiferis Panchaia pinguis harenis. Geor.2.

Et bene *peno* dixit non penore, vt Virgilius,

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo Aen. 1.
Cura penum ſtruere.

Quia ab eo quod eſt penus, facit huius penoris ab hoc penore: ab eo, quod eſt penum, huius peni, ab hoc peno. Ergo quas tibi partes iniunxerit Deus in victu, qui cum hominibus eſt, ſumma illarum partium omnium eſt philoſophari: nec te abſtrahat admiratio abundantiæ & potentiæ cauſidicorum à ſapientia, quod pleriſque iuuenibus accidit. *Et piper & pernæ.* ſubaudi putent. *Monumenta* ſunt munera, quæ memoriam efficiunt, eo, quod memoriæ hæreant, qui ea dant: aut quia mentem moneant. *Manáque quod prima.* Mæna ſalſamenti genus eſt ex piſce minuto: quæ locupleti oblata eſt prius, quam finiret illa, quæ in cellario primum habuerat. *Hic aliquis de gente hircoſa.* Hircoſa dixit aut ab odore corporis, quia ex multo labore & cibo & ſomno fœtidum ſudant: aut ad mores barbaros retulit, vt quidam eorum dici putidi ſolent. Et hoc poëta dicit, ne de philoſophia tractantem ſi quidam militum audiat, hoc dicat, *quod ſatis eſt, ſapio mihi*, hoc eſt, ſufficit mihi naturalis ſenſus, nulláque de philoſophia eruditione delector. *Non ego curo. Eſſe quod Arceſilas.* Non curo eſſe hoc, quod Arceſilas philoſophus, aut Solon, qui & apud Athenienſes philoſophus & legiſlator erat, qui duas tabulas legibus addidit. Solones autem ſane more Romano dixit, vt Catones, Camillos, Druſos.

Aerumnos autem, quia frugalitas philoſophorum miſera videtur luxurioſis & prodigis, eo quod animum colentes, corporis cultum abiiciant. Arceſilas Scythi filius Pitanæus [Cirenaticus] philoſophus peritiſſimus fuit, qui Academiam primus inuenit. *Obſtipo capite.* quod tacita & intenta cogitatione quaſi obſtupidi videantur. *Obſtipo*, id eſt, inclinato, & grauitatem ſimulante, & cum obliquitate fixo. *Et figentes lumine terram.* Id eſt, luminibus immobiliter in terram fixis, vt

Aen. I. Virgilius,

——Obtutúque hæret defixus in vno.

Aen. I. Et alibi,

Diua ſolo fixos oculos auerſa tenebat.

Murmura cum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt. Id eſt, cogitationes, atque inuentiones ſuas ſuſurro immurmurantes, & diſputationes ſuas minutas & ſenſim prolatas. *Atque exporrecto trutinantur.* Id eſt, dialectico more verba examinantes, quorum diſputatio talis eſt, vt quaſi diu ægrotantium hominum ſomnia videantur, hoc diſputantes, *de nihilo nihil, in nihilum nil.* Prima Phyſicorum quæſtio eſt, & de qua inter omnes conuenit, Nihilum de nihilo naſci, & nihil in nihilum ſolui: & Mundus de nihilo factus eſt, & in nihilum redigitur. Ideo autem Mundum nihil eſſe dixerunt, non quod hoc eſt, ſed eo quod erit: quia ex nihilo eſt, in nihilum vadit: quæ omnia negat Centurio velle ſe diſcere: & dicit ita. Philoſophi ſibi oculis formant, de quibus ſcripturi ſunt, vt ſcilicet diuturna infirmitate homines, quibus ſiccitate febrium & in ſomnietate, diuerſorum imagines, oculis eorum formantur. Stoici aſſeuerant non poſſe ad nihilum aliquid reuerti, & aliquid non in nihilum diſſolui. Nam corpus atomis conſtat, quod cum decidit, in atomos diſſoluitur. Et ad vtrumque reſpondet, poſſe gigni de nihilo nihilum, ad nihilum nil poſſe reuerti. *Hoc eſt, quod palles.* Ipſe adhuc loquitur. Ex tali ſtudio palles. Ecce ieiunij fructus: quia tam diuturna cogitatio tanquam lucubratio vel inedia pallorem corporibus iniicit. *His populus ridet.* Verba poëtæ. Id eſt, de talibus verbis. *Multúmque toroſa iuuentus.* Iſtis ergo diſputationibus ridet populus, & toroſa iuuentus. Aut multum ridet, aut multum cachinnos ingeminat, aut multum tremulos, aut multum naſo criſpante. *Inſpice, neſcio quid.* De iis nunc dicit, qui infirmitate inualidi, vitia cupiditatum ſuarum ſuperare non poſſunt, & ebrietate aut aliis vitioſis deſideriis tracti, in maius ægritudinem ſuam corroborant, vt etiam vſque ad mortem perueniant. Et ſunt verba ægriloquentis impatienter, quod ſalutem ſuam negligit. Item, *inſpice, neſcio, quid.* Ad ſuperioris ſenſus vim redit,

Helleborum fruſtra, cum iam cutis ægra tumebit,
Poſcentes videas——

& in eos inuehitur, qui non opus ſibi medicinam eſſe dicunt, dant & pœnas huius contumaciæ. *Grauis halitus.* Id eſt malè olens, vt Virgil.

——& grauiter ſpirantis copia tymbra. & Georg. 4.

——graue olentia centaurea. Georg. 4.

Inſpice ſodes. Sodes, id eſt ſolidas: aut antiquæ affectionis eſt, adeo, vt ſoluto eo quidam vſi ſint, vt Plautus, qui per ſolutionem ſic ait, *Dic mihi ſi audes, quæ eſt, quam ducere vis vxorem? Iuſſus requieſcere, poſtquã.* Hoc poëta dicit, Poſtquam ille æger à medico iuſſus eſt requieſcere: & tertia dies eum ſanum inuênit: rogat famulos, vt de nobili apotheca, lagæna Surrentino plena vino ſibi antequam lauet prius adducatur. *Surrentinum*, oppidum Campaniæ, quod bona vina mittit, id eſt, [electa] *lenia.* Vel vina Surrentina, quia ſunt fortiſſima, (dixerit lenia) [Vnde & Horatius,

Surrentina vafer qui miſcet fece Falerna]

Modice ſitiente lagena. Id eſt, non valde plena: quia non impleatur niſi vſque ad collum. *Modice ſitiente.* Id eſt, minus plena: vel quod vetuſtate decoquatur: ac per hoc ſeſe tanquam ſitiens ebibat. *Heus bone tu palles.* Verba ad ægrotum medici, quæ oſtendunt non laborem eſſe finitum. Et introducuntur moriens & monitor loquentes: quorum alterna reſponſio eſt. *Nihil eſt.* Verba ægri curam ſpernentis. & medicus, *videas tamen iſtud* quicquid id eſt. *At tu deterius palles.* Item ægrotus incandeſcit, & dicit, Quid me mones? *Ne ſis mihi tutor,* ego iampridem tutorem meum extuli, id eſt, obrui. *Surgit tacite tibi lutea pellis.* Id eſt, tumeſcit. Hydropicis enim luteus color eſt, id eſt, ſubcroceus. *Tu reſtas.* Id eſt reſiſtis: aut certe, tu alter tutor es, aut ille, quem ſepeliui. *Perge, tacebo.* Et medicus, Quia perſeueras non curari, ſileo, & diſcedo. *Turgidus hic epulis.* Oſtendit eſſe hoc, dum impatientia gulæ tantos cibos ſumit, quos digerere difficile ſit. *Turgidum* dicit crudum, indigeſtum, (vt Iuuenalis,

Turgidus & crudum pauonem in balnea portas.) Sat. 1.

Albo ventre. hydrope pallido. *Gutture ſulphureas.* Id eſt non coctum cibum ructans. *Sulphureas mephites,* à loco fœtido dixit, qui in Italia grauiter ſpirat, vt Virgilius, Æn. 7.

——ſæuámque exhalat opaca mephitin, *ms. vomitus.

Id eſt, indigeſtionem * gemitus ſulfurei. Vel ſulfureas, indigeſtas, corruptum ructans, aut putidas. *Calidúmque triental excutit.* Triental dicit calicem talem, qui tertiam partem ſextarij capit, aut tres heminas. *Hinc tuba candelæ.* Quia ſepultura tubis apud antiquos celebrabatur: vt Virgilius,

It cœlo clamórque virum, clangórque tubarum. Aen. 11.

Candelæ etiam in ſepulturis ante mortuos præcedebant: vt idem Virgilius,

— & de more vetuſto

Aen. 11. *Funereas rapuère faces.*

Tandémque beatulus. Beatulus dicit, non quod beatus ſit, ſed quod nunquam ſplendidior habitu fuerit, quàm eo, quo effertur. Aut certe, quia Romanæ cõſuetudinis fuit ſimpliciter ſepelire, merito * æſtimeris. Ambitionem irridet, (non quia μάκαρες & μακάριοι dicuntur mortui.) non eſt enim Romanæ conſuetudinis: (ὑποκορισμὸς deriſum ſignificat) ſed quia pretioſa in funeribus veſte, ſtragula, cæteríque, etiam pauperculi exponebantur. *Craſsiſque lutatus amomis.* Id eſt, multis oblitus vnguentis, foras pedibus exibit mortuus de domo ſua *alto compoſitus lecto:* quia lecto melius ſtrato in porta effertur, quam eo, quo dum viueret, vtebatur. *At illum heſterni capite induto.* Heſterni ait, à defuncto prius manumiſſi, id eſt, liberti, & ciues Romani facti. *Capite induto.* Quia manumiſſi, [pileati incedebant ante funus. *Subiere,* quod plerumque ipſi manumiſſi] ante manumiſſoris corpus portandum ſubirent. *Tange miſer venas.* Ad hos dicit, qui deſidiæ ſuæ cõſulentes, infirmitatem fingunt: quam mox viſis cupiditatibus ſuis abiiciunt, vt vel auaritia vel libidine trahantur. *In pectore* ideo dicit, quia quotiens plus ſolito cor aut ſalit aut calet, infirmitatis indicium eſt. Conſidera, inquit, tui corporis qualitatem: & ex venarum motu, ſanum te eſſe cognoſſe. Sed ſi aut pecuniæ capiendæ ſpes fuerit, aut puella mollis riſerit forſitan, caleas (inquit) neceſſe eſt, & corde palpites, donec effectum res, quam deſideras, ſortiatur. Modo in auarum, cúmque luxurioſum inuehitur, & dicit. Intelligo te male valere. *Summóſque pedes at.* Digitorum ſummitates ſiue in manibus, ſiue in pedibus, ſi frigidæ fuerint, infirmitatem inſinuant. *Ergo nil calet. & nil friget.* quod ait, aut ipſius ægroti interrogantis verba ſunt, & aliter pronunciandum eſt, quoniam ex cupiditate manuum ſummitates pedúmque frigeſcunt: aut verba ſunt reſpondentis. *Viſa eſt ſi forte pecunia, ſiue Candida vic.* Hæc dicit eſſe vitia, quibus perduntur ij, qui infirmitates ſimulant. *Rite* autem dixit, iam non vt infirmi, ſed recte vt ſani. *Poſitum eſt algente catino.* Ad illum dicit, qui ſeſe mollitiei dedicauerat. Fingis, quod non poſſet os tuum delicatum cibos duriſſimos tranſglutire, & panem non delitioſius cribro diſcuſſum, ſed plebeium, de populi annona, id eſt fiſcalem: licet fruſtra hoc fingis. Alia enim ſunt animi tui vitia vel vlcera, quæ non poſſunt leuibus purgari remediis. Eſt alter ſenſus. Non leuibus aut popularibus cibis, tui faſtidij vlcera poſſunt purgari. Hoc eſt, quod ait, *plebeia radere beta.* Beta genus eſt cibi. *Radere* autem dicit extergere, vt Horat.

Lib. 2. Serm. 2. *Hoc potius, quam gallina, tergere palatum.*

Intimidum & iracundum dicit frigidum ex febre frigida habentem algente catino, non frigidum pulmentarium habentem [vt miſerum

*ms. etiã funeris amb.

& egeſtuoſum, vel tale vt qui ſumunt algeant.] Poſitum eſt in catino olus, & poſita farina non ſcilicet in catino. *Farinam* nunc panem dicit: & hunc fingit gregalem & plebeium eſſe poſitum. Hoc valet, Fingamus apponi tibi, quibus conſueſti elegantius viuere *Tentemus fauces*. 113
Inuitantis verba: *Tenero latet vlcus*. Allegoricῶς vitium labij dicit vſum veſcendi. Quod autem non deceat radere, aut quod non oporteat, quod impatiens ſit: hoc exaſperare dicit vlcus. *Alges, cum excuſſit membris*. 115
Adiicitur etiam, Quod inſtabilitas tuæ mentis furioſum te facit: ſiquidem modo frigore, id eſt, timore tremebundus efficeris, & pilos erigis. (*Ariſtas* enim pro pilis poſuit) modo in iram, calefacto ſanguine, commutaris, & ea dicis ac facis, quæ etiam ipſis furioſis furioſa videantur. *Timor albus* dicitur pallidus, eo, quod timor homines pallidos faciat, ſicut

Pallida mors æquo pulſat pede. *Horat. Lib. 1. Od. 4.*

Scintillant oculi. Id eſt, nimio calore inflantur: & cum times, frigore horreſcis.

IN SATYRAM IV.

REM POPVLI TRACTAS. Hic de iis dicit, qui honoris cupidi ſupra modũ ætatis ſuæ, publici moderaminis gubernacula quærunt ſuſcipere: quod ſignificat per Alcibiadem, qui relictus à patre ſub tutela Periclis philoſophi, præ nobilitate & diuitiis puer rem publicam Athenienſiũ adminiſtrauit. Et eſt ſenſus. Cum puer es, poſſis rempublicã miniſtrare? *Barbatum hoc crede magiſtrum dicere.* Hoc eſt, Puta Socratem loqui cum Alcibiade ſuo: qui Socrates in carcere cicutam bibit, & periit. ob hoc, quod in hunc diſcipulum infamis diceretur. Hic autem Socrates cum incriminaretur (à turbis) de turpi amore Alcibiadis diſcipuli ſui, venenum * bibit in carcere, quo puniretur, & crimen ſuum purgaret, & dum ei diceretur, quod illud venenum, quod ſumpturus erat, accuſatoribus daret, noluit, ſed vt oſtenderet, nihil eſſe morte abſolutius, à crimine ſumpſit. *Quo fretus?* Id eſt, vnde præſũmis, vt rem populi tractes? *Dic hoc magni pup.* Merito dicit *pupille Pericli*: quia ſub tutela Periclis philoſophi auunculi ſui degebat: & tutores dicunt pupillos ſuos, quibus tutelam gerunt. *Scilicet ingenium.* Credendum eſt tibi ante pubertatem magnum ingenium vel prudentiam venire, vt ſcias, quid vel loquaris vel taceas. *Velox prudentia.* ideo dixit, quod celeritate ſua pubertatem præueniat, [Sapientia] autem antequam pili naſcantur, debet intelligi. *Pilos* autem pro barba poſuit. *Ergo vbi commota feruet.*

1

**mi accepit.*

Senſus eſt, Dum commota plebs fuerit, poteríſne manu tua ſeditionem populi ſedare? *Calidæ turbæ*, id eſt, feruore iracundiæ excitatæ: Vel, peritus es dicendorum & tacendorum. *Maieſtate manus*. Quia *quaſi magna & profutura hominibus locuturi, tacere iubent mouentes manum. *Quirites*. Abuſiue dixit, id eſt, ciues. Quirites enim ciues Romani ſunt. *Quid deinde loquere?* Ergo cum ſeditio orta erit, quibus eam verbis compeſces? *Scis etenim iuſtum*. Hoc per ironiã dicit. Reuera ſcis iuſtitiam in lance penſare: & ipſius dubiæ lancis rectitudinem calles diſcernere: & curuam regulam momentare, vbi inter curua ſubit. *Regulam*, dicit ipſum momentaneæ ſtylum. *Varo pede*, id eſt torto, hoc eſt decliui poſt pondus. *Scis etenim iuſtum* æſtimare, huc illuc inclinans iudicium, donec in liquido ſtet ſententia. *Lance*, id eſt libra. *Pede varo*, id eſt, inflexo, & aliorſum quam ad rectitudinem deducto, aut *regula* nunc pro norma abuſus eſt. (Eſt enim ea Vara.) *Et potis es nigrum*. Potis es, id eſt, poſſibilis es, vt Virgil.

*ms. tanquam.

At non Euandrum potis eſt vis vlla tenere.

Eſt ſenſus. Potéſne damnare vitium, & tuo iudicio annotare *Theta*, id eſt ſuam notam? Quoniam iudices literam Theta apponunt ad eorum nomina, quos ſupplicio afficiunt. Merito θῆτα ἀπὸ τοῦ θανάτου, id eſt, à morte, eo quod quaſi habeat telum ſuum: ideóque triſte intelligitur. Vel mortis ſignum: vnde quidam ait,

Æn. 11.

O multum ante alias infelix litera Theta.

Quin tu igitur ſumma. Quin tu, id eſt, nunquid tu definis ante diem, populi fauorem adulationibus captare, quorum adiumentis honore fungaris, cum ſis tantum *ſumma pelle* decorus, & non animo? *Ante diem* autem dicit in comitiis: quia Comitiales dicebantur dies, in quibus ad futuros honores homines deſignabantur. Ideo autem *ſumma pelle*, quod verborum blanditiis malitiã ſui cordis, donec ordinentur, abſcondant. *Blando caudam iactare popello*. Id eſt, populo blandiri? Tranſlatio eſt à canibus, qui cum blandiuntur dominis, caudam mouent. *Popello* diminutiue à populo. Vel, define igitur, ſpecioſe, populi iudicia adulationibus captare, & helleborum potius bibe, vt purgatus conualeſcas, nec optes quod implere non poſſis. *Anticyras melior ſorbere*. Pro tali ergo animi cupiditate eum inſanum ſimulat poëta, quẽ & dicit non niſi multo helleboro poſſe purgari, *Anticyra* oppidum Phocidis, vbi helleborum naſcitur: quod propter ingenium meliorãdum percipitur: vnde Horat.

Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem.

Merito pluraliter Anticyras dixit, vt appareat eius tam magnæ inſaniæ vnam ſufficere non poſſe. Ideo adiecit & *meracas*, id eſt, pingues, ac ſi diceret pingues Anticyras. Anticyras τοπικῶς dixit. neque enim ipſa ciuitas ſorbetur, ſed helleborum, quod in ea naſcitur. *Quæ tibi*

ſumma

ſumma boni eſt? Adhuc hic ſermo Socratis eſt ad Alcibiadem, & quærit, quid ſummum bonum æſtimet. Culpat per hunc etiam eos, qui in cultura corporis ſtudent, & ingenium negligunt: quod Horatius dicit,

Si bene qui cœnat, viuit bene, lucet, eamus
Quo ducet gula.

Luxurioſum & otio deditum interrogat conſequenter, quod ſummum bonum in cœna lautiore, & in nitore corporis ducat [hoc eſt nitido cultu, & epularum vrbano apparatu.] In quo fine beatam vitam reponis? Poteſt & reſpondentem eum facere. *Vncta vixiſſe patella.* Traditur autem Socrates ita Alcibiadi ad aurem dixiſſe: ſed turpe reſponſum eſt. Itaque ſic adaudiendum eſt, nempe ſcilicet *ſumma boni* eſt tibi, vncta vixiſſe patella. *Semper & aſſiduo curata cuticula ſole*: ſubaudi, ſumma boni eſt tibi. *Curata*, ſcilicet à chromatiariis. Nam chromatiarij dicuntur, colorarij, vel qui toto die in arena ſunt, vel in ſole. Antiqui enim vngebant ſe, & in ſole erant, vt oleum corpus inbiberet: vt Iuuenalis, *Lib. 4. Sat. 2.*

*Noſtra * bibat vernum contracta cuticula ſolem,* ** ms. iuuat.*
Effigiátque togam.

Expecta. inſpice: [vt Lucanus,

Omnis in Ionios ſpectabat nauita fluctus.]

Et hoc dicit. Inſpice, ſi non ea, quæ dicis, quælibet anus reſpondeat. *I nunc. Dinomaches ego ſum,* Alcibiades: cui reſpondet poëta, *ſuffla*, id eſt extende te. & intumeſce nobilitate, quod Cliniæ & Dinomaches filius ſis: quorum Alcibiades filius traditur. *Dinomaches*, ſubaudi filius ſum. *Sum candidus. Eſto: dum ne deterius ſapiat pannucea Baucis.* Eſt anula. Id eſt, nunc ſuffla, & iacta te Dinomaches eſſe filium. conſentio te & ditem eſſe & formoſum, dum te non minus intelligat Baucis pannucea: quæ quotiens vendit ocymum, non ſine modulatione vocis, id eſt, adulatione, ad ementes clamat. *Baucis* nomen fictum. inopis anus. *Pannucea* vulgariter pannoſa dixit, id eſt, pannis obſita. Dicit hoc etiam ſummum bonum eſſe cœnandi, anum eſſe dicturam. *Diſcincto vernæ*, à ſeruitio abſoluto vernaculo: vel quod ſecure & ſimpliciter viuat: vel quod præcincta tunica linteo amiciuntur vernæ. *Vernæ* dicuntur vel qui Romæ nati ſunt, aut ſerui domi nati, aut vtroque modo dicuntur. Eſt autem proprie verna domi natus. Aut dicit, qui pridie verna fuit, vel abſolute verna dictus. *Vt nemo in ſeſe tentat.* Id eſt, vt nemo intrinſecus ſe conſiderat: nemo vult ſeſe experiri, *Sed præcedenti ſpectatur.* Æſopus apologorum ſcriptor dicebat vnumquenque hominem duas manticas ferre vitijs plenas: & in ea, quæ ante pectus eſt, aliena vitia: in ea vero, quæ à tergo, noſtra ferri: eóque euenit, vt aliena potius vitia delictáque videamus, quam noſtra. vnde

merito Perſius ait *præcedenti tergo*, hoc eſt, pectore, vbi aliena vitia cernimus. & hoc dicit. Quam difficile eſt, vt quis ſe ipſum intelligat? quia cum omnes propriis vitiis palleant, aliena vitia * tamen culpant. Item, *vt nemo in ſeſe tentat*. Facilius enim quis aliena vitia notat, quam ſua. [ab Æſopo vt diximus tractum, qui ait, nos manticas, id eſt, duos follis vitijs repletos referre, & in ea mantica quæ ante pedes, alia vitia eſſe. In ea quam à tergo ferimus noſtra cernimus. Dopyrius aut φυσιόλογος de vultu hominum mores agnoſcebat: qui cum ad Socratem veniret, ait ei libidinoſus es, Alcibiades riſit. At illum iniuriis diſcipuli afficere voluerunt, quod de Magiſtro eorum iniurioſe locutus ſit. Tunc ille ait, Parcite, ſum quidem libidinoſus: ſed meum eſt ipſam libidinem vincere.] *Quæſieris: noſtin' Vectidi prædia*? Ab aliquo quæris, an norit Vectidij prædia. Quorſum hoc dicat ambigitur, niſi oſtendat, quod de alienis vitijs dicere ſolemus. Prudentes autem, iniquitates hominum notant: ex quibus iniquitatibus nec ſordidi nec mundi placent. *Vectidium* autem quendam dicit, in Sabinis poſſidentem prædia non pauca Curibus: quod nomen loci eſt, vnde & Iuno Curitis dicitur, quia ibi vehementer colitur. *Quantum non miluus oberrat*. Quod dici ſolet ſecundum prouerbium, Quantum milui * volant. [quia milui multum volant] Vel hyperbolycῶs ex prouerbio tantam dicit regionem, quantam volans miluus circumire non poſſit. Inducit ergo (per Vectidium) diis iratis & malo genio natos: qui cum diuites ſint, eſuriunt: & ſale & cæpe veſcuntur: & poſcam etiam in ſacrificio libant, dum non velint dolium vini reſerare. Hoc ergo aut poëta loquitur, aut ille, quem aliena vitia culpantem inducit, & dicit alij. *quæſieris: noſtin' vectidi prædia?* Et ille, *cuius*? Et poëta, *Diues arat Curibus, quantum non miluus oberrat*? Et ille, *hunc ais*? Et poëta, *hunc:* & ſequitur, *dijs iratis, genióque ſiniſtro*, natum ſubaudi, quaſi ſibi ſiniſtro, quod diues eſuriat, & ſale & cæpe veſcatur: quod & Terentius ait, ſuum defraudans genium, comparſit miſer. *Tunicatum cum ſale mordens cæpe*. Tunicatum, multis coriis purgatum. Non comedit, niſi pultem, farra, & cæpe, *pueris plaudentibus*, atque ea deſiderantibus quia pueri pultes amant. *Qui quandoque iugum pert*. Qui quotiens diem feſtum aratro fixo, in compitis celebrat: timens *ſeriolam* vini aperire, aceto potatur. *Compita* ſunt loca in quadriuijs quaſi turres, vbi ſacrificia, * finita agricultura, ruſtici celebrant: merito *pertuſa*, quia per omnes quatuor partes pateant. Item pertuſa compita dicta ſunt, id eſt, vetuſta. Aut compita proprie à cōpotando, id eſt, ſimul bibendo: pertuſa autem, quia [peruius] tranſitus eſt viris & fœmin. Vel compita ſunt, non ſolum in vrbe loca, ſed etiam viæ publicæ ac diuerticulæ aliquorum confinium, vbi ædiculæ conſecrantur patentes, ideo pertuſa ad compita in his fracta

*ms. tantum.

* ms. non volant.

* ms. pro fin.

iuga ab agricolis ponuntur velut ab emeritis quod eſt elaborati operis indicium,ſiue quòd omne inſtrumentum exiſtiment ſacrum,Vel compita dicuntur, ad quæ plura itinera competunt. Quamuis rei diuinæ operatur : nec ſic tamen ab auaritia diſcedit:timétque dolium aperire, diu ſeruatum. *Seriola* eſt orca , vel vas fictile vini , vel * dolium , vel apotheca. *Limum* pro luto poſuit , quo dolia oblinuntur. *Morientis ſorbet aceti.* Morientis, dicit, euaneſcentis : & mira αὔξησις non boni vini (ſaltem) in aceto morientis. Sæpe enim videmus , vt euaneſcenti ſapore corrumpatur , quod vulgo Vappa dicitur. *At ſi vnctus ceſſes, & figas.* Hoc dicit. Si contra corpori curando indulgeas, & vncto corpori , non deerit , qui alium cubito tangendo de moribus loquatur. Et infra ſubiicit , dicens aliquem tam peruerſos mores habere , vt excreſcere barbam vel pilos non ſinat ; quam pectat , & balano vnguento vngat, & pilos in pudendis vellat. Eſt iuxta te , quem neſcis , qui te ſic vitijs deditum emendet , & ſputo caſtiget. *Runcantem populo marcentes.* Runcantem , depilantem. Runcari enim proprie ſegetes vel herbæ dicuntur, cum extirpantur. *Vuluas* dicit ſecreta pudendi corporis, quæ inhoneſtæ & muliebriter viuens , libidini dedicauit. *Arcanáque lumbi.* ſcilicet podicem. Et notandum ſingulariter *lumbi. Vuluas* vero pro natibus poſuit : & vuluas multo audacius. Nam fœminarum loca vuluæ ſunt. *Tu cum maxillis balanatum.* Balanum genus vnguenti : vnde & Horat

—— *&*

Preſſa tuis balanus capillis. Lib. 3. Ode 29.

Et hoc dicit. Cum barbam nutrias , & vnguento madidam pectas: quare inguina tua pſilothro denudas? Item *gauſape* dixit propexam barbam.. Id eſt, cum pexa barba delecteris , quam in maxillis tuis velut gauſape habeas vnguentatam , & defricatam balano : cur pubem vulſam habes? *Gurgulionem* autem nunc penem dicit , cum proprie in gutture ſit gurgulio. Hinc iterum tranſlationes ſunt fortes , ſic fere à tonſoribus curantibus, vt in maxillis pexa barba ſit & vnguentata: infra mentum autem detondeatur. Ideo autem dixit Gurgulionem detonſum extare, ſcilicet libidini alienæ. *Quinque paleſtritæ licet.* Senſus eſt, licet athletæ aut certe tonſores capillos tuos ſemper euellant; fieri tamen non poteſt , vt euulſi non iterum creſcant, quemadmodum filix herba , quæ multas radices mittit: & licet aratro vellatur, non tamen eius radices funditus extirpantur. Et bene ait *plantaria* permanens in metaphora : pro quo ſuperius dixit *runcantem. Elixáſque nates.* Id eſt pſilothro demollitas labefactant , & pilis demptis expoliant. *Cædimus inque vicem præbemus.* Allegoria à ſagittarijs, qui aliena crura ſagittis feriunt, & ſua ferienda aliis præbent ; & ad ſuperiorem ſenſum pertinet , quo dixit , Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo. Ita & nos vitam obiurgamus aliorum , & alij noſtram : & hoc omni-

* ms. doliolum.

bus commune eſſe dicit, quod in vicem nos carpamus inter nos, atque
alios reprehendimus & reprehendimur. *Viuitur hoc pacto: ſic nouimus.*
Vt culpemus & culpemur. *Ilia ſubter cæcum vulnus habes.* De gladiato-
ribus tractum, qui accepto vulnere, inaurato balteo tegunt. Ita &
nos vitia noſtra aliquo dignitatis velamine, vel prætextu diuitiarum,
cælamus. *Sed lato balteus auro.* Hoc eſt, Nobilitas cælat vitia: vel &
hoc videri poteſt, quod omnes habent, quod occultent. ἀλληγορικῶς
expreſſit intellectum gladiatorum. Nam & nos habitu & dignitate te-
gimus mala noſtra, cum ipſi eis aſſentimur. *Vt mauis da, verba.* Qui
45 vulnus accepit diſſimulat, & aliorum viſus vel ſuſpitiones illudit: cæ-
terum neruis, id eſt, viribus ſuis, verba non poteſt dare, id eſt, non
poteſt fallere conſcientiam ſuam. *Egregium cum me vicinia.* Verba illius
culpati interrogantis poëtam. Si bonus & honeſtus vulgo videar, non
credam, aut iudicio populi fidem non habeam? aut ſi boni vulgo di-
cimur, quid ad rem, ſi ſine ratione viuimus? *Viſo ſi palles improbe.* Si
cupidus es & ad conſpectum pecuniæ palleſcis: ſi libidinoſus, & gra-
uis debitoribus fœnerator: ſuperuacue aures tuæ laudantium vocibus
inflantur. *Puteal* vicus eſt apud Vrbem, vbi fœneratores debitoribus
pecuniam credebant. Puteal autem dictum eſt, quod ibi debitor cre-
ditori dans bona ſua, tanquam in puteum mittat. *Vibices* dixit cica-
trices ἀλληγορικῶς, quod fœneratores debitoribus ſuis vſuras inno-
dantes, tanquam vulnerum in eis cicatrices aperiant. *Flagellas* dixit,
id eſt, ad exigendum eos commoues. Hæc omnia faciens, fruſtra opi-
nioni vel exiſtimationi popelli credulas aures accommodas. Quid
enim ad rem pertinet, ſi vitioſis moribus ſumus, & ſine ratione ac
modo viuimus? Tunc bonum te (inquit) ciues iudicabunt, ſi con-
temnes pecuniam, incorrupte vixeris. Fœneratores ad puteal Scribo-
nis Licinij, quod eſt in porticu Iulia ad Fabianum arcum conſiſtere
ſolebant. *Puteal* autem dictum eſt, in quo fœneratores deambulabant.
Eſt hypallage, id eſt, ſenſus conuerſio. Non puteal flagellas, ſed de-
bitores, qui illo conueniunt. *Multa vibice,* Id eſt, multa & graui vſu-
ra. Siquidem vt vibices, hoc eſt, plagarum cicatrices, faciunt homines
recordari: ita vſuræ damnum patrimonij facientes, cogunt mendi-
50 care debitores. *Vibice flagellas.* aſperas vſuras pecuniæ. *Vibices* ſunt
plagarum tumores, [ac liuoris veſtigia. Vel Vibicem dicimus genus
arboris lentæ, quod vulgus Biduuium vocat.] *Reſpue quod non es.*
Id eſt reſpue laudibus capi, quas in te non habes, nec agnoſcis. *Tollat
ſua munera cerdo.* Adulationis. Barbarus ille, imperitus neſcio quis ex
populo, ſibi habeat, quo te laudat: aut vnus ex vicinis, quem allo-
quitur, habet falſum teſtimonium. *Per cerdonem,* plebeiam turbam ſi-
gnificat. Ideo cerdo populus dictus ἀπὸ τοῦ κέρδους. Nam κέρδος lucrum
dicitur. *Tecum habita.* Id eſt, quod nemo magis, quid ſis, ſcire poteſt,

quam tu, qui conſcius es tui. *Vt noris, quam ſit tibi curta ſupellex.* Hoc eſt, quam multa tibi deſint, vt ſis vir egregius. Tranſlatio ab anguſta re familiari, ad inopiam virtutum.

IN SATYRAM V.

VATIBVS *hic mos eſt.* Hanc ſatyram ſcribit ad Cornutum, in qua eos culpat poëtas, qui ſolent ad [ornanda] ſua carmina, tanquam ſint grauia, & difficilia, centum linguas, & centum voces expoſcere, quodcunque opus velint ſcribere, ſiue bella, ſiue tragœdias. Dicit autem ſibi iis vocibus opus non eſſe, vtique qui mediam & vilem ſatyrici carminis materiam ſcribit. [Superciliosa poëmata ſcribentibus mos eſt, forſitan intra ſe optare hoc: Alioquin in nullo carminum notorum, tale aliquid votum eſt.] *Fabula ſeu mœſto.* Senſus eſt, ſiue tragœdiam, ſiue bella deſcribant. *Mœſto* dixit, rem mœſtam ſcripturo: quoniam omnes fere tragœdiæ ſceleribus conſtant, & earum argumenta ex rebus luctuoſis ſumuntur. *Ponatur.* ſcribatur: vt idem Perſius.

——nec ponere lucum Artifices. ——

Hianda. à vocis magnitudine, vel oris diductione: vel etiam ab habitu perſonarum, quaſi acturi accipiunt. *Vulnera ſeu Parthi.* ſiue heroïco carmine virorum fortium facta narranda ſint. Specialiter Parthi nomine vſus eſt, cum generaliter Parthos barbaros ſignificet. [Hoc & Horatius ait,

Vel labentis equo deſcripſit vulnera Parthi.]

Quorſum hæc? aut quantas. Hoc dicit: Quid proficit hoc, vt carminibus centum ora poſcas? Nunquid habes in robore & craſſitudine tuorum ſcriptorum tam immenſas delitias, vt poſſint centum patientia ora implere? quæ tanta materia eſt, vt centum linguis opus ſit? *Grande locuturi, nebulas.* Grandia locuturis huiuſmodi poëtis concedendum. *Nebulas*, id eſt, vanos ſpiritus dicendi ex fonte Helicone captent, vt inſolita & tumida carmina ſcribant. Ideo Helicona petunt, qui Muſis ſacer eſt. *Si quibus aut Procnes.* Illi ſcilicet Helicona petant, quibus propoſitum & libitum eſt carmina vel tragœdias de rebus luctuoſis facere. Nam Procne ob ſtuprum ſororis, quod à marito eſt compreſſa, dolens, filios ſuos, quos de Tereo marito habuit, occidit, & ei epulandos appoſuit. Similiter & Atreus, Thyeſtis fratris filios interfecit, propterea quod eius vxoris adulterio vtebatur. *Ollam* dixit, in qua occiſorum corpora decocta ſunt, & ei de filiis ſuis epulas præparauit: qui Atreus habere dicebatur agnum purpureis velleribus, de quo oraculo reſpon-

ſum fuerat, tam diu imperaturum, donec eſſet, qui eum immolaret: & cum eum adultera mœcho tradidiſſet immolandum, ille recognita filios adultera comedendos appoſuit: ex quo maximo crimine ſcripta tragœdia eſt. *Sape inſulſo cœnanda Glyconi.* Hic Glycon tragœdus fuit, Neronis principis temporibus. *Inſulſo,* quod ſine iocis fuit, vel moribus inſulſus. Alij Glyconem pantomimum [ſignificant.] *Cœnanda* bene dixit, tanquam interſit feralibus cibis, qui de talibus rebus aſſidue tragœdiam compoſuit. Glycon tragœdus populo mire placuit, & ideo à Nerone manumiſſus eſt, datis Virgilio tragœdo, domino eius, pro parte dimidia, quam poſſidebat ſeſtertiorum trecentis millibus. Hic fuit ſtaturæ longæ, fuſci corporis, labio inferiori demiſſo, antequam ſubornaretur deformis, neſcius iocari: propter quod eum inſulſum Perſius dixit. *Tu neque anhelanti coquitur.* Hoc dicit. Tu non deſcribis more poëtico, Vulcani officinam, in qua dicuntur venti clauſi follibus ignes tam diu adiuuare, quandiu rigor ferri molleſcat. Vnde & Horatius ait,

Lib. 1. Serm. 4.

At tu concluſas hircinis follibus auras
Vſque laborantes, dum ferrum molliat ignis,
Vt mauis, imitare.

Vel, tu cum ſcribis, non inflas te, vt fabrilem follem ventos exprimentem follem premis, non profers res tumentes. *Nec clauſo murmure raucus.* Mos eſt alta cogitantium carmina frequenti deambulatione, donec reperiant apta, tacite ſecum murmurare. Et hoc dicit, Tu Cornute, neque tecum *Cornicaris*, id eſt, more cornicis lentus cum murmuratione incedis: quæ raucum quiddam ſecum murmurat. Nam de inceſſu eius Virgilius ait:

Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur harena.

Geor. 1.

Cornicaris, nouum à poëta verbum compoſitum. Cornicaris, ſubmurmuras, & quaſi more cornicis voces profers, id eſt, & ſumme ſcribis, & ſumme pronuncias, quod tecum cum murmure loqueris, in modum cornicis murmuras: vel certe iratus, vt cornices, clamas ſuperflue, tumido gutture (vel ſuccinis homonice.) *Nec ſclopo tumidas.* Neque talia ſcribis, quæ ventoſis & inanibus verbis inflata ſint, ſed quæ æqualitate ſua ſint robuſta & pinguia. Sclopo dixit μεταφορικῶς, à ludentibus pueris, qui buccas inflatas ſubito aperiunt, & totum ſimul flatum cum ſonitu fundunt. *Verba togæ ſequeris.* Id eſt, apta paci, vel forenſia, quibus cauſidici in ſermone quotidiano vtuntur. (*Toga* eſt dicta, quod velamento ſuo corpus tegat atque operiat. Eſt autem purum pallium, forma rotunda & fuſiore, atque inundante ſinu: & ſub dextro veniens, ſuper humerum ſiniſtrum ponitur: cuius ſimilitudinem in operimentis ſimulacrorum vel picturarum aſpicimus: eáſque ſtatuas, togatas vocamus. Toga vero, Romani in

pace vtebantur: belli autem tempore, paludamentis. Menſura to-
gæ iuſtæ ſenas vlnas habebat. Toga palmata dicebatur, quam me-
rebantur ij, qui portabant de hoſtibus palmas.) Sic ergo ſcribis, vt
ſermo tuus vrbane atque aperte iungatur. *Iunctura callidus acri.* Hoc
dicit, Præcepta philoſophica plane & bene captatis verbis exeque-
ris, doctus * mores pallentes erradere, & ſale ſatyrico vitiorum *ms. morbos eradere & facile ſat. vitio.
culpas ſignare: vel bona compoſitione tantum, id eſt, verſificatione
diſcedens à vulgo *Ore teris modico.* Id eſt, ita formato ore, vt compte
loquentibus figuretur. *Teris*, id eſt, expolis. *Modico*, id eſt, breui
ſermone. *Pallentes radere mores.* Peritus mores obtrectare vitioſos, 15
ſcribendo ſatyram, & obiurgationis animaduerſione corrigere, vt
medici radere dicuntur carnem de vulneribus putrem, dum ad vi-
uum perueniant, quo facilius curent. *Pallentes* autem conſcientia,
aut vitioſos generaliter, aut ægros. *Et ingenuo culpam defigere ludo.*
Ingenuo, id eſt, liberali ludo: *defigere*, id eſt ferire culpam, vel in-
genuis iocis notare, ſubaubi cautus. Vel defigere dixit notare. Vel
ingenuum ludum dixit ſatyram: quoniam niſi ingenuus & liber à
criminibus non iocatur. *Hinc trahe quæ dicas.* Id eſt, aut ex ſimplici-
bus verbis, aut ex ludo, id eſt, moribus corrigendis ſcribe, & tra-
gœdias prætermitte. *Cum capite & pedibus.* Dixit, ad ſuperiorem
ſenſum referens, vbi Atreum Thyeſtis filios coxiſſe commemora-
uit. Deinde cum ille minus, quod comedebat agnoſceret, capite &
pedibus filiorum oblatis, intellexit. (Thyeſtes filios proprios come-
diſſe.) *Plebeiaque prandia noris.* Securos & ſine ſceleribus plebeios
cibos, id eſt, ſatyram: aut ἀπηγεικῶς, mediocritatem ſectare. *Non
equidem hoc ſtudeo.* Nec ſtudium meum eſt tale vt more Græcorum,
culpatus tragœdiam ſcribam: ſed contentus ſum ſatyras ſcribere.
Pullatas autem *nugas* tragœdiarum ait, propter triſtes fabula, & quod
maxime pulla veſte, id eſt, lugubri tragœdi vtebantur. Legitur & *Bul-
latis*, id eſt, ornatis. Hoc non eſt propoſiti mihi genus, vt ſtudeã bul-
latis nugis quicquam ſcribere, id eſt pueribus iocis ac verbis: ſed nos
loquimur digna grauibus verbis, ô Cornute. [vel pullatis. i. pallia-
tis vel Græcis.] *Dare pondus idonea fumo.* quæ digna ſunt incendio,
allegorice, quod fumum res vanas & leues extollere, vt villiſſimas
res pro ponderoſiſſimis commendare. *Dare pondus idonea fumo.* Hoc 20
dicit. Sic eſt is, qui velit vanam rem, & leuem aut vilem materiam
nobilibus verbis deſcribere, & ad res nugoſas, centum voces vel
multa pectora exoptare, quomodo ſi velit fumo pondera ferenda
imponere. *Secreti loquimur.* Hoc eſt, ea quæ ſcribimus, digna non
ſunt theatro, nec magnis auditoribus recitanda, ſed tibi ô Cornute,
placitura. *Tibi nunc hortante camœna.* Tibi præbeo [purgãda vel] pro-
banda carmina mea. *Quantáque noſtra pars.* Similiter ab Horatio de

Virgilio, *Et ſerues animæ dimidium meæ.*
[Ad Annæum Cornutum philoſophum egregium virum, qui eius auditor fuit, loquitur. Sententia à Pythagora tracta: ille enim interrogatus quid eſſet amicus, reſpondit quæ Horatius ſic poſuit.

Et ſerues animæ dimidium meæ.]

Perſius autem vt aliquid ſcilicet amicitiæ nouaret, permiſit Cornuto æſtimare quantam vellet propriæ animæ partem ſuam dicere. (*Tibi dulcis amice oſtendiſſe iuuat.* aut carmine aut præcordia.) *Pulſa dignoſcere cautus.* Allegoria ab iis, qui pulſando explorant, an integra ſint vaſa. Et hoc dicit: Scis enim intelligere, quid ſit integrum aut vitioſum: vt idem infra, Reſpondet viri non cocta fidelia limo. *Et pictæ tectoria linguæ.* Id eſt, qui noſti hominum vitia, quæ verbis celant inuenire. *Hic ego centenas.* Ad hoc mihi centum voces opto, vt talem te dicam, qualem te habeo in pectore. *Sinuoſo*, capaci, (& imis præcordiis fixi.) *Voce pura*, fideli. Ego ad hoc centum ora habere cupiam, vt digne dicam, quantum mihi curæ tui ſit. *Totúmque hoc verba reſignent.* Et hoc totum, quod te in infimo pectore, & in imis
30 præcordiis fixe diligo, verborum referetur indiciis. *Cum primum pauido cuſtos.* Dicit ſe poëta mox prætexta depoſita Cornutum ſequi. *Prætexta.* virilis eſt veſtis, quauſque ad ſextumdecimum annum pueri vtebantur: in quo cultu dicit ſub diſciplina eſſe. *Pauido* ergo, ait, timenti: quod ſub metu pædagogorum prætextati pueri magiſtros timent. *Bulláque ſuccinctis laribus.* Genus veſtis puerilis eſt *Bulla*, quam ſolent pueri depoſita pueritia dijs penatibus donare. Vel certe ornamenti genus eſt, quod ante pubertatem habent. [Vt Iuuenalis,

Dic ſegnior bulla digniſſime.

Id eſt, qui dignus eſt dici puer.] *Succinctis laribus.* Quia Gabino habitu cinctúque dij Penates formabantur, obuoluti toga ſupra humerum ſiniſtrum, dextro nudo. *Cum blandi comites.* adulatores dicit adoleſcentium ſeruos, qui blandiri domino adulto conſueuerunt: quos prætextatos coërcebant. *Totáque impune ſubura.* Subura pars frequentiſſima Vrbis, illecebris plena. Et eſt ſenſus, Cum mihi iuuentus conceſſit libere ambulare, & ſine correctione cuſtodis quæ vellem, aſpicere. *Vmbo*, toga virilis, qua iuuenes vtebantur. *Sparſiſſe oculos.* huc illud detuliſſe. [Permiſit ſparſiſſe quia hoc turpe prætextatis. Idem in iuuenibus minus notabile eſt.] *Candidus vmbo*, συνεκδοχικῶς pro toga. alioquin & in prætexta candidus Vmbo eſt. *Cúmque iter ambiguum eſt.* Adoleſcentiam vel pueritiam dicit inter virtutes & vitia nutantem eſſe, ideo, quod in ea poſiti, neſcientes erremus, dum ambigitur vtrum ad virtutes an ad vitia declinare velimus. Hoc ergo ſecundum Pythagoræ rationem, qui Y literam, ſimilem vitæ noſtræ dicebat. *Ramoſa*

moſa compita. dicit plures vias habentia, vt in ſtemmate rami ſparſi ſolent eſſe. *Compita* proprie dicuntur, vbi multæ conueniunt viæ, vt triuium, vel quadriuium. Aut *error* qui eſt *vitæ neſcius*, id eſt, quomodo viuendum ſit: aut vitæ error, qui eſt neſcius [vel imprudens,] & ſtultus. *Deducit trepidas.* Alternare propoſita facit, & modo hoc, modo illud iter cogitatione apprehendere *Me tibi ſuppoſui*, tanquam aliquod pignus. Et eſt ordo: Cum primum pauido cuſtos mihi purpura ceſſit, Me tibi ſuppoſui. *Teneros tu ſuſcipis annos.* Hoc eſt, ineuntem adoleſcentiam meam ſapientiæ contubernio, & morali * eruditione ſuſcepiſti. Et bene hic *ſuſcipis* dixit, propterea quod ait ſupra *ſuppoſui. Tunc fallere ſolers appoſita.* Mox vt me excepiſti, appoſita mihi à te regula viuendi eſt: quæ regula ſolers fallere, intortos meos mores extendit, & de vitæ prauitate ad melioris vitæ rectitudinem adduxiſti. *Solers fallere* ideo dixit, quod cum ſtultis obrepat: ſapientes oportet recte cognoſcere, vt ipſa emendatio lente ac ſine tormento fiat: ne per aſperitatem doctrinæ in ipſis rudimentis non tolerantes, impatienter ferant corrigi. Vel ſiquid in me corrigendum fuit, ratione emendaſti. *Artificémque tuo ducit.* Præceptis tuis ita formatur animus meus, ſicut artifices ſimulachra pollice & manu depingunt. *Artificem vultum.* per artem factum, ſecundum intellectum ſimulachrorū, quæ ab artificibus finguntur. *Memini conſumere ſoles.* Soles dixit dies. [vt Virgilius,

Tris adeo incertos cæca caligine ſoles
Erramus pelago.]

Et tecum primas. pro primis partibus noctis poſuit. *Vnum opus & requiem.* Id eſt, ſimul ſtudiis exercemur, ſimul otiis fruimur. *Atque verecunda.* Honeſtis iocis ad menſam vtimur, vt animus ſeriis remittatur. Ad menſam enim cuiuſlibet rei relaxanda eſt aſperitas, vbi nihil colloquimur, niſi certa lege,] & decreto naturæ] *conſentire dies.* Natalis ſui dicit atque Cornuti. *Et ab vno ſidere duci.* Hoc ſecundum aſtrologos dicit, qui dicunt natiuitates hominum in ſideribus conſtare. Et hoc dicit. Non puto diſcordare geneſin in natiuitatibus noſtris, ſed ab vno ſidere nos procreatos. *Noſtra vel æquali.* In diuerſas eiuſdem libræ lances impoſita, æquale examen habuerunt. *Libram* autem dicit, quæ eſt ex duodecim ſignis. *Parca tenax veri.* Id eſt, fatum immutabile. [vt Virgilius,

Deſine fata Deûm flecti ſperare precando.

Aequa libra quia menſuræ vices fungitur in equinoctio, vt Virgil.

Libra die ſomnique pares vbi fecerit horas.]

Horam noſtram, fatum, quod mutari neſcit, libræ coniunxit. *Seu nata fidelibus hora.* Quia tantum poſſunt Gemini, quantum poſſit & Libra Mathematicis: Ergo quia aut in libra ſumus nati, aut in ſigno

* *ms tuitione.*

geminorum: merito concordant mores & animi. Sub Geminis enim nati, in amicitiis permanent, vt & ipſi concordiſſimi fratres ſint. *Seu nata fidelibus.* Ad generandos fideles inter ſe, quod veriſimile eſt in geminis exiſtere: quia vnum ex duobus corpus hoc ſignum eſt, id eſt, in ſignum Geminorum fata noſtra *diuidit*, id eſt, diuidendo coniungit. Senſus ab Horatio tractus.

Lib. 2. Ode 17. *Seu Libra, ſeu me ſcorpius aſpicit*
Formidoloſus. ——

50 *Saturnúmque grauem.* Stellam Saturni grauem præ cæteris ſtellis dicit, meliorem Iouis ſtellam memorat. Nam ſtella Saturni malefica eſt illis, quorum natalem diem aſpicit: Iouis benefica quæ cum radiauerit, Saturni aſtrum frangit. Et hoc dicit, Si quid erat, quod malum geniturae meæ ſignum Saturni inferret, proſperitate ſtellæ Iouis eſt depulſum. [*Saturnum grauem,* qui eſt grauis in geneſi vtriuſque: *frangimus noſtro Ioue*, quia & mitis à noſtro Ioue eſt, fauente hominibus & ſuccurrente aduerſus grauem Saturnum, vt non ſinat obeſſe Saturnum.] *Quod me tibi temperat aſtrum.* Coniungit, æqualem facit. Hoc dicit, Siue ſub libra, ſiue ſub geminis noſtra natiuitas vno aſtro luſtrata eſt: credo tamen aliquod aſtrum me tibi concordare. *Mille hominum ſpecies.* Varios homines exprimit, & quaſi reprehendit vltus eſſe diſſimiles, ita actus diuerſos eſſe monſtrat, vt Horat.

Lib. 2. Serm. 1. ——*quot capitum viuunt, totidem ſtudiorum*
Milia. ——

Et Terentius,

Quot capita, tot ſententiæ.

Hoc dicit. Cum variæ hominum voluntates ſint, & diuerſa propoſita: optimum eſt ea, quæ imbutus horto etiam cæteros affectare: Aliter. Vt variæ figuræ hominum, & rerum non vnus vſus, ita variæ quoque voluntates, nec idem omnes appetunt. *Et rerum diſcolor vſus.* Variis actibus in vita vtuntur. *Velle ſuum cuique eſt.* Et Virgilius,

Eclog. 2. ——*trahit ſua quemque voluptas.*

Sub ſole recenti. ſub regione orienti vicina, & & nondum fatigato. Et eſt hic ſenſus ab Horatio tractus.

Lib. 1. Serm. 4. *Hic mutat merces ſurgente à ſole.*

55 Et hoc dicit, Hunc delectant mercimoniorum lucra, dum alias merces ab his mercibus mutat. *Rugoſum piper.* Bene dixit, epitheton ipſius eſt. *Et pallentis grana cumini.* Quia etiam hoc pallidum eſt: Vel quia, qui id bibunt, pallere ſoleant: aut quod pallidos faciat, non quod palleat. Eſt enim contrarium ſanguini, quo accepto hebeſcit ſanguis, & naſcitur pallor. Vnde Horatius,

Lib. 1. epiſt. 19. ——*quod ſi*
Pallerem caſu, biberent exangue cuminum.

Hic ſatur irriguo mauult turgeſcere. pingueſcere: quia pleniores ſunt venæ in ſomno, & corpus eo inflatur. *Satur* ergo, cibo plenus. [alium dicit ſomno operam dare.] *Irrigo*, eo quod ſomnus corpora irriget, [vt Virgilius ait,

Somno irrigari corpora.]

Hic campo indulget. Aut campo Martio pro honoribus appetendis: aut certe campo, agriculturæ. Vel campo, luſibus, & exercitationibus vacat, vel militiæ. *Hunc alea decoquit.* Alium ſtudium aleæ labefactat, & re familiari ſpoliatur: vnde decoctores, rerum ſuarum venditores, [dicimus] alieno ære cogente, *Ille in Venerem putris.* Alter aſſiduo coitu eneruis, afficitur ad concubitum inutilis & ſolutus & libidinoſus, & ipſa re infirmus. [Legitur & in venerem putrit, id eſt putreſcit, conficitur. *Sed cum lapidoſa chiragra.* Lapidoſam chiragram dicit articularem morbum, id eſt, dolorem manuum: quia chiragricorum articuli tubercula habent, quæ lapidis duritiem exercent, & ſunt ramorum fere tumidorum ſimilitudine pares. [Legitur, & curuauerit ſicut ventus arbores vel earum ramos.] Conſtat autem hoc de libidinoſis, quos morbidos ait factos, ſero ſe intemperantiæ ſuæ corrigere pœnitentia: quoniam ſenectus eos debiles excipit. Vel quia dicuntur chiragricis lapides inter artus, id eſt, inter nodos exire. (Artus enim membra ſunt maiora:) vnde articuli dicti: qui morbus cum manus tenuerit, eius humor in lapides conuertitur, & digitos frangit, ac tortuoſos facit, vt ſint ſimiles tortis ac veteribus ramis (fractis) fagi. *Tunc craſſos tranſiſſe dies.* Per intemperantiam & libidinem dicit homines debiles fieri, & ſero vitiorum ſuorum pœnitentiam velle agere: quæ vitia emendare volentes, ingemunt, quod etiam tranſacta meliori vita fraudati ſunt. *Craſſos dies.* dicit, in quibus obtuſe & ſine vlla ratione vixerunt. *Lucémque paluſtrem.* obſcuram, propter nebulam, quæ de paludibus naſcitur: ſed hoc ad animi cæcitatem transfertur. *Et ſibi iam ſeri.* eo quod vita eos reliquit in vitio poſitos: vel non ſufficiente ad correctionem tempore, vita relicta, tanquam non viuant, qui vitiis ſemper indulgent. *Ingemuere* autem bene expreſſit: quia tales ſenectus excipit. *At te nocturnis.* Verum tibi, ô Cornute, libitum eſt, ſtudendo de vigiliis pallorem contrahere. *Cultor enim iuuenum.* Cultor enim ait non cliens: ſed emendator vel eruditor adoleſcentium. *Purgatas inſeris aures.* Tractum eſt ab agricolis, qui arbores infructuoſas, vt ſint fertiles, purgant & inſerunt. Ita & tu perſuaſionibus tuis aures iuuenum à vitiis emundatas, bono cultu doctrinæ inſtitutis *Fruge Cleanthea.* Fructu philoſophiæ vel Stoicorum præceptis: cuius ſectæ Cleanthes philoſophus fuit. *Petite hinc iuuenes.* Diſcite, ô ſenes, & pueri, quo debeat animus tendere, id eſt, ad philoſophiam: & ſenectuti veſtræ diſcite. *Viatica,* hoc eſt præſidia,

[vel ſolatia] ſenectutis. *Cras hoc fiet.* Verba ſtudiorum deſidis ad poëtam. *Idem cras fiet.* Perſius. *Quid quaſi magnum nempe diem donas.* & ille ſtudiorum deſes, Quaſi aliquid magnum concedis, ſi vnius diei ſpatio * vitioſus ſim. *Sed cum lux altera venit, iam cras.* Et Perſius, Nulla dilatio eſt interponenda ſtudiis. Siquidem ij decipiuntur, qui tolerabiliter exiſtimant vnam diem indulgere vacationi: qua tranſacta delectabit vacare in alia. Sic dum leue videtur vna die otioſum eſſe annus per ſingulos dies in otio conſumitur. *Ecce aliud cras egerit hos annos.* Id eſt, Hoc cras, quod ait, *annos,* eliquat & conſumit, [vel præterire facit.] *Et ſemper paulum erit vltra.* Id eſt, differendo ſemper ſtudium, deſidia nullum finem inueniet: quia dum venerit cras, aliud ſupereſt, quod iterum differas. *Nam quamuis propete.* Hunc locum poëta per ſimilitudinem *Redæ,* quod eſt genus vehiculi quatuor rotarum, exprimit, dicens. Licet, *Sub vno temone* præcedens & ſubſequens *Rota* decurrat: nunquam tamen poſterior præcedentem conſequitur, licet paruo ſpatio interpoſito, tantundem prior, quantum poſterior voluitur: Ita & nos docet: quia diem, quam differendo doctrinam perdimus, nunquam die ſequente ad ſtudia reparamus. *Libertate opus eſt.* ad ſapientiam opus eſt hortaturus, materiam hanc ſibi delegit [dicens] ſolum liberum eſſe ſapientem. Conſtat autem & Ariſtipum ſic iuuenes ſolere ad ſtudium ſapientiæ hortari. *Libertate opus eſt.* tanquam ſi diceret, ſapientia in omnibus neceſſaria eſt. *Non hac, Qua, vt quiſque vel.* Non illam libertatem dicit, quam quiſque per manumiſſionem ciuis Romanus factus, conſequitur: & in tribu *Velina* cenſetur, publicum frumentum accipere: ſed eam libertatem, quæ de ſtudio philoſophiæ naſcitur. Velina tribus numero aliarum tribuum acceſſit. Nam qui circa Velinum lacum habitabant, Romam tranſlati ſunt. Romæ autem erat conſuetudo, vt omnes, qui ex manumiſſione ciues Romani fiebant, in numero ciuium Romanorum frumentum publicum acciperent. Ergo ſenſus eſt. *Libertate,* hoc eſt ſapientia, vtendum eſt: non autem illa, *Quam Publius emeruit,* qui per *teſſeram ſcabioſum far poſſidet,* id eſt corruptum & putre frumentum. *Heu ſteriles veri.* id eſt, ignari veritatis. Sunt qui exiſtimant libertatem per ſolam manumiſſionem acquirere. *Quibus vna quiritem vertigo facit.* Quia quotiens manumittebant eos, alapa percuſſos circumagebant, & liberos confirmabant: vnde manumiſſio dicta, quod manu eius mitteretur. *Quiritem* autem ſingulariter abuſiue dixit, licentia poëtica. Nam ſicut pater conſcriptus non dicitur, ita nec quiritem dicere poſſumus. *Hic dama eſt non treſſis.* Quaſi interrogans poeta dicit: Hic, qui liber eſt factus, iam *dama* eſt, id eſt nobilis ſenator, & non ſeruus ? *Agaſo* iumentorum miniſterio deputatus appellatur: quem ſic nullius meriti eſſe dicit, vt cum tribus nummis valere con-

*ms. otio-ſus.

cedat. *Vappa & Lippus.* Vappa proprie ſordes ſunt aceti. Lippus, prauus: Hunc autem prauis moribus ſignificat, & fraudulentum: quia nec dum iumentorum cibariis ſe temperat. *Verterit hunc Dominus.* Hunc, qui liber efficitur. *Papa.* Interiectio, quaſi vox admirantis. *Marco ſpondente.* Id eſt, fidem dicente. *Marco ſub iudice palles?* Hoc εἰρωνικῶς dicit: quia neque illo fidem dante, pecuniam credere dubites: neque illo iudicante formides, id eſt, qui iudicet: apud quem non timeas, ne iniuſte damneris. *Aſſigna Marce.* Id eſt, ſigilla. *Hac mera libertas?* Hanc tu arbitraris certiſſimam libertatem, quam ex ſeruo factus liber & ciuis Romanus acceperit? *Hanc nobis pilea donant.* ſeruis, qui beneficio dominorum manumittebantur, vt ſuperius dixit, At illum heſterni capite induto ſubiere quirites. *An quiſquam eſt alius liber.* Propoſitio talis eſt ſyllogiſmi. Alius liber non eſt, niſi ſi cui licet vitã ſecundum ſuam voluntatem producere. Aſſumptio eſt hæc, Mihi autem licet viuere, vt volo. Deinde infertur concluſio, Sum ergo Bruto liberior. *Mendoſe colligis, inquit.* Contradicit autem philoſophicis propoſitionibus hic Perſius, ſyllogiſmi dicens falſam eius eſſe collectionem, Quod omnis, qui viuit, ſicut vult, liber ſit. Hic autem facit, quod in aſſumptione ſuperius dixit, quod voluntati ſuæ ſeruiens viuat, cum vitiis ſibi dominantibus trahatur. *Mordaci aceto.* acri & pungente ſapientia eruditus. *Vindicta poſtquam meus.* Rurſus ille manumiſſus proponit, & dicit. Ex quo meus Prætoris vindicta factus ſum: cur mihi non liceat ſecundum voluntatem meam viuere, excepto, quodcunque legum tituli prohibent? *Meus* dicit, id eſt, liber, mei iuris. *Vindicta,* virga eſt, qua manumittendi à prætore in capite pulſantur: ideo dicta, quod eum vindicat libertati. Hic *Maſurius Sabinus* legis conſultus fuit: cuius *rubricam* vocat minium, quo tituli legum annotabantur. *Diſce: ſed ira cadat naſo.* Et poëta, Diſce, inquit, & deſine iraſci: quo poſſimus aniles fabulas, quas nutris, de tuis præcordiis extrahere. *Ira cadat naſo.* Tractum à canibus, qui iram rugoſis naribus demonſtrant. *Veteres auias* dicit aut aniles ineptias, aut inueteratam ſtultitiam. *Non prætoris erat.* Senſus eſt, officium eſt Prætoris libertatem ſtultis non ſapientiam concedere. *Tenuia rerum officia,* ait, ſubtile acumen ſapientiæ, ingenij. *Vſum rapidæ vitæ* eandem ſapientiam dicit. *Rapidæ,* celeris, citius tranſeuntis. *Sambucam citius Caloni.* Calones dicuntur militares ſerui. *Alto* dixit, quod alte cingantur: aut alto, quia proceri eliguntur propter belli neceſſitatem: aut certe alto, quod ſuperbi ſint. Significat autem rem ineptam facilius doceri, quam neceſſariam. *Sambuca eſt genus* ligni fragilis, vnde quaſi tibiæ componuntur. *Stat contra ratio.* Hoc dicit. Reſiſtit ratio, id eſt, ſapientia, ne alicui liceat illud facere malum, quod agendo peius vitioſum efficiat. *Secretam gannit in aurem.* in intimo pectore. *Publica ex hominũ.*

Tam publica quam ipſius naturæ lege cautum eſt, licita permitti fieri:
illicita prohiberi, vt illa mala, quæ efficienda non ſunt, ignorantiæ
tradamus. *Inſcitia debilis.* ignorantia, quæ ratione caret. *Diluis Helle-
borum.* Senſus eſt, Diluis dixit, lauas: quoniam lauatur Helleborum
100 primo, vt acrimonia letali carere poſſit aut certe diluis, id eſt, aliis
herbis admiſces. *Certo compeſcere puncto.* Non ad trutinam ſed ad ſta-
teram retulit, quæ punctis & vncijs ſignatur. *Compeſcere*, id eſt, tem-
perare. *Nauem ſi poſcat.* Hoc dicit: Si velit ruſticus nauem gubernare,
cum nec freta, nec ſiderum rationem nouerit: exclamet Melicerta
nullum eſſe pudorem. Templum enim pudoris eſt frons. *Melicertes*,
deus marinus, Inus filius, in deorum numerum relatus: qui Græcè
Παλαίμων, Latinè Portumnus dicitur. *Tibi recto viuere talo.* (Tali ſunt
dicti à talo. Nam talus eſt eminens rotunditas, vnde & faſtigium tem-
pli rotundi talus vocatur. Licet poſſint ſimpliciter ad Cornutum dicta
105 intelligi, manifeſtè tamen εἰρωνικῶς ad illum dicit, quem caſtigat do-
ctrina. *Et veri ſpeciem.* Ita callidus es ſimilitudinem veritatis agnoſce-
re, vt æs obuolutum auro percutiendo intelligas, ſicut nummularij
faciunt, qui nondum inſtructi, denarios auro infectos pro auro acci-
piunt: quia vſum dignoſcendarum rerum earum non habent. *Subara-
to mendoſum tinniat.* ἀλληγορικῶς, vitia hominum verbis decoris ornata
Lib. 2. Serm. 7. vult intelligi: vt Horat.

——verbíſque decoris
Obuoluis vitium.

Quæque ſequenda forent. Scis enim quæ ſunt ſequenda, & quæ reſ-
puenda. *Illa prius creta.* Modo, quæ probanda ſunt, creta: quæ dam-
nata ſunt, carbone adnotaſti: vt Horat.

Lib. 2. Serm. 3. *Quorſum abeant ſani? creta, an carbone notandi?*

110 *Iam nunc aſtringas.* Scias quando parſimonia opus ſit, & quando lar-
ge viuendum ſit. *Inque luto fixum.* Id eſt, Sordidum lucrum ſpernis:
aut certe viſum in luto nummum prætermittis: quia ſolent pueri, vt
ridendi cauſam habeant, aſſem in ſilice plumbatum infigere: vt qui
viderint, ſe ad colligendum inclinent, nec tamen poſſint auellere:
quo facto pueri etiam acclamare ſolent. *Nec gluto ſorbere ſaliuam.* Cu-
pidi pecuniæ, cum lucrum vident, veluti guloſi viſis delitiis, ſali-
uam glutiunt. *Mercurialem* ideo dixit, quia ipſum deum lucri dicunt:
vnde & cum ſacello pingitur, & à negotiatoribus plurimum coli-
tur. *Hæc mea ſunt, teneo.* Dinumeratis iis, quæ ſequi vel ſpernere ſa-
piens debet: Cum tua eſſe dixeris, & apud te verius detinueris: tunc
te liberum eſſe dico tam Ioue, quam prætore propitio. Iouem ad
libertatem animi, id eſt, ad ſapientiam: prætorem autem dixit ad eam
115 libertatem, quæ ſeruitutis caret conditione. *Sin tu cum fueris.* Sen-
ſus eſt, Si vero tu, qui te dudum vnum de numero philoſophorum

dicebas, priſtinis vitiis detineris, quæ vitia ſub pectore virtutis abſcondis: quæ tibi dudum tanquam ſapienti conceſſeram, tollam. *Noſtræ farinæ,* dixit noſtræ ſectæ: ac ſi diceret, noſtræ vitæ. [Aut illud intendit quod idem Perſius ſupra dixit,

— quibus & detonſa iuuentus
Inuigilat ſiliquis & grandi paſta polenta.]

Pelliculam veterem. antiquum vitium. (Tractum eſt Æthiope, qui non mutat pellem ſuam, nec pardus varietatem ſuam: ſed in qua pelle natus eſt, in ea moritur.) *Aſtutam vapido ſeruas ſub pectore vulpem.* id eſt, fraudem & verſutias. Vulpem enim aſtutam & ad decipiendum callidam dixit. *Quæ dederam ſupra, repeto.* Eum ſuperius conceſſerat liberum ac ſapientem, ſi à vitiis, quæ enumerauerat, receſſiſſet. *Funem reduco.* Vel habenas licentiæ, quas dederam traho, dum libertatem, quam tibi conceſſeram, adimo. *Nil tibi conceſſit ratio.* Id eſt, ſapientia nihil tibi ſui permittit habere. *Digitum exere.* Digito ſub lato oſtende victum te eſſe à vitiis. Tractum à gladiatoribus, qui victi, oſtenſione digiti veniam à populo poſtulabant. *Et quid tam Paruum eſt?* Hoc eſt, quàm ſapientia. Siquidem accommodato naturæ ſtudio facile capitur. *Sed nullo ture litabis.* Sed quamuis paruum ſit ſapientia, eam ſacrificiis adipiſci non poſſis, neque aliquam ipſius particulam minimam. per *Semunciam* enim minimam particulam accipimus. *Hæc miſcere nefas.* Id eſt, ſapientiam ſtultitiæ commiſceri impoſſibile eſt. *Nec cum ſcis cætera foſſor.* Cætera, id eſt, ad ſupremum: & hoc dicit. Cum ſis foſſor, non poſſis moueri vel ad tres numeros ſatyri Bathylli: * ideo mutari non poſſis. (*ms i. pātomimum imitari non poſſit.*) Bathyllus autem Pantomimus fuit Mœcenatis libertus. Ergo vt impoſſibile eſt ruſtico pantominum imitari, ſic impoſſibile ſtulto ſapientiam ſequi. *Numeros* dicit tonos, vel rithmos. *Liber ego.* Verba culpati vitioſi, quibus ex populi reſponſione vtitur. *Vnde datum hoc ſumis.* Et poëta: Quomodo te liberum eſſe dicis, cum vitiorum ſeruus ſis? Et tranſit vt doceat, quam multos ſtulti dominos habeant, tanquam qui nihil arbitrio ſuo, ſed iuſſu vitiorum efficiant. *An Dominum ignoras.* An exiſtimas nullum eſſe dominum, niſi eum, qui cum manumiſerit, deſinit eſſe dominus, & dominatum virga ſerui caput tangens diſſoluit? Quia manumittendo tam ſeruus à domino, quam dominus ab illius, quem manumittit, ſeruitio abſoluitur. i. *puer, & ſtrigiles.* Strigiles dicuntur, illa velaria, vnde athletæ poſt laborem terguntur: hoc eſt à tergendo (quod Græce στλεγγίζω dicitur.) *Nec cniquam extrinſecus intrat.* Hoc eſt, ſi non te compellit ſeruitium proprium, vel minæ meæ tuam mentem exterrent. *Sed ſi intus & in iecore.* Colligit vel non minus vel magis ſeruire eum, qui vitio deditus eſt, quam eum, qui à domino ob ſegnitiem miniſterij poteſt verberari. Quo pacto ergo te ſeruum negas,

cuius pectus animúmque tot dominationes obſederunt? id eſt, auaritia, cupiditas, aliáque vitia, quæ pro dominis poſuit. *Scuticam,* habenam dicit, quod eius vſus lori ad plagas apud Scythas inuentus ſit. *Mane piger ſtertis.* Demonſtraturus, quæ vitia intra pectus hominis dominentur, inducit dormientem excitari ab auaritia, & ab ea obiurgari. *Eia, ſurge. negas.* Inquit, Surge. *Inſtat,* & tu dicis, *Nequeo* ſurgere. *En, quid agam?* Iterum & ſæpius ille dominus excitat. tandem ſurgit. *Eia* vox eſt ad excitantes. *Saperdas aduehe ponto.* Saperda genus eſt ſalſamenti, quod ex piſce fit, *Caſtoreum.* ſubaudi, aduehe. *Hebenum* genus ligni nigri. *Lubrica Coa.* Vina ex Co inſula. Lubrica, id eſt, lenia, aut quæ ventrem ſoluant. *Tolle recens.* Recens dixit, nuper de camelo depoſitum. *Sitiente* autem dixit, quod illis regionibus raræ ſunt aquæ: aut quod præ cæteris animalibus ſitim ferat. *Verte aliquid.* Id eſt, negotiare, & ſpeciem pro ſpecie commuta. *Iura.* Hoc eſt, * pecuniam falſitate iuramenti auge. *Sed Iuppiter audiet.* Verba illius, quem excitat auaritia. *Eheu varo reguſtatum. Dic.* Auaritia ad illum: Si Ioue̅ teſtem & periurij tui vindicem putas: pauper neceſſe eſt viuas, & ſolo ſale contentus diſcum tuum digito tuo terendo pertundas. *Varones* dicuntur ſerui militum, qui vtique ſtultiſſimi ſunt, ſerui ſcilicet ſtultorum. (*Et Oenophorum aptas.* Oenophorum vas vinum ferens. οἶνος enim vinum eſt: de quo eſt illud,

Vertitur œnophori f. (ſ.n.)

*ms. falſitate peculium auge.

Niſi ſolers luxuria. Iam te ſuaſionibus auaritiæ priuatum luxuria caſtigat, ac crebro vocat dicens, ideo nauigare vis, vt locuples fias? *Quid tibi vis?* Quam rem cupis, vt periculoſum mare pertentes? An auaritiæ furor ſic tuum pectus incendit, vt vrna cicutæ extingui tuus furor non valeat? *Maſcula bilis.* Valida cupiditas, cuius ardorem nec copioſa cicuta * ſedare poteſt. *Cicuta* hic genus liquoris eſt, quod calorem in nobis, frigoris ſui vi extinguit. Ideóque ſacerdotes Cereris Eleuſinæ, quibus vſus veneris interdicebatur, hoc liquoris genere vngebantur, vt à concubitu ſe abſtinerent. *Veientanúmque rubellum.* Hoc dicit: Vinum malum tu poſcis in malo vaſe, deterius pice vitiatum in naui ſitiens potare. *Veientanum* dixit vinum, in Veiento oppido natum. *Rubellum,* id eſt, * roſeum, ſed non magni pretij: vnde Horatius, culpans auarum:

*ms. ſanare.

*ms. ruſſeum.

Lib. 2. Serm. 3.

Qui Veientanum feſtis potare diebus.

Vapida, aceti fæce vitiata. *Obba* genus vaſis ex ſparto factum. *Quid petis, vt nummi, quos hic.* Cur nauigas? an vt pecuniam, quæ tibi *Quincunces* verecunde præſtitit, cum periculo *Deunces* præſtet? *Indulge genio.* Id eſt, conuiuare. *Carpamus dulcia.* abſolute poſuit: hoc eſt, delitijs fruamur. *Noſtrum eſt. quod viuis.* Mihi ſoli natus es, id eſt, ad luxuriam. Poſt mortem enim nihil es. *Cinis & manes & fabula.*

Ac

Ac ſi diceret, hæc, quæ te moneo, vitæ conueniunt. nam eis poſt mortem vti non licet. *Viue memor leti.* Id eſt, ſciens te moriturum, delitiis vtere. *Fugit hora.* Hoc eſt, tempus, quod loquendo tranſigimus, de tuo conſpectu perit: vt Horatius, *Lib. 1. Ode 11.*

——dum loquimur, fugerit inuida Aetas.

En quid agis? Rurſus poſt auaritiam & luxuriam, poëta alloquitur, interrogans, quem de duobus dominis ſequatur. Ecce te diſſimilia vitia deducunt. Hinc tibi auaritia labores imperat: hinc luxuria te vexare non patitur: tamen nec tu cum alterutris reſtiteris, liberum te in totum credas. *Subeas alternus oportet.* Senſus eſt, Dum te vitia in diuerſum trahunt, neceſſe eſt, vt modo iſti, modo illi vitio obedias. *Nec tu cum obſtiteris.* Nec tu cum imperantibus vitiis ſemel repugnaueris, continuo dicas te ſolutum à peſſima ſeruitute. Eſt enim vitiorum maxima pars, quæ te quaſi fugientem retineat. Nam licet *canis* abrupto fugiat vinculo, vinculi tamen partem poſt ſe trahit. *Daue cito hoc credas.* Nunc de amoribus inducit adoleſcentem ſeruo loquentem. Hunc igitur locum de Menandri Eunucho traxit, in quo Dauum ſeruum Chæréſtratus adoleſcens alloquitur, tanquam amore Chryſidis meretricis derelictus: idémque tamen ab ea reuocatus, ad illam redit: [apud Terentium perſonæ immutatæ ſunt] quod exemplum inducit ad ſimilitudinem vitiorum, à quibus recedere non poſſumus. [Hoc & Horatius & Terentius in Eunucho cum dicit:

Quid igitur faciam?

Non eam ne nunc quidem cum acceſſor vltro.]

Ergo hoc ait. Daue mihi crede: diſpono præteritis renunciare moribus. *An ſiccis dedecus obſtem. Siccis* dixit parcis: & hoc ait: An [frugi & affinibus] ſobriis cognatis turpiſſime viuens dedecus afferam? *An rem patriam.* An mala & infami opinione hæreditatem mihi à patre dimiſſam, dum ante fores meretricis ebrius, extinctis facibus canto? *vdas fores* dixit, quas amatores ſolent* vnguento perfundere, & ante ianuam earum (noctem) vigilijs, & cantu tranſigere. *Euge puer ſapias.* Hoc eſt: ſacrifica [diis] depulſoribus qui te inde depellunt, vel arte mala coërcent. aut hoc intelligi poteſt: Diis ſacrifica, cum te dij depellant ab hoc turpi & damnoſo amore meretricis. *Sed cenſen plorabit.* Adoleſcentis verba ſunt ad ſeruum: & hoc dicit. Deliberas aut certe credis, quia à me Chryſis relicta non plorabit? *Nugaris, ſolea puer.* Senſus hic eſt. Tu qui te dicis ab amore meretricio iam diſcedere, falleris: niſi feſtinus diſcedas: ne eius amoribus implicaris, ab ea rubra ſolea vapules. *Solea rubra*, calciamentum muliebre ſignificat. *Arctos caſſes* dixit ſpiſſa retia. Tractum à feris, quæ incluſæ retibus, dum ea (trahunt, aut) rodunt, magis implicantur. *Nunc ferus & violens.* Hoc dicit. Propterea quod

** ms. min-gēdo perf.*

nunc te excludere viſa eſt, merito eam, quaſi turpem amorem reſpuẽs, contemnis, ſi vero te ſolita oblectatione illiciat, ſine dubio tecum tacitus dices, *Quidnam igitur faciam?* Si ad eam excluſus accedere non valui, neque vocatus accedam. *Sit totus & integer.* Hoc eſt: Si autem turpi amore poſtpoſito, etiam de omnibus vitiis emergas, tunc te ſapientem pronuncio. *Totus & integer* dixit, vt ipſo exeunte, ne vel animo quidem apud meretricem remaneat. *Quem quærimus.* hoc eſt ſapientem. *Non in feſtuca lictor.* Senſus eſt. Ille, qui manumittitur, non in ea virga, qua à lictore percutitur, ius libertatis certiſſimum acceperit, cum in animo liber non ſit, ſed vitiis trahatur. *Palpo* proprium nomen. [præcipuè tamen ei blanditur. *Cretata ambitio.* quaſi pulchra, & à ſuperficie illita, vt largiendo, honores à populo mereatur: quibus honoribus innoteſcat. *Vigila, & cicer ingere.* Sparge igitur (inquit) populo cicer. Hoc enim in ludis Floralibus inter cætera munera iactabatur, quando terræ ludos colebant, & omnia ſemina ſuper populum ſpargebant, vt tellus veluti * viſceralibus ſuis placaretur. Et hoc dicit. Perfice iſta omnia, vt ſic in memoria hominum ſint, vt etiam à ſenibus memorentur. *Apricos ſenes* dixit, ad ſolem ſedere conſuetos. *Quid pulchrius?* ſcilicet, quam hoc facere? *At cum Herodis venere dies.* De ſuperſtitionibus tractat, oſtendens etiam, qui ſuperſtitionibus ſit deditus, ſeruire. Hic *Herodes* apud Iudæos regnauit temporibus Auguſti Imperatoris in partibus Syriæ. Herodis ergo diem natalem Herodiani obſeruant, vt etiam ſabbathi: quo die lucernas accenſas, & violis coronatas in feneſtris ponebant. *Rubrúmque amplexa catinum.* Rubrum catinum fictile, quod thynni cauda amplectitur. *Amplexa* dixit, aut breuitatem catini, aut magnitudinem thynni oſtendens. *Thynnum* autem genus piſcis eſt quod ad templum diebus feſtis portare ſolebant, vt ibi pro die feſto epulis veſcerentur. *Tumet alba fidelia vino.* Id eſt, plena vino eſt, hoc eſt, grande vas. *Alba* dicit, aut à coloris proprietate, aut certe argentea. *Labra moues tacitus.* [Ordo. Tunc quando hæc celebras, labra moues tacitus.] Tacite enim, vel murmurantes Iudæi præces effundunt. *Recutitáque Sabbata.* Inſtituta Iudæorum ſignificat propter circũciſionem, quam auctores ſuos ſecuti faciunt. Id eſt, times ſabbata recutita, ideo *Palles,* quia Iudæi eo die non manducant. *Tunc nigri lemures.* Non dicit tunc, cum hanc religionem obſeruas: ſed hoc dicit, Diuerſi generis ſuperſtitio te verſat. *Lemures* autem dicuntur dij manes, quos Græci δαίμονας vocant, velut vmbras quaſdam diuinitatem habentes. *Lemures* autem dicuntur dij (vel vmbræ: quæ apparent) quando manes placantur. *Ouóque pericula rupto.* Sacerdotes, qui explorandis periculis ſacra faciebant, obſeruare ſolebant, ouum igni impoſitum vtrum in capite (id eſt, in ſummitate) an in latere inſudaret. Si autem

*ms. muneribus.

ruptum effluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari eius. *Tum grandes Galli.* miniſtri ſcilicet matris deûm, *grandes*, id eſt, pingues ſacrificiis. *Et cum ſiſtro luſca.* Siſtrum ſacerdotes Iſidis portabant. *Luſca* autem, quod omnes * nobiles aut deformes cum maritos non inuenerint, ad miniſteria deorum ſe conferant. [Vel quod Ægyptij tam Deos quam Sacerdotes de monſtris habeant: Ordo autem prædictorum verſuum hic eſt, *mi. debiles.*

Tum nigri lemures ouóque pericula rupto:
Tum grandes Galli & cum ſiſtro luſca ſacerdos.]

Incuſſere Deos inflantes corpora. Id eſt, terentes homines, & malum futurum denuntiantes, niſi hoc, mane guſtato allio, expiaſſent. Nam & hoc dicunt, ſi alium ieiuni guſtauerint, contra artem magicam remedium eſſe. *Dixeris hæc inter varicoſos.* Si hæc ante ſtultos milites dicas, qui ſolent etiam de ſapientibus ridere, quantum cachinnis indulgebunt, dicentes, centum philoſophos nummos centum non valere! *Centuſſe* poëtica licentia abuſus eſt. Nam cum ſit centum nomen monoptotum indeclinabile, tanquam ſi per caſus declinare poſſet, & faceret nominatiuo caſu centus, genitiuo centuſſis, ita quaſi ablatiuum caſum poſuit dum dicit centuſſe. *Centuſſe* ergo *curto*, tanquam diceret, nonaginta nouem. *Varices* ſunt venæ miſtæ neruis in pedibus, nimio labore tumentes. Inde *Varicoſos centuriones* dicit abſolute milites. *Craſſum ridet.* Stultorum riſus exprimit. *Licetur.* Liceri enim eſt licitare, hoc eſt pretium ponere.

IN SATYRAM VI.

ADMOVIT *iam bruma.* Hanc Satyram ſcribit Perſius ad Cæſium Baſſum poëtam lyricum, quem fama eſt in prædiis ſuis poſitum ardente * Veſunio monte Campaniæ, & late ignibus abundante, cum villa ſua vſtum eſſe. Hic ergo dum viueret, de Roma ad Sabinos neceſſario tranſibat, vbi * brumali tempore in callido loco carmina ſcribebat. Hunc ergo Perſius dicit, quod iam propter hiemem foco caleret, & vt daret operam carminibus, quæ ſcriberet, laudans grauitatem librorum, & tenorem verſuum eius. ſed cum dicit Perſius apud Liguriam fuiſſe, in loco vbi portus naturali flexu curuatus, fluctus in ſe recipit: qui propter curuationem portus Lunæ vocatur. [Cuius etiam Ennius in principio annalium ſuorum meminit hoc verſu: quem etiam Perſius carminibus

ms. Veſubio.
ms. hiemali.

ſuis iunxit, & refert ab Ennio ablatum.] Scribit vero Perſius in hac ſatyra de iis, qui hæredibus rem ſuam auctam reliquerunt, inedia ſe, & labore in vita conficientes. Se autem dicit in eo loco, id eſt, in Liguria, vbi poſitus erat, neque ambitione, neque iniuria, neque deſideriis, neque auaritia laborare, & in nullo ſe eis ſimilare, quod culpat. *Iámne lyra.* Eundem Baſſum interrogat, qui de vrbe ad Sabinos ſeceſſerat, ſi iam ſcriberet *Tetrico pectine.* Id eſt, graui ſtylo ac ſeuero, id eſt, graui carmine. *Mire opifex numeris.* Senſus eſt, O mirande opifex varietate numerorum, quam de metris Græcis excerptis, & maſculos ſonos Latinis aptas carminibus. *Numeris.* id eſt, metris. *Marem ſtrepitum.* maſculum & fortem ſonitum, non quomodo ſolent quidam velut muliebri voce & molli, cantare. *Fidis,* genus citharæ, vel chordæ, quod tam ſingulariter quam pluraliter dicitur. [vt Horatius,

——*& fide Teia dices Laborantes in vnum,* &c.

Pluraliter, vt Virgilius,

Threicia fretus cithara fidibúſque canoris.]

5 *Mox iuuenes agitare iocos.* Id eſt, iuueniles iocos: ideo, quod Lyricum carmen de iuuenum ſit amore compoſitum. *Et pollice honeſto.* Quia citharizantes non ſolum plectro, verum etiam digito de chordis ſonos educunt. [vt Virgilius,

Iámque eadem digitis e. p. p. e.]

Mihi nunc Ligur ora. Seipſum Perſius ſignificat ſeceſſiſſe in Liguriæ fines, videlicet propter Fuluiam Siſenniam matrem ſuam, quæ poſt mortem prioris viri ibi nupta erat: vel quia in brumali frigore tepidum cælum præbeat. *Ligur ora,* ac ſi diceret, Liguria ora. *Hibernat.* ſæuit, vel à nauigiis vacat, ſicut enim naues hibernare dicimus, quum non nauigant, [Sic & mare hibernare dicimus dum non nauigatur.] *Qua latus ingens dant ſcopuli.* Vbi ſcopuli ingens latus ponto obiiciunt: & incluſis inter ſe aquis, naturalem efficiunt portum. *Lunai portum eſt opera.* Ordo eſt, O ciues, operæpretium eſt, id eſt, delectabile eſt, portum in modum Lunæ factum, cognoſcere. [Lunai autem ſecundum antiquam declinationem dixit, vt Virgilius,

Furit intus aquai.]

10 *Cor iubet hoc Enni.* Hunc verſum ad ſuum carmen de Ennij carminibus tranſtulit. Merito ergo ait,

Cor iubet hoc Enni, poſtquam deſtertuit eſſe.

Sic enim ait Ennius in annalium ſuorum principio: vbi ſe dicit, vidiſſe in ſomnis Homerum dicentem fuiſſe ſe quondam pauonem, & ex eo tranſlatam in ſe animam eſſe, ſecundum Pythagoræ philoſophi diffinitionem, qui dicit animas humanas per παλιγγενεσίας, id eſt, per iteratam generationem exeuntes de corporibus, in alia poſſe

corpora introire. Ideo *quintus* dixit, propter eam opinionem, quæ dicit animam Pythagoræ in pauonem tranſlatam: de pauone vero ad Euphorbum, de Euphorbo ad Homerum, de Homero autem ad Ennium. *Hic ego ſecurus vulgi.* Hic, id eſt, apud Liguriam. *Securus vulgi.* de vulgari exiſtimatione non ſolicitus, quicquid de me populus ſentiat: quia nec eorum laudibus ſubleuor, nec vituperatione demittor. *Et quid præparet Auſter.* Nec illud timeo, ſi auſter morbidus, pecori noceat: id eſt, nec damno pecoris nec detrimento rei familiaris frangor. *Et angulus ille vicini.* Nec angor inuidia, ſi vicini mei ager fœcundus ſit, cum mihi ſit ager ſterilis. *Et ſi adeò omnes diteſcant.* Senſus eſt: Nec ſi humilium nati, ſteterint locupletiores, idcirco [minui] ſenectutem deſiderem. Solent enim ſibi optare mortem, hi qui minorum ſubſtantiam augmentari vident, ne quos oderunt, felices videant. *Sine vncto.* ſine delitiis. Solent enim frugalitati indulgere nati, vt opes maiorum ſequantur, ſi ſe eis æquare non poſſunt. Horum ergo ait, Perſius ſe neutrum efficere. *Et ſignum in vapida.* Solent auari ſignum in vaſis vinariis ponere, & ſic diligenter aſpicere, vt oculos propius admouendo, naſo tangant. [Vapida dicit acetoſa.] *Diſcrepet his alius.* Id eſt, diſſentiat his rebus à me, qui volo mediocriter viuere: cum alius prodigè, alius tenuiter viuat. *Geminos horoſcope varo.* Senſus eſt, Licet horoſcope ſub vna hora geminos producas, diſſimilibus tamen fatis & voluntatibus eos in vitam trahis. *Horoſcopus* autem eſt, qui horas natiuitatis hominum ſpeculatur. *Varo genio,* id eſt, diſſimili & diuerſo fato. *Solis natalibus.* Auarum ſignificat, qui tantum modo in diebus feſtis caules oleo vnctos putans delitias, comedit. *Muria* dicitur liquamen malum, vel liquaminis fæces, vel, quod proprium eſt, aqua miſta cum ſale. *In calice empta.* Miſeram parcitatem oſtendit, dum ſibi in calice modicum liquaminis [miſeri] dicit comparaſſe. *Ipſe ſacrum irrorans.* Quod parcitate ſua, ſacrum exiſtimat. *Hic bona dente.* Hic alium è contrario prodigum ſignificat, & dicit: Alius vero à pueritia bona ſua conſumit. *Vtar ego vtar.* De ſe hoc poëta dicit, *vtar ego vtar,* id eſt, mediocritate: nec maiores delitias clientibus meis apponam: nec adeo in hac re callidus ſum, vt turdorum ſapores diſcernam. Solent enim gulæ quidam dediti, tantæ ſubtilitatiſq; habere palatum, vt cognoſcant turdos, an cancellarius, * an terrarius ſit: & ſi maſculus ſit, an fœmina: quos velut peritia procacis gulæ, facit in hac re attentos. *Turdarum* abuſiue poſuit, cum *turdorum* dicere debuerit, vt Horatius ponit,

* *ms. an acinarius an vinarius ſit.*

Pene macros, arſit, dum turdos verſat in igni. *Lib. 1. Serm. 5.*

Rhombus autem genus eſt piſcis, qui non priuatis, ſed diuitum menſis inſeruit. *Meſſe tenus propria viue.* Incertum eſt, an ſe hortetur, an alium quemlibet dicens ad modum rediturum, *viue. Fas* enim eſt,

quod in terra naſcitur, conſumere omnino, cum ſit cultura reparabile: Vel cum iam alter fructus in terra ſit, & ſuccreſcat. *Occare* autem eſt, cum ruſtici, ſatione facta, bobus dimiſſis, grandes glebas cædunt, ac ligonibus frangunt. Dicta occatio, (quaſi occæcatio:) quod quaſi cooperiat ſemina. *Aſt vocat officium.* Id eſt humanitatis lex, aut certe philoſophiæ, quæ hoc præcipit: & magno cum ſumptu dicit egenti vel naufrago debere ſuccurrere, qui ſubſtantiam ſuam vna cum votis

30 naufragio perdidit. *Ingentes de puppe Dei.* Nauium tutelam dicit, quam quaſi in puppibus habent vel pingunt. *Iámque obuia mergis.* Iam illius pars naufragæ ratis, mergis occurrit. *Mergi*, aues marinæ ſnnt, de quibus Virgilius,

Lib. 5. Æn. *& apricis ſtatio gratiſſima mergis.*

De ceſpite viuo frange. Hoc eſt, de patrimonio tuo minue aliquid, quod tribuas naufrago. *Ne pictus oberret.* Quia ſolebant naufragi caſus ſuos in tabula pingere, per quod ad miſericordiam videntes mouerent, vt eorum miſeriis ſubuenirent: vt idem ſuperius, Cantas, cum fracta te in trabe pictum. *Sed cœnam funebris hæres.* Verba auari, vel miſericordis ad Perſium: Hoc non faciam, ne hæres meus mihi iraſcatur, quod largendo, hæreditatem diminuam: aut funeri meo, vt ſolet fieri, nec cœnam, impendat. Nam in funeribus cœnam delitioſam apparare ſolebant, quæ ad rogum allata, cum ipſis corporibus cremebatur: quod

Lib. 6. Æn. & Virgilius commemorat dicens,

——congeſta cremantur
Turea dona, dapes, fuſo crateres oliuo.

35 *Vrna oſſa innodora dabit.* Id eſt, ſine odore, hoc eſt, ſine vnguentis. Aut *inhodora*, id eſt, mortis honore carentia, ſine ſepultura. *Seu ſpirent cinnama ſurdum.* Hoc eſt, ſiue bonis, ſiue corruptis vnguentis corpus meum dealbetur, hæres tanquam offenſus diminuta hæreditate, negliget. *Surdum ſpirent cinnama.* acutum odorem non reddant, *Seu ceraſo peccent caſiæ.* Solent pigmentarij, ceraſo caſiam admiſcere, ſicut & alias merces adulterant, & emptoribus vendunt. *Tune bona incolumis minuas?* Verba auari, quæ ſibi à ſuo hærede dicta fingit. Tunc rem familiarem ad me morte defluxuram minuas? *Sed beſtius vrget doctores graios.* Id eſt philoſophos, beſtiarum more ferocibus animis culpat auarus eo, quod ipſi præcipiant largiendum eſſe amicis egentibus. *Ita fit poſtquam ſapere.* Verba hæredis auari: & hoc dicit. Eo modo contigit. vt externam ſapientiam pariter cum peregrinis mercibus emeremus. *Sapere hoc noſtrum*, noſtra ſapientia. *Maris expers.* Quæ na-

40 uigij ante ignara, ad nos per mare vel per philoſophos tranſiuit. *Fœniſecæ craſſo vitiarunt.* Ruſticorum vitam dicit, quod edunt hæc, qui fœnum ſecant. *Craſſo vnguine.* Quia cum ruſticis oleum defecerit, adipem pecudum in pultes miſſum pro oleó accipiunt. Ergó hæc tam

dura vita, qua etiam philoſophi vtuntur, in largitatem noſtræ vitæ murmurat ſe mutauit. * *Hæc cinere vlterior metuas!* Verba Perſij ad auarum, qui ſe de verbis ſui hæredis, ne largiretur inopi, excuſabat: & hoc dicit. Nunquid poſtquam ſepultus fueris, timeas, ne ſine odoribus hæres tibi faciat ſepulturam? *Cinere vlterior.* Id eſt, poſtquam factus fueris cinis. *At tu meus hæres.* Verba poëtæ ad ſuum hæredem futurum dicentis: Tu meus hæres, quicunque eris, ſemotus *à turba audi.* Id eſt, diſſimilis eſto ab iſtius cupidi hæredis ſentētia. *O bone num ignoras?* Volens oſtendere Perſius, & probare largitatem ſuam à quolibet hærede nullo modo poſſe impediri, ſic ei, qui naufrago non eſt largitus, hæredi ſuo dicit: O mi hæres, ne te ſcire diſſimules: cognoſcere Cæſaris grandem de Germanis triumphum. Donis aræ & victimis ab omnibus cumulantur. Et ego in honorem deorum vel principis genij [ſacrificus] præparo omnia centena mactare, hoc eſt, centum tauros & centum oues. *Et aris frigidus excutitur cinis.* Id eſt, ad ſacrificium aræ parentur, vt Virgil.

Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes. Aen. 8.

Ac iam poſtibus arma. ſubaudi Cæſonia locat. Nam captiuorum arma, ob indicium victoriæ, in poſtibus figebantur. Virgilius,

Captiui pendent currus, curuæque ſecures. Aen. 7.

Iam chlamydas regum. Et hic ſubaudi, iam Cæſonia parat. Ad ſplendorem triumphi, veſtes nobiles ipſius vxor principis parat Cæſonia. *Iam lutea gauſapa.* Gauſapa genus eſt pilei, quo captiuorum capita induebantur. *Eſſeda.* vehiculorum genera ſunt. [vt Virgil.

Belgica vel molli melius f. e. c.]

Ingentéſque locat. Quia captiuos in conſpectu triumphantis incedere faciebat in ordine. [Vnde Virgilius ait,

Incedunt victæ longo ordine gentes.]

Quis vetat? aude. vt ſciat ſe malum habiturum, ſi de largitate quæratur. Hoc dicit, Habeto audaciam in hac re obſtare mihi. *Væ, niſi conniues.* Id eſt, ſi illi auaro conſentis, & eo modo me non prohibes largiri: vt ille ſuum teſtatorem ne largiatur, prohibet. *Oleum atroceáſque popello.* Omnia populo expendam. Hoc ait, volens oſtendere hæreditatem, teſtatoris non hæredis dominio ſubiacere. *An prohibes?* Hæredem interrogat. *Non audeo, inquis. Exoſſatus.* Verba hæredis, quem dialogice ſecum poëta loqui inducit: & hoc dicit. Non te audeo prohibere, quicquid velis, de hæreditate tua vt non facias: quia ager plenus lapidibus longe non eſt, quo me contradicentem obruas. Nam *exoſſatus*, lapidibus plenus, ſecundum eos qui diffiniunt lapides eſſe oſſa terræ: vnde Ouidius,

——lapides in corpore terræ
Oſſa reor dici.

Age, ſi mihi nulla. Hic poëta tangit hæredipetas, qui quamuis nulla cognatione teſtatoribus adhærent, tamen propinquos vel hæredes ſe videri volunt. *Amita* eſt ſoror patris. *Patruelis*, filia patrui: *Patruus* frater patris. *Proneptis*, filia nepotis. *Matertera* [patrui, hoc eſt, ſoror auiæ maternæ] ſoror matris. *Auia* & patris & matris mater.
55 *Accedo Bouillas.* Bouillæ ſunt vicus ad vndecimum lapidem Appiæ viæ: quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus iam conſecratus, ibi comprehenſus eſt, inde *Bouillæ* dictæ. *Cliuúmque ad Virbi.* Quatuor millibus ab vrbe eſt Virbij cliuus, qua iter eſt ad Ariciam & ad nemus Dianæ, vbi Virbius colitur, id eſt, Hippolytus, quod bis in vitam prolatus ſit. Nam cum *Hippolytus* à Phædra nouerca ob pulchritudinem corporis amaretur, eam ſpreuit, patrios thalamos nolens violare: & ne Hippolytus patri ſuo narraret, eum nouerca verſo crimine vltro apud Theſeum maritum accuſauit, quo agnito Hippolytus fugit: & dum curru in littore exercentur, petiit à Neptuno Theſeus, vt ei phocas, id eſt vitulos marinos immitteret: quo facto equi eius expaueſcentes, eum iactauerunt, & mortuus eſt. Dolens Diana ſpecioſum venatorem amiſiſſe, * Æſculapium auctorem medicinæ petiit, vt ſua arte ad vitam reuocaret: quo facto * Æſculapius eum viuum Dianæ reſtituit: & acceptum in luco ſuo ocioſe vt viueret, conſecrauit, & *Virbium* vocauit merito, quod bis in vitam prolatus eſſet. *Præſto eſt mihi Mannius.* Ergo huc cum proceſſero, aut ad Bouillas, aut ad cliuum Virbij, continuo mihi *Mannius* occurrit, qui ſe hæredem meum eſſe dicat, cum eum neſciam. Aut certe Mannium dicit deformem & ignotum hominem, eo, quod Mannij dicuntur indecori vultus perſonæ, quibus pueri terrentur. *Progenies terræ.* Hoc dicit, Hic Mannius tam longe ante naſcitur, vt terræ filius videatur. *Quære ex me, quis mihi quartus.* Hoc dicit. Si proaui nomen à me inquiris, non facile dicam. Quartum enim patrem dicit abauum, quia primus: Pater: ſecundus, Auus: inde Proauus, deinde Abauus. *Tamen adde etiam vnum, vnum etiam.* Deeſt, vt dicam: & eſt ſenſus. Pone me ſcire Atauum, pone & Tritauum: hunc tamen Mannium ignoro. *Terra autem eſt iam filius.* Non ſecundum cognationis ordinem, ſed ſecundum humanitatis legem mihi propinquus eſt, cum ſit terræ filius.
60 *Et mihi ritu Mannius hic gen.* Hic Mannius tam grandis natu eſt, vt * ſanguine proximus parens ſit, ſecundum geſſeris ritum, auunculus eſt mihi maior. *Maior* autem *auunculus*, auiæ frater. *Qui prior es, cur me.* Apud Athenas ludi celebrabantur, in quibus curſu iuuenes certabant: & qui victor primus erat, facem tollebat: deinde ſequenti ſe tradebat, & ſecundus tertio. ſimiliter omnes faciebant, & ſibi inuicem tradebant, donec currentium numerus compleretur. & eſt ſenſus: Cum tu ætate me antecedas, cur hæreditatem meam tradi tibi à me

*ms. Aſclepium.

*ms. Aſclepiu.

*ms. ſi ti verè.

à me expectas? *Sum tibi Mercurius, venio.* Id eſt, cum lucro venio ad te. *Mercurium* enim Deum lucri dicebant. *Vt ille pingitur.* quia cum cum ſacello pleno pecuniæ pingebant. *An rennis?* An forte ea, quæ tibi offero, ſpernis? *Vin' tu gaudere relictis?* Vis etiam tu gratis accipere, & gaudere ad ea, quæ tibi dimitto? *Deeſt aliquid ſummæ.* Hoc dicit: Accipe quod fero, nec rationem exegeris diminuti patrimonij: quia huic aliquid minuitur, cuius fuerit iure integrum. Si quid conſumpſi de meo fractum eſt: at quod ſupereſt, *tibi totum eſt. Vbi ſit, fuge quærere.* Id eſt, quicquid mihi quondam à *tedeio tacio* per legatum dimiſſum eſt, ne requiras. *Nec dicta repone paterna.* Ne me de more paterno diſcutias. *Fœnoris accedat merces.* Tractum eſt hoc à patribus, qui dicunt filiis ſuis: Hoc quod vobis lucri de fœnore acceſſit, ad fructum, id eſt, ad vſum vitæ vobis proficiat: reliquum vero pecuniæ reſeruate integrum. *Reliquum? Nunc, nunc impenſius.* Quia induxerat hæredem computantem, quid dereliquiſſet: ipſe velut indignatus, hoc verbum repetit dicens, *reliquum?* Deinde velut exardeſcat ira, lautius ſe & ſumptuoſius viuere minatur, & multo magis abuti ſuis rebus: & præcipit lautiores eſcas ſibi iam parari. *Vnge puer caules.* quod dixit, quia auarus præ nimia parcitate impenſiores epulas putauit caules vnctos oleo, comedere. *Mihi feſta luce coquatur vrtica.* Senſus eſt, An ego fame moriar, & feſtis diebus *vrtica* veſcar, & *ſinciput fumoſum*, quod eſt dimidium caput porcinum, vt dum ego parce viuo: tuus nepos, id eſt, tuus filius perditus hæc omnia, quæ ſeruo, impenſus viuenda abliguriat? & ſaturatus anſerum iecinoribus, in patriciarum turpibus ſtupris bona mea conſumat, cum in eo libido exarſerit? *Mihi trama figuræ.* Hoc dicit: Ego ad ſummam maciem, & tenuitatem deducar, vt ille deliciis pingueſcat. *Trama figuræ*, tractum eſt à muliebribus telis, quæ ſine ſtamine inanes videntur. *Tremat omento.* Omento dicit pinguedine. *Popa venter*, pinguis: quia *popeana*, genera ſunt panis, quibus ſacerdotes & eorum miniſtri veſcebantur, quibus aſſidue paſti pingues fiebant. Merito *popa venter*, pinguis ſignificat. *Vende animam lucro.* Verba ſunt poëtæ ad illum, qui vt multum hæredi derelinqueret, ipſe ſe in lucrorum deſiderio atterit. Aut certe periculis obiice te lucri cauſa, vt gladiatores faciunt, qui ſtudio lucrandi animas ſuas morti opponunt. *Mercare, atque excute ſolers.* Mercis mutandæ gratia, ac pecuniæ complicandæ, vniuerſos mundi receſſus percurre: ne ſit te mercatorum quis ditior. *Cappadocas rigida pingues.* Gladiatores ſignificat. Nam apud antiquos, gladiatores venales in *catasta* ponebantur, vt in eis poſſent omnia membra conſpici. Vel quia Cappadocas dicerent habere ſtudium naturale ad falſa teſtimonia proferenda: qui nutriti à pueritia in tormentis,

equuleum ſibi facere dicuntur, vt in eo ſe inuicem torquerent: & cum in pœna perdurarent, ad falſa teſtimonia ſe bene venundarent. Legitur & *plauſiſſe:* quoniam venales ante, quam in cataſta imponantur, cantant vniuerſi pariter more gentis ſuæ. *Feci. Iam triplex.* Feci, & rem meam duplicaui, iam in triplo, iam in quadruplo. Ecce iam duplex mihi res familiaris facta eſt. *In rugam.* ἀμηγεκρῶς, dixit à veſtibus, quod ad rugam plicentur. *Depinge, vbi ſiſtam.* Id eſt, pone modum cremento ſubſtantiæ: & dic, quouſque ſubſtantiam augeam. *Inuentus Chryſippi.* Chryſippus philoſophus Stoicus, ſyllogiſmum σωρίτην poſuit & vocauit: quem per adiectionem & detractionem, ex aceruí frumentarij ſimilitudine oſtendit. Ergo poëta hoc dicit: Quantumcunque auaro abundantia creſcit ſubſtantiæ, non ſatiatur: & ſic in infinitum, cupiditatis deſiderium extendit, vt qui ei auaritiæ finem voluerit imponere, facile videatur etiam ſyllogiſmon Chryſippi diffinire.

ELIAS VINETVS.

ITA habuit in noſtris exemplaribus, antiquiſſimi grammatici enarratio: ſiue Cornutus is ſit, quem Gellius & Macrobius inter alios Virgilij commentatores celebrant, ſiue alius quiſpiam Cornutus, ſiue aliquis alius veterum grãmaticorum, nominis alterius. Me namque non fugit, quæ extant in Perſium & Iuuenalem vetuſta commentaria, Hermolao Barbaro, Georgio Vallæ, Antonio Mancinello, & quibuſdam aliis placuiſſe, Probi eſſe, non Cornuti cuiuſquã: ſed antiqui codices, & quem Berna noſter habet alium Iuuenalis interpretem non pœnitendæ antiquitatis, Cornuto commentaria illa aſcribunt. Et ea qui Probi eſſe contendũt, videant, quem Probum eſſe hunc velint. Aulus Gellius, Suetonius, Euſebij chronicorum interpres Hieronymus, Marcum Valerium Probum, Berytium illum grammaticũ, ſeniorem, vt arbitror, eſſe oſtendunt, quam qui in Perſium & Iuuenalem commentaria potuerit facere.

INDEX COMMENTARIORVM CORNVTI IN PERSII SATYRAS:

in quo Indice, notæ Latinæ, ſatyrarum ordinem: Barbaricæ, numerum verſuum cuiuſque ſatyræ ſignificant.

Abacus I. 145
Accius vetus poëta I. 90. *Alium Accium dabit verbum Labeo.*
Acerra II. 5
Aegiſthi filij II. 55
Aes, & ærarium Romanum II. 55.
Aeſculapius VI. 55
Aeſopus fabulator IV. 20
Agaſo V. 75
Agaue I. 110
Agnus purpureus V. 5
Alapa V. 75
Albatus II. 40
Alcibiades IV. 1
Alium V. 185
Amita VI. 50
Amphion I. 90
Angues picti I, 125
Antycyra IV. 15
Antiopa I. 90
Antitheta I. 100
Apenninus I. 106
Apollo Palatinus II. 55
Apulia I. 70. II. 75
Aqualiculus I. 70
Arcadici aſini III. 5
Arceſilas III. 75
Aretium opp. I. 145
Arion I. 106
Ariſtippus V. 70
Ariſtophanes I. 135
Arria in vita Perſij.
Articularis morbus V. 55
Artifex V. 40
Aßis II. 55
Atines Celer poëta I. 145
Atramentum III. 10
Atreus V. 5
Aurelius Cotta II. 70
Auunculus maior VI. 60
Bacca II. 65
Balanus IV. 36
Balbutire I. 45
Baſſareus, Baſſarides I. 115
Baſſus Cæſius V. 1. *& in vita Perſij.*
Batyllus V. 120
Baucis IV. 20
Beta III. 110
Bidental II. 25
Bombus I. 110
Bos II. 40
Bouillæ VI. 55

Briſa Briſare, Briſæus I. 90
Bulla II. 10. *V.* 30
Cachinno, cachinnus, I. 25
Cæſius Baſſus, in vita Perſij: & *VI.*
Cæſonia VI. 45
Calandrus Rex I. 110
Calliroë I. 145
Calones V. 90
Camelus V. 135
Canicula III. 5. 44
Caninum R. I. 120
Cappadoces ſerui, VI. 75
Caprificus I. 35
Caſia II. 60. *VI.* 35
Caſtigare I. 20
Caſtor & Pollux II. 55
Cataſta VI. 75
Cato III. 44
Cedo II. 70
Cedrinum oleum I. 55
Cenſores III. 25
Centuſſis V. 185
Cereris Eleuſinæ ſacerdotes V. 145.
Cerdo IV. 51
Ceuêre I. 100
Ciragra V. 55
Chromatiarij IV. 10
Chryſippus VI. 80
Ciconia I. 70
Cicuta V. 45
Cincinnatus dictator I. 85
Cippus I. 50
Citrei lecti & tabulæ I. 65
Claudius Imp. I. 130
Cleanthes V. 60
Coa vina V. 135
Comitiales dies IV. 15
Commentarium & commentum, in præfatione Eliæ Vineti.
Compita IV. 30. *V.* 30
Cornicari V. 10
Cornutus philoſ. V. 1. *& in vita Perſij, & præfatione Vineti.*
Corui aues III. 60
Corymbus I. 115
Cothurni I. 140
Craterus medicus V. 65
Cratinus poëta I. 135
Crepidæ I. 140
Creta & Cretenſes II. 1. *V.* 105
Cuminum V. 55
Cures opp. IV. 15
Cyrrha I. 1
Danaides II. 55
Decoctor V. 55
Democritus III. 35
Demoſthenes I. 40
Digiti II. 30. III. 105. *V.* 115
Dinomache IV. 20
Diogenes philoſ. I. 145
Dionyſius tyrannus III. 35
Dirce I. 90
Diſcinctus III. 30
Diſpenſatores II. 55
Ebullare, ebullire II. 10
Echion I. 110
Echo I. 115
Elegidium I. 65
Elleborum quod & Helleborum, I. 65. III. 60. *IV.* 15. *V.* 10

Ennius poëta I. 1. *VI.* 10
Epaphus I. 90
Epicureorum carmina I. 106
Equites Romani I. 95
Ergenna II. 25
Examen I. 20
Exoſſatus VI. 50
Expungere II. 10
Euchius I. 115
Eupolis I. 135
Fabianus arcus IV. 45
Falernum III. 1
Faſcinus II. 30
Faxit I. 125
Fermentum I. 35
Fertum II. 45
Fidis VI. 1
Floralia V. 157
Fœneratores IV. 45
Fulmen II. 25
Fuluia Siſenna VI. 5
Funeris cœna VI. 30
Fuſius, in vita Perſij.
Gabinus habitus V. 30
Gemini ſidus V. 46
Generoſus II. 70
Genuinus I. 125
Geometræ I. 145
Gladiatores VI. 70
Glycon V. 5
Gurgulio IV. 36
Hebenum V. 135
Helicon I. 1
Hercules II. 10
Herodes V. 180
Heſiodus I. 1
Hippolytus VI. 55
Hircoſus III. 75
Homerus I. 1. VI. 5
Homo bulla II. 10
Horatius Poëta I. 130
Horologium III. 1
Horoſcopus VI. 15
Hydropici III. 90
Hypſipyle I. 45
Incoctus II. 70
Incudo, incus II. 50
Inſanus III. 44
Iupiter ſatyrus I. 90. *ſidus V.*
Labeo poëta I. 15. 60
Lacerna I. 65
Lactes II. 25
Lais meretrix I. 145
Lallare III. 15
Lemures V. 185
Lex duodecim tabularum I. 135
Liber Bacchus I. 90. 110. 115
Libertas V. 70. 75. 80. 85
Libra ſignum V. 46
Liceri V. 190
Licinius Craſſus II. 35. *Scribo IV.* 45
Licinius II. 35
Lucanus poëta, in vita Perſij.
Lucillius poëta I. 15. 40. 125. III. 1. *& in vita Perſij.*
Lumbi I. 30. 115
Lunæ portus VI. 5
Lycus I. 90
Lynx I. 115
Macedones I. 110
Mæna III. 75

Mænades I. 115
Maligne III. 20
Mando II. 35
Mane III. 1
Manius VI. 55
Manticæ duæ hominis IV. 20
Manumiſsio V. 75
Maſurius Sabinus V. 90
Matertera VI. 50
Melicerta V. 160
Membrana III. 10
Menandri Eunuchus V. 155
Meracus IV. 15
Mercurius II. 40. *V.* 110. *VI.* 60
Mereus I. 90
Mergus VI. 30
Meſſala & Meſſalinus II. 70
Mida I. 70. 130
Mimallones I. 110
Montes aurei III. 65
Monumenta III. 75
Muria VI. 20
Muttire I. 130
Naſus. I. 130
Nata III. 30
Naufragi I. 100. *VI.* 30
Nempe III. 1
Nerius II. 10
Nero Imp. I. 40. 110. 130. 135. *& in vita Perſij.*
Nonaria meretrix I. 145
Numa Rex II. 55
Numeri I. 25
Nyſa I. 1
Obba vas V. 145
Obſtippus III. 80
Occare VI. 25
Occiput I. 75
Oculi oleo vncti III. 44
Oenophorum V. 135
Ohe I. 35
Oletum I. 125
Omentum II. 45
Opimus II. 45
Orca vas III. 50
Ouum ruptum V. 185
Paccuuius I. 90
Pagani I. 5
Palæmon deus V. 100. *grammaticus, in vita Perſij.*
Palilia I. 85
Pannuceus IV. 20
Papæ V. 75
Papare III. 15
Paris I. 145
Parnaſſus mons I. 1
Parthi gens V. 1
Pater conſcriptus V. 75. *Patres vnde dicti* I. 30. *niſi Græcum eſſet verbum.*
Patratio I. 30
Patruelis VI. 50
Patrui I. 25
Pedes frigidi III. 105
Pedius I. 95
Pegaſus I. 1
Pentheus I. 110
Penula I. 65
Penus III. 70
Pericles IV. 1
Phalaris III. 35
Phiſingi I. 15

Phœnix I. 60
Phyllis I. 45
Pindo verbum I. 70
Pinguis III. 70
Piper V. 55
Piſtillum I. 70
Piſtor I. 70
Pituita II. 55
Plaſma I. 30
Plotius Macrinus II. 1. *Plotius Tuceta* II. 40
Pluteus I. 65.120
Polydamas I. 15
Ponere I. 85. *V.* 1
Popeana VI. 70
Porticus Athenienſium III. 50 *Liuiæ IV.* 45
Portumnus deus V. 100
Potis, pote I. 70. *IV.* 10
Præcipi II. 55
Prætexta V. 30
Prætorum edicta I. 145
Prece II. 1
Procne V. 5
Proneptis VI 50
Pſittacus I. 5
Pulpa, pulpamentum II. 65
Puppæ II. 65
Puteal IV. 45
Pythagoras III. 55. V. 30. VI. 10
Quintus Atilius Serranus I. 85
Quirites IV. 1. *V.* 75
R. litera I. 120
Rara auis I. 60
Recens I. 25
Reda V. 70
Rhombus VI. 20
Rubrica V. 85
Runcare IV. 36
Sabbata recutita V. 180
Sallarium I. 9
Salinum III. 25
Salinæ II. 30. *V.* 110
Sambuca V. 90
Sanna quid, & eius genera I. 70 75.
Saperda V. 125
Sapiens III. 1
Sardonix I. 30
Saturnus II. 55. V. 50
Scatuca in vita Perſij.
Scæua III. 44
Scholaſticus III. 15
Sclopus ſeu ſtlopus, V. 10
Scombri piſces I. 55
Scribo Licinius IV. 45
Scutica V. 125
Seneca in vita Perſij.
Senio III. 44
Sepia III. 10
Seriola IV. 30
Serranus I. 85
Seruilius II. 1
Sinciput I. 75. VI. 70
Sis I. 120
Siſennia, in vita Perſij, & VI. 5
Siſtrum V. 185
Socrates IV. 1
Sodes III. 90
Solea V. 165
Somnia II. 55
Sorites ſyllogiſmus VI. 80

Splen I. 25
Sponda I. 65.120
Staius II. 15
Statera V. 100
Stemma III. 25. V. 30
Stoa, Stoici III. 50. 80
Strigilis V. 125
Suber I. 110
Suburra V. 30
Surrentinum III. 90
Talus V. 100
Tereus V. 5
Theta IV. 10
Thraſeas, in vita Perſij.
Thyeſtes I. 80. V. 5.15
Thynnus piſcis V. 180
Titi I. 30
Toga V. 10. 30
Trabea III. 25
Tribus Romanæ I. 125. V. 70
Triental III. 100
Troſſulum, Troſſulus I. 95
Tucetum II. 40
Tumulus I. 50
Tunicatus IV. 30
Turda, Turdus VI. 20
Tuci II. 60
Vappa V. 75
Varicoſus V. 185
Varo V. 135
Varonis epigramma II. 35
Vectidius IV. 25
Veientanum vinum V. 145
Velina tribus V. 70
Vellus vnde dictum II. 65
Veratrum I. 65
Veritas I. 120
Verna IV. 20
Verrucæ I. 90
Verum I. 100
Veſtales II. 55.60
Vindicta V. 85
Virbius VI. 55
Virgilij verſus I. 110. *Virgilius tragœdus V.* 5
Virginius rhetor, in vita Perſij.
Vmbo V. 30
Vmbri pop. III. 70
Vngues I. 120
Vniones II. 65
Vulpes V. 115
Vulua IV. 36
Y litera Pythagoræ III. 55. V. 30
Zethus I. 90

FINIS.

ELIÆ VINETI SANTONIS
ANNOTATIONES IN SATYRAS
Auli Perſij Flacci.

QVOD ait CORNVTVS, Perſium deceſſiſſe anno ætatis triceſimo, Hieronymus in Euſebij chronicis tradit, mortuum eſſe anno ætatis ſuæ vnde triceſimo. Et Cornutus ſi compertum habuit, quibus natus mortuuſque diebus ac conſulibus eſſet Perſius: ſimul Haloandri rationes ſi veræ ſunt, quæ illos, quibus natum ac mortuum eſſe dicit Perſium Cornutus, conſules faciunt anno Chriſti triceſimo ſexto, & ſexageſimo-quarto: profectò Perſius annum ætatis viceſimum octauum non compleuerit. Ita poſſunt pro more librarij hîc quoque aliquid corrupiſſe. Poëtam porrò Perſium multi veterũ celebrauerunt, Cenſorinus, Lampridius, Lactantius Firmianus, Diomedes, Seruius, Hieronymus, Auguſtinus, Priſcianus, & alij: inter quos Martialis ſic eius meminit in epigrammate ad Prudentem libro primo.

Sæpius in libro memoratur Perſius vno,
Quam leuis in tota Marſus Amazonide.

Et Marcus Fabius Quintilianus libro decimo inſtitutionum oratoriarum, de ſatyra loquens. Multum & veræ gloriæ, quamuis vno libro, Perſius meruit.

In quartum decimum verſum ſatyræ primæ.

Vnicum fuit exemplar ex multis antiquis, quæ inſpeximus, quod hic *Melos* haberet pro *nectar.* Et vtrumque quidem legit vetus interpres: ſed nectar prætulit: quod & probauit Politianus in Miſcellaneis. Cum autem *nectar,* deorum potus ſit ſuauiſſimus: Perſius Πηγασεῖον νέκταρ dixerit aquam eius fontis, quem Pegaſus equus, volans, vngula aperuit: ex quo fonte qui potaſſent, poëtas repente fieri, & quid libet metro canere, fabula erat.

V. 70. Sicut *mage* pro magis dicitur: ita hîc *pote* pro potis, auctore

Seruio in decimum Æneidos. Qui potis es, quomodo potes? Sequens autem verſus protento pro *protenſo*, apud Priſcianum lib. 6.

V. 88. Hîc *Dictaturam* habuerunt noſtra exemplaria, & dictatorem: ſed vetus interpres *dictaturam* legiſſe videtur.

V. 90. *Briſæum*, Bacchum à Briſa oppido cognominatum aſſerit Stephanus περὶ τόπων. Vide Lilium Gregorium de dijs gentium. Verſus autem ſequens, *Quæ* non habet in vetuſtis codicibus.

Sunt, quos Pacuuius, & verrucoſa moretur.

V. 96. *Troſſullus* in noſtris exemplaribus fere geminat ſſ, ſicut Troſſuli, & Troſſulū oppidum apud Plinium, Feſtum, Marcellinum.

V. 127. Seruius in verſum octogeſimumquintum libri quinti Æneidos, hunc Perſij verſum adducit: vbi dicit nullum locum eſſe ſine Genio, qui per anguem plerúnque oſtendatur.

In tertium verſum Satyræ ſecundæ.

Cenſorinus in libro de die Natali quærit, cur Genio fundendum vinum, non hoſtia faciendum putauerit Perſius.

V. 14. Seruius in illud libri quarti Georgicôn,

——& triſtitia funera ducunt,

Scribit, *ducere* eſſe proprie funerum, eáque ſignificatione in hoc Perſij verſu eſſe accipiendum.

V. 69. *In ſacro*, in ſacris, in ſancto, in ſanctis hîc ſcribunt noſtra exemplaria. Ælius Lampridius de Alexandro Auguſto. In templis ſane numquam præter quatuor aut quinque argenti libras, auriue guttulam quidem aut bracteolam, poſuit, ſuſurrans verſum Perſij,

——in ſanctis quid facit aurum?

In quartum verſum Satyræ tertiæ.

Tempus ab exoriente ſole ad ſolem occidentem, dies proprie dicitur: *Diémque naturalem* appellat Cenſorinus. Cuius contrarium tempus (inquit) eſt *nox*, ab occaſu ſolis ad ortum. *Dies* etiam dicitur tempus vno cæli circumactu factum, diem verum & noctem continens. Quod tempus, veteres Romani *diem ciuilem* appellabant, eodem Cenſorino, Aulo Gellio, & alijs teſtibus. Hoc diei genus, vmbri gens Italica, meridiebus, Athenienſes, ſolis occaſibus: Romani medijs noctibus olim definiebant: antiquóſque illos, vmbros aſtrologi, Atticam gentem Itali, Romanos Galli, Hiſpani, &

multi alij nunc in huius diei obſeruatione imitantur. Dies hi ciuiles, inter ſe ſunt cuncti æquales: aut ſiqua adeò inter illos extat inæqualitas [de qua diſputat Sacroboſcanus in capite tertio libri de ſphæra, ea eſt ita exigua, vt vix ſentias. *Naturales* vero dies ſic ſe habent, vt ſub ſolis mundi verticibus, & ſub æquinoctiali circulo, æquales ſemper ſint: in omnibus alijs plagis ſemper inæquales. Vt in his cæli inclinationibus, à ſolſtitio æſtiuo ad hiemale (quam *brumam* Latini dixerunt) decreſcunt hi dies: ab hiemali ſolſtitio vſque ad æſtiuum, ſenſim perpetuo augentur. Eadem inæqualitas & noctibus quoque contingit. Quæ cum ſuis diebus ita conueniunt, vt creſcentibus illis hæ decreſcant: & contra, iiſdem decreſcentibus, hæ augeantur. Cum ergo quod alteri detrahitur, id ita alteri accedat: fit, vt dies naturalis & ſua nox, idem temporis ſpatium ſemper contineant, qui dies ciuilis dictus eſt: vnde dies ciuiles ſemper inter ſe æquales, quemadmodum diximus, eſſe videantur. In hoc autem tam vario incremento lucis, decrementóque, contingit ſemel tantum inter duo ſolſtitia, vt dies naturalis nocti ſuæ euadat æqualis: quod tempus Latini *æquinoctium*, Græci *ἰσημερίαν* appellauerunt, illi à noctis, hi à diei æqualitate nomina ſua componentes. Primi autem hominum, qui diem naturalem in partes diuiſerunt, non eſt mihi dubium, quin varie primum diſtribuerint, ſed conſtitiſſe tamen tandem in illa duodenarij numeri diuiſione, tanquam omnium commodiſſima. Diuiſerunt autem illi non ſolum diem naturalem, ſed etiam noctem in partes æquales duodenas: quaſi Græci Latiníque *horas* dixerunt. Inter quas horas hæc fuit inæqualitas, quod cum dies æſtiua longior ſit, quam brumalis, horam æſtiuæ diei longiorem eſſe, quam horam hibernæ, neceſſe erat. Et dies ipſa æſtiua cum longior ſit, quam ſua nox: hora eius diei longior neceſſario erat, quam noctis eius hora. In ſolo æquinoctio, diei & noctis erant horæ inuicem æquales: vnde & *æquinoctiales horæ* Plinio aliíſque appellatæ ſunt horæ æquales: quales vigintiquatuor diem ciuilem conſtituere vulgo dicuntur. Hoc enim diei genus poſtquam diei naturalis & noctis tempus continet: ipſi eorum horas duodenas attribuere par fuit. Iam de *horologijs* hoc cognoſce, quod ad hunc Perſij locum intelligendum pertinet, aliter vetuſta horas dediſſe, atque nunc noſtra. Antiquorum namque horologia, horas iſtas inæquales inæqualium dierum naturalium, & noctium, duodenas dabant: diéique hora prima cum ortu ſolis incipiebat. Sextam terminabat meridies, duodecimam occaſus ſolis. Inde noctis principium: cuius horam ſextam media nox, & proximus ſolis ortus horam duodecimam definiebat. Sic in omnium veterum Græcorum Latinorúmque ſcriptis horæ tibi accipiendæ, quotieſcúnque earum mentionem ibi

factam inuenies. Noſtra vero horaria non iſtas inæquales horas deſignant: ſed quaſi modo æquinoctiales diximus, dei ciuilis horas viceneſquaternas. Vetus ratio, quam in quibuſdam regionibus adhuc ſeruari audimus, quando mutata ſit apud nos, id ego certe compertũ non habeo: ſed quod altera ſit illi iure prælata, hoc alibi fortaſſe aliquando oſtendam. Quam ergo Perſius hoc loco dicit, horam in ſolario dari quintam: ea diei naturalis hora eſt: quæ in Romana cæli inclinatione, naturalibus æſtiuis diebus longiſſimis, diei ciuilis hora erat decima & tres quadrantes, vt illi veteres diem ciuilem à media nocte more noſtro incipiebant. Sic Perſiano iſti ſcholaſtico pulchrum erat in medios dormire dies, vt ait ille. Quod autem nouorum Perſij interpretum quidam hoc loco per ea, quæ in ſacris libris ſcripta ſunt de ſolis regreſſu in regis Eſeciæ morbo, probare conatur, horologia eſſe antiquiora, quam à quibus inuenta Vitruuius & Plinius tradiderint: vellem ſcire, homo ille an ſatis contuliſſet Latina ſua cum Hebraicis, vnde erant conuerſa. Miror enim valde, quod Hieronymus locum illum non ex ſuo, ſed ex alieno iudicio ſenſúque, ſit interpretatus. Eius verba apponam ex commentariis in Eſaiam. Datur autem ſignum, vt ſol decem gradibus reuertatur: quos nos iuxta Symmachum, in lineas & horologium vertimus: qui gradus intellexit in lineis, vt manifeſtorum ſenſum legentibus: faceret. Siue ita extructi erant gradus arte mechanica, vt per ſingulos vmbra deſcendens, horarum ſpatia terminaret. Et Ioſephus, homo Hebræus Hebraïcarum rerum ſcientiſſimus, ſolarij non meminit in ea hiſtoria, ſed ſcalas potius eſſe ſignificat, in quarum gradibus ſole illuſtratis prodigium illud viſum ſit.

Horat. epiſt. 2.

V. 31. De *natta* hoc nuper monuimus Burdigalæ, apud Horatium, Perſium, Iuuenalem, Apuleium libro nono de aſino, varie ſcribi hoc nomen, Natam, Nattam, Nacam, Naccam, & Nactam: de cuius orthographia nihil diſci poteſt ex veterum commentariis. Tantum ſcripſit Porphyrio Nattam poni Horatio pro ſordido homine: & Cornutus ab Horatio & Perſio fictum nomen eſſe, ſed aliis tamen placêre, Nattam fuiſſe luxurioſum quendam, qui patrimonium ſuum prodegerit, & nobilitatem male viuendo deturpauerit. Aldus vero Manutius, & quidam alij noui Grammatici, qui huic nomini ſuam reſtituere rectam ſcripturam tentauerunt, Nacam ſcribendum cenſuerunt, quod νάκην ouium pellem dici Græcis legiſſent apud Suidam: & quod inueniſſent apud Feſtum Pompeium, fullones eſſe dictos Latinis nacas, quia nauci ſint, id eſt nullius pretij.

V. 46. Aulus Gellius libro octauo decimo cap. 7. *Domitio* homini docto celebríque in vrbe Roma grammatico cognomentum *Inſano* fuiſſe, quoniam erat natura intractabilior & moroſior: ſed quem

Gellius cum Fauorino ſuo diſputantem vidit, is vix natus ante fuerat, quam Perſius è vita migrauiſſet. Alius itaque fuit, quem *Inſanum* magiſtrum hoc loco vocet Perſius. Quinimo patrem ſuum Perſius cum amiſerit annos vixdum ſex natus, quemadmodum in eius vita ab auctore antiquiſſimo ſcripta legitur, dubium eſſe non debet, quin quod vetus monuit interpres, ea Perſius hoc loco de ſe finxerit, quæ de multis vere dici poterant.

V. 66. *Diſcitéque, ô miſeri, & cauſas, hic legitur;* &, *Diſcite, & ô miſeri cauſas cognos.*

V. 68. *Qua* & *vnde* aduerbia hic agnoſcuntur ab interprete vetuſto. Pro *qua*, quam, multi inepte legerunt: & vnde genitiuum caſum ab vnda, pro *vnde*, Ludouicus Viues in librum Auguſtini ſecundum de ciuitate Dei, cap. 6.

V. 160. Triental vetus interpres, pro illo *Trientem* aliorum.

V. 103. Scribit Seruius in libri quinti Æneidos verſum centeſimum triceſimum octauum, quod maioris ætatis funera ſolebant ad turbam proferri, minoris vero ad tibiam: vtraque, Perſij & Statij auctoritate probat.

V. 107. *Venæ* pro arteriis. Aulus Gellius libro 22. cap. 10.

In vigeſimum primum verſum ſatyræ quartæ.

Et hîc & apud Martialem in epigrammate quadrageſimo ſeptimo libri vndecimi ſcribitur *Pannucea & Pannucia*, ab eo, quod eſt pannus.

In centeſimum triceſimum octauum verſum ſatyræ quintæ.

Vare hic habebant omnia impreſſa exemplaria ante, quam has ſatyras Burdigalæ emendauiſſemus: omnéſque id noui probant interpretes, & exponunt, male feriâte, inepte, ſtulte, mente minus recta, ſed torta, læua, & non ſana, metaphora à corpore ad animum, quod *vari* proprie dicantur, quibus crura obtorta ſint. *Vare* hic etiam legit, & verbum corruptum aliquando Pictauis mihi adoleſcentulo expoſuit Petrus Brunus Turonenſis: ſub quo præceptore, quia locum hunc Perſij ſatis pulchre intellexiſſe mihi videbar, cum eas ſatyras auide ediſcerem: in eo aliquid eſſe vitij nunquam equidem ſuſpicatus fuiſſem, niſi quis mihi indicaſſet. Fuerunt autem tria vetuſta exemplaria, quæ *varo* pro *vare* haberent: atque vnum etiam illorum,

hoc in margine ſcholion. *Nota quod varo* dicitur Vir vaſte & perdite viuens. Hic ſuſpicatus ſum primum in mihi noti & familiaris verbi locum irripere propter ſimilitudinem facile potuiſſe nomen, quod nec vſquam legere, neque de illo quicquam vnquam audiuiſſe memineram. Conſului itaque Nebricenſem, alióſque nouos commentatores: ac inueni Ioannem Britannicum inter alios multos, *Varo* quoque hic legiſſe: ſed cum adferendi caſum, quem putabat eſſe, metrum hoc loco conſiſtere non pateretur, *Vare* ab eodem recto varus, ei placuiſſe. Sciebam autem iſtorum falſorum & audacium emendatorum plena eſſe omnia: quare non ſtatim ille mihi perſuaſit idem vocabulum in tam multis libris fruſtra reperiri. Antiquum poſtremo commentarium inſpicio, quod Annæo Cornuto, vetuſtiſſimo grammatico titulus attribuat: in quo tum *Varo* ſcriptum inueni, tum *Varones*, ſeruos militum dici, & ſtultos. Ex eo dubitare deſij, quomodo hic legendum foret: atque ita *Varo* pro *Vare* repoſui, verbum mehercule, quod neſcio quantum eruditioribus familiare antea fuerit, cæterum mihi (quemadmodum dixi) neque vſquam lectum antea, neque auditum: niſi ſi forte ſit, quod ſuſpicor, Marci Ciceronis *Baro* vocula, quæ veluti ſcopulus in medio literarum Latinarum æquore, peritiſſimos quoſque adhuc fefellit. Atque ſuſpicionis huius cauſæ ſunt duæ præcipuæ. Vna, quod *Varo* & *Baro* adeo ſunt ſimilia, vt ſi quis Biturgium Viuiſcorum, aut Vaſconum noſtrorum, Perſianum Varo ſcriptum inueniret pronũciarétque, Baro Ciceronianum prorſus audires: & contra, ex hoc, illud omnino faceret. Sed ſunt & aliæ gentes, quæ conſonantium B & V ſonos ita inuicem commutantes, pro altera alteram ponere ſolent. Sic in antiquis libris, quotiens Fabios Fauios reperimus ſcriptos? Liuios Libios, Laberios Lauerios, Bituitum Vituitum, ac huiuſmodi alia? Et Franciſci Bernæ codex, Baro, & non Varo habuit. A Cicerone vero, quis de tam inſolente & inaudito verbo compertum habet, *Baro*, anne *Varo* ſcriptum fuerit? Fuit enim cum apud eum pro Barones legerentur Varones, & geminata tandem ab imperito librario cõſonante, Varrones, ſicut etiam in Bernæ noſtri Cornuto ſcribitur, cum Varo & Baro in omnibus ſit Perſianis exemplaribus, non Varro neque Barro: & *Varones* habeat vnicor, non ſolum Aquenſis noſter Cornutus, verum etiam neſcio quis alius Perſij interpres, quem ob antiquitatem inter meliores vtriuſque linguæ auctores reconditum habet Arnoldus Ferronus conſiliarius regius Burdigalæ, idémque rerum noſtrarum ſcriptor nobilis. Ad hæc in aliquot locis ſcriptorum Ciceronis, qui primi *vero* coniunctionem ſcripſerunt pro *Baro*, eos ibi *Varo* diceres primum reperiſſe: quod cum non viderent, quid eſſet, vero ex varo, vnius literulæ mutatione, feciſſe. Quomodo apud alios quoque auctores facile vitiari potuit verbum, quod apud ſolum Ciceronem

inueniri iam multi aſſeuerauerunt. Altera ſuſpicionis noſtræ cauſa eſt, quod à Perſij Varone Baronem Ciceronis nihil diuerſum ſignificare video. Ciceronis loca ſubijciam: in quibus Baronis nomen lectum meminimus. In epiſtola vltima libri noni earum, quæ familiares vulgo appellantur. An tu id melius, qui etiam philoſophum irriſeris? cum ille, Siquis quid quæreret, dixiſſet. Cænam te quærere à mane dixeris? ille Baro, te putabat quæſiturum, Vnum cælum eſſet, an innumerabilia. In extremo libro ſecundo de diuinatione. Sed ad curſorem redeo. Ad interpretem detulit, aquilam ſe in ſomnis viſum eſſe factum. at ille, Viciſti. Iſta enim aui volat nulla vehementius. Huic equidem Antipho, Baro (inquit) victum te eſſe non vides? Iſta enim auis, inſectans alias aues & agitans, ſemper ipſa poſtrema eſt. Quem locum Andreas Alciatus nimis oſcitanter legiſſe mihi videtur. Libro ſecundo de finibus. At vero illa, quæ Peripatetici, quæ Stoici dicunt, ſemper tibi in ore ſunt, in iudicijs, in ſenatu, officium, æquitatem, fidem, recta, honeſta, digna imperio, digna populo Romano, omnia pericula pro republica, mori pro patria. Hæc cum loqueris, nos Barones ſtupemus: tu videlicet tecum ipſe rides. Libro quinto epiſtolarum ad Atticum. Apud Patronem, & reliquos Barones te in maxima gratia poſui: & Hercule merito tuo feci. Hæc ſunt omnia illa, quatuor loca Ciceronis: in quorum poſtremo non ignoro à duobus magni nominis ſcriptoribus nuper *Barones* pro primariis & principibus viris acceptos eſſe: verum cur non eadem verbi contumelia *Barones* hic vocet Cicero Epicureos (de illis enim ibi loquitur) ineptum & ridiculum genus, à quibus tam vehementer in philoſophia diſſentiebat, & quos arguit paſſim, ac ridet? Sed epiſtolam primam libri tertiidecimi familiarum legas, velim: in qua videas, quid ſentiret de Patrone Epicuri ſectatore, quantuncunque amicis, eum commendet, ac amare profiteatur. Alij *Baro* fœminam quandam ſapientiæ ſtudioſam nouerant ex Suidæ collectaneis: vnde continuo aſſeuerauerunt, Barones à Cicerone appellatos eſſe illos philoſophorum, qui molles & effœminati eſſent, quales fuiſſe dicuntur Epicurei: cæterum quam recte id diuinarint, aliorum eſto iudicium. Idem porro Alciatus in capite ſextodecimo libri quinti parergon, de *Baronis* voce diſputans, ea an ſit Latina dubitat: quod quæ apud recentiores iuriſconſultos hiſtoricóſque barbaros frequens eſt, apud vnicum Latinum ſcriptorem reperiretur: & ſingulari teſti in his non tuto credi, præſertim cum omnia eius auctoris ſcripta, eſſe miſere deprauata conſtet: ſed non legerat, puto, Alciatus, quæcunque ante Latinum à barbaris ſubactum, Latine ſcripta extant, quantumuis abundet Italia libris hauddam cuiquam.

externo viſis: aut ſi legerat quidem, meminiſſe omnium non poterat. Nam cum quæreret illic de *Baronum* noſtrorum appellatione, quos quidam non ſine riſu noſtro à grauitate trahunt, quæ Græcis *βάρος* dicitur, ſi Perſij Varonem & veteris commentarij Varones nouiſſet, Caſſianos illos Barones ad eoſdem Barones aſſerendos, nunquam (vt arbitror) ex Hiſpania acciuiſſet. Sed *Baro* apud Italos, Gallos, Hiſpanos, Germanos quid ſit, hic diſſerere non inſtituimus, qui tantum hoc voluimus: primum, monere literarum ſtudioſos à nobis verbum *Varo* pro Vare reſtitutum ex veterum codicum fide, atque antiquorũ grammaticorum auctoritate: vt nequis rurſus ſciolorum id tam ſecure auſit corrumpere. Deinde, conferre cum *Barone* Marci Tullij Ciceronis, ſi forte poſſit idem videri vocabulum, & ij leuari moleſtia, quos circa vocem apud ſolum Ciceronem lectam, ſæcula iam aliquot torquere ſe video.

In decimum verſum ſatyræ ſextæ.

Hoc iubet Rudinus ille Quintus Ennius, egregie cordatus poëta, poſtquam tria corda habuit, (ita ipſe dicebat, teſte Aulo Gellio, libro ſeptimo decimo, cap. 17. Noctium Atticarum) cuius eſt & ille verſus,

Lunai portum eſt operæ cognoſcere, ciues:

Iubet, inquam, in ſuis annalibus: quos ſcripſit poſt, quam deſiiſſet dormire & ſtertere, excitatus ex ſomno illo, in quo ſomniauerat animam ſe Mæonidæ, id eſt, Homeri poëtarum nobiliſſimi, habere, ex Homero mortuo in pauonem, & ex hac aue in ſe Quintum Ennium profectam: quemadmodum animas morte carere cum perſuadere conabatur Pythagoras, dicebat, quod

Ouid. lib. 15. Metam.

——quoſlibet occupat artus
Spiritus: éque feris humana in corpora tranſit,
Inque feras noſter: nec tempore deperit vllo.

Idem autem philoſophus, qui Æthalidem quandem, Euphorbum, Hermotimum, Pyrrhum Delium piſcatorem, & alios multos fuiſſe ſe prædicat apud Ouidium Naſonem, Plutarchum, Philoſtratum, Diogenem Laërtium, Lactantium Firmianum, alióſque vetuſtos ſcriptores: quod is ſe pauonem etiam, & Homerum fuiſſe aliquando dixerit, hoc ergo apud probatum auctorem non memini legere. Legitur id quidem in commentariis, quæ compoſuerunt antiqui in Horatium, Perſium, & Statium. ſed gloſſaria eſſe exiſtimo, quæ indocti eruditis veterum grammaticorum interpretationibus interſuerunt.

fuerunt. Primum enim (habet Lactantius Placidus) in Euphorbum migraſſe dicitur Troiano prœlio: ſecundo in Pythagoræ, tertio in pauonis, quarto in Homeri, quinto in Ennij poëtæ corpus. Sic prorſus habet, quod Lactantij huius fertur commentum in verſum quadringenteſimum octogeſimum quintum libri tertij Thebaidos Statij: ſed Pythagoram Homero antiquiorem faceret doctus interpres? Idē nugamentum barbarie imperitiáque pari, Cornuti quoque commentario inſertum ab eo eſt, qui pulchre ſibi exponere videbatur, quid eſſet *Quintus* in illo verſu vndecimo, numeri nomen eſſe omnino credéns, quod Ennij prænomen videri poterat. Delenda itaque ſunt illinc, vt notha, hæc. Inde *Quintus* dixit propter eam opinionem, quæ dicit animam Pythagoræ in pauonem tranſlatam, de pauone vero ad Euphorbū, de Euphorbo ad Homerum, de Homero ad Ennium: & intelligendus locus tum ex præcedentibus in eundem verſum verbis vetuſti commentatoris, ac ex iis, quæ ab eo ſcripta ſunt in ſecundum verſum iambici carminis, tum ex iis, quæ de hac re Cicero, Tertullianúſque aliquot locis repetiuerunt: nempe quod Ennius in principio ſuorum annalium, per ſomnum in Parnaſſo Apollini & Muſis poëtarum numinibus ſacro monte, Homerum ſe vidiſſe, ſcripſerit: qui ipſi Ennio dixerit, ſuam Homeri animam, defuncto Homero, in pauonem auem migraſſe: & rurſus ex illo pauone mortuo eandem animam in Ennij corpus tranſlatam: atque ita Ennium Homeri animam habuiſſe, eúmque fuiſſe ſapientem, & fortem, & alterum Homerum. Melius quidem cognoſceretur Enniana fabula ex ipſis eius poëmatis: ſed illa interciderunt, vt omnino neceſſe ſit eam aut prorſus ignorare, aut ex aliorum veterum ſcriptis cognoſcere, qui eius meminerunt. Tertulliani loca aliquot ſubſcribemus, in eorum gratiam, quibus copia librorum non ſuppetit. Sic ille ſcribit in libro de reſurrectione carnis. Vt Euphorbus in Pythagorem, Homerus in pauum recenſeantur. Et in libro de anima. Pauum ſe meminit Homerus Ennio ſomniante: ſed poëtis nec vigilantibus, & ſi pulcherrimus pauus, & quo velit colore cultiſſimus, ſed tacent pinnæ, ſed diſplicet vox: & poëtæ nihil aliud, quam cantare malunt. Damnatus eſt igitur Homerus in pauum non honoratus. Et poſt pauca, Sed neceſſarie hanc quoque ſpeciem intulimus, & excluſimus, vt ſuperioribus cohærentem: quo perinde in pauone tunderetur Homerus, ſicut in Pythagora Euphorbus. Ita Ennianum commentum feſtiuiter ridet Tertullianus. Fuerit ergo pauus iſte, Quinti quidem Ennij totus: ſed quem tamen ideo Pythagoricum Perſius appellarit, quod ab Ennio confictus eſſet ſecundum eam, quam Græci ex Pythagoræ dogmate, παλιγγενεσίαν, μετεμψύχωσιν, & μετενσωμάτωσιν dicunt, Pythagoras ipſe eius rei auctor palingeneſian, Plato metempſycoſin, vt meminit Seruius,

Horat. l. 2 epiſt. 2.

ſexageſimum ſeptimum verſum libri tertij Æneidos enarrans.

V. 46. *Phœniſeca* prima declinatione omnia noſtra exemplaria: pro quo fœniſeces tertia legere maluit Philippus Beroaldus: quod fœniſecis tanquam à recto fœniſex ſcriptum inueniſſet apud Columellam lib. 2. quo loco fœniſecæ nunc legitur, pro illo fœniſecis.

V. 51. Inter multa exemplaria vetuſta, quæ excuſſimus euoluimúſque, vnicum fuit, quod hic haberet, haud audeo, pro, non audeo. Quidam nouorum commentatorum contendit rectè ſcribi, non audeo: pro quo Iodocus Badius legeret, non auſim.

Hæc autem paucula E L I A S V I N E T V S *annotabam in* P E R S I I F L A C C I *Satyras, cum eas, & earum antiquum interpretem ex diuerſis exemplaribus pro viribus emendarem BerbeZili in patria, & apud Engoliſmenſes, quo vêre Burdigala ſeceſſeram, anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſeptimo.*

PETRI PITHOEI IC.

VARIÆ LECTIONES QVÆDAM,

IN PERSIVM.

IN vetuſtiſſ. & opt. exemplari, quod in his notis L. litera interdum deſignaturi ſumus, ſingulæ huius libri paginæ hunc titulum conſtanter habuere, THEBAIDORVM PERSI SATIRA: quo quid ſignificetur, necdum diuinare potui. Qui coniecerit, is melior vates eſto.

Verſ. 14. *Pegaſeium melos*) L. & tres veteris codices, Perpegaſeum melos.

IN SATYRAM I.

V. 48. V*Atum & plorabile ſiquid*) Sic & apud Priſc. VIII. At in L. Vanum & plorabile ſi quis.

100. *Doctas poſuiſſe figuras*) Sic L. Doctiſſimus tamen Scaliger malit, -doctus poſuiſſe figuras. Laudatur. vt infra, -pallentes radere mores Doctus.

107. *Berecynthius Atys*) Idem ille legit *Attin.* & paulo poſt *Mænas & Attyn*: & cum vtrumque dicatur, Ἄττιν, ἄλφιν, Ἄττις, ἄλφις, illud à Perſio irrideri putat.

111. *Prægrandi ſubere*) Sic L. vetus interpres in Horat. Satyr. II. lib. I. vægrandi.

115. *Baſſaris & Lyncen*) L. Lyncæ.

II. AD PLOTIVM MACRINVM, DE BONA MENTE.

11. E*Bullit*) L. Ebulliat, deleta poſtea a litera.

14. *Iam tertia conditur vxor*) Apud Seru. IV. Æn. ducitur.

42. *Tuccetáque craſſa*) L. tuccetáque.

45. *Arceſſis*) L. Accerſis.

57. *Qui purgatiſſima.*) L. purgantiſſima.

69. *In ſancto*) Sic L. ſic Lamprid. Alexandro.

73. *Faſque animo*) L. animos.

75. *Hæc cedo admoueant*) L. hæc cedo vt admoueant templis. quod retinendum cenſeo.

III. INCREPATIO DESIDIÆ HVMANÆ.

13. N*Igra quod infuſa*) L. Nigra ſed infuſa vaneſcit ſ. l.

14. *Geminet quod fiſtula*) L. quo.

23. *Lutum es*) L. eſt.

66. *Diſcite & ô miſeri*) L. Diſcite, ô miſeri, & cauſſas. nec hoc vnicũ eſt in his Satyricis huius licentiæ exemplum.

81. *Silentia rodunt*) L. produnt.

IV.

21. P*Annucea Baucis*) Scribe pannucia, vt in L. & apud Donatum in illud Andriæ, Vidi Cantharam ſubfarcinatam.

25. *Vectidi prædia*) L. Vettidis.

33. *Frigas in cute*) L. figas. non male. al. fricas.

37. *Tu cum max.*) L. Tunc cum.

V.

9. S*Æpe inſulſo cenanda Gliconi*) L. ſæpe inuiſo cenanda Cycloni. & Gloſſæ loco adiectum, deformi.

15. *Rodere mores*) L. habuit olim, *radere*.

19. *Bullatis vt mihi nugis*) L. pullatis, & adſcriptum pro gloſſa recentiore manu, togatis. Vetus interpres pridem editus ab Elia Vineto opt. & doctiſſ. ſene, legiſſe videtur, bullatas vt mihi nugas, quod Scaligero noſtro magis placet.

26. *Centenas a. d. voces.*) L. fauces. non inepte.

29. *Quot latet*) L. Quo.

58. *In Venerem putret*) Et hoc loco vetuſtiſſ. ex. corruptum fuit.

64. *Fruge Cleanthea*) L. Cliantea petite hinc iuuenéſque ſenéſque.

77. *Vappa & lippus*) L. Vappa lippus, & in tenui ferragine mendax.

83. *Hoc nobis pilea donant*) L. hoc nobis pillea donat.
87. *Licet illud*) L. licet illud de tuo tolle. corrupte. ſed optimi ex. etiam næuos referre interdum placebit, & proderit.
93. *Dare tenuia*) L. tenua.
112. *Nec glutto*) L. Nec gluttu. In vet. gloſſ. ſcriptum eſt, Gluttus, βρόχθος.
129. *In iecore ægro*) L. in pectore ægro. & poſt paulo, Et quid agam rogas? en ſaperdas a. p.
Veientanumque) L. Vellentanumque.
150. *Peragant ſudare deunces*) L. ſuadere deunces.
174. *Exieras, nec nunc*) L. ne nuc.

VI. AD CESTIVM BASSVM LICVRIVM POETAM. ſic L.

24. *TVrdarum noſſe ſaliuam*) In L. ſaliuas, & emendatum turdorum.
27. *Aſt vocat*) L. Auocat.
44. *Inſignem ob cladem*) L. laudem.
51. *Non audeo inquis*) Quidam codices, haud audeo. Sunt qui malint, Non adeo, inquis.
55. *Accedo Bouillas*) L. Bobillas.
60. *Maior auunculus exit*) L. exſtat.

EXPLICIT PERSII THEBAIDORVM SATYRA. FELICITER. ſic L.

EIVSDEM PITHOEI, IN GLOSSAS PERSII,

VARIÆ LECTIONES.

Pag. 147. FVluia Siſennia) In quibuſdam codicibus, Fuluia Siſenna mater nupſit poſtea Fuſcio eq. Ro. & paulo poſt, Ceſſium Baſſum & Calpurnium Statucam.

ibid. *Mirabatur ſcripta Flacci.*) Al ſcripturam Flacci vt v. r. ſ. i. r. a. c. quin illa eſſe vere poëtica diceret.

ibid. *Claudij Agaterni*) Vet. Claudij Agatumni medici Lacedæmonij, & Petronij Ariſtotegratis magnatis Ariſtotelici, quos vnice imitatus eſt.

148. *Reliquit circa H-S xx.*) Vet. Circiter Seſtertium vicies matri & ſorori, ſcriptis tamen ad matrem codicellis.

ibid. *Et libros circa* DCC.) In quibuſdam codicibus additur, Chryſippi.

ibid. *Prætextam*) Quidam codices, Prætextam Veſcio & opericarum. corrupte. Et paulo poſt, mirari homines & deperire ceperunt. Et, detractis mox omnibus.

149. *Ridicule ſatis*) Al. ridiculoſe.

ibid. *Priamum Priamique phiſingos.*) Al. piſinnos. & in aliis gloſſis, Piſinni, liberi.

ibid. *Examen eſt lingua vel lingnum.*) Al. ligua vel linum. & infra intra, quod eſt linum, de quo examinatio eſt.

150. *Per tu pigmentarios*) Al. vnguentarios.

ibid. *Ex Græco verſu*) Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.

ibid. *Fortia neglecti*) Velabant, al. votilabant. & verſu ſeq. Et per neglectos votilabant colla capillos.

151. *Aut quotiens*) Ah quotiens.

ibid. *Coma murmurat Apennini*) Sibilat, apud Chariſ.

ibid. *Vulpes Thraſes Baſſares*) Vide Heſychium.

152. *Bidental*) Κεραυνοπλήξ. Artemid, lib. II. vide infra 203.

ibid. *Quis putet eſſe Deos.*) In quibuſdam codicibus, Credimus eſſe Deos?

ibid. *Aut ad Saturarum iura*) Al. ad aſſaturarum iura.

153. *Hoc & Varro ſcribit*) Fortaſſis, Aboriginibus. Nonius in Puppæ. Græci νίννα fictio etiam verbo dixerunt. Zonar. Cedr.

ibid. *In exteriorem*) Al. dexteriorem. Cæterum hic eſſe videtur Aurelianus, cuius Ouidius Ponto.

ibid. *Quod par crocea*) Iſidor. lib. vi. Etym.

ibid. *Ex fuligine*) Al. ex figulinis. male.

154. *Scæna*) Al. Sena.

ibid. *O multum*) Iſidor. lib. i. Etym.

155. *Scribonij Licinij*) Al. ibonis, &c, ad Fab. circum.

ibid. *Tercentis milibus.*) Al. ſexcentis.

156. *Cinctuque*) Al. cinctique.

157. *Cicuta*) Idem Tertull. Hieronym.

ibid. *Herodiani*) Hinc illa lucem accipient, quæ de Herodianis in ſacra hiſtoria legimus Mat. xxii. Marc. &c. xii. Quod ſequitur de circunciſione, non videtur ab homine Chriſtiano ſcriptum.

158. *An terrarius ſit*) Al. viuarius.

ibid. *Bouilla*) Non. in Hillas.

159. *Maniæ*) Feſt. Sic & Manius legendus accipiendúſque in Epigrammate Auguſti apud Martialem.

ibid. *Tractum à patribus*) Et illud Iſidor. lib. x. Etym. De tutore in conſuetudine vulgari dicitur, Quid me mones? & tutorem & pædagogum pridem obrui, eſt ex Satyr. iii. v. 96. Adeo pleríſque veteribus ſimilitudine quadam ingenij Perſius in delicijs fuit, vt inter maiorum gentium ſcriptores ſuos commentatores habuerit, etiam ante tempora Hieronymi: qui & eius verbis frequenter vtitur, Iuuenalem ne nominat quidem, quod meminerim: etſi Apologetico ad Domnionem verſum illum vſurpet, Et nos ſæpe manum ferulæ ſubduximus, vt & Macrob. lib. iii. Sat. cap. x. Adſcribam ſancti viri verba ex Apologia aduerſus Rufinum, quod aliis etiam locis vſui eſſe poſſint, & ad hunc quodammodo pertineant. Puto, inquit, quod puer legeris aſpri in Virgilium & Salluſtium Commentarios, Vulcatij in orationes Ciceronis, Victorini in Dialogos eius, & in Terentij Comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium, & aliorum in alios, Plautum, Lucretium, Flaccum, Perſium, atque Lucanum. Argue interpres eorum, quare non vnam explanationem ſecuti ſunt, & in eadem re quid vel ſibi, vel aliis videatur, enumerent.

IOA. BRITANNICI VIRI ERVDITISSIMI INTERPRETATIO Satyrarum Perſij.

CVM PHILIPPI BEROALDI ORATIONE HABITA IN ENARRATIONE *eiuſdem Perſij & Angeli* Politiani *Praelectione in eundem.*

VITA PERSII PER IOANNEM BRITANNICVM.

PERSIVS *Flaccus in Thuſcia Volaterras habet patriam. quod cum Euſebius teſtetur, ipſeque in vltima ſua ſatyra innuit cum ait,*

— Mihi nunc Ligus ora
Intepet hybernátq. meũ mare qua latus ingẽs
Dãt ſcopuli,& multa littus ſe valle receptat,
Lunai portum eſt operæ cognoſcere ciues.

Nam Luna oppidum eſt & portus Thuſciæ, vt ſentiunt Strabo & Plinius. Oſtendit igitur poëtã ſe Thuſcum eſſe cum ait,

Hybernátque meum mare.

Volaterræ oppidum eſt hoc modo ædificatum, in profunda valle ſublimis & præceps vndique collis extat, cuius in vertice planicies eſt, in qua ſita ipſius ſunt vrbis mœnia atque ſtadiorũ 15. aſcenſus eſt. E cuius baſi rupes tota ardua atque difficilis. Illic aliquando ex proſcriptis à Sylla quatuor militum complentes ordinem biennio per obſidionem preſſi, tandem per inducias diſcedẽtes locum illum reliquerunt. Natus eſt ibi Perſius anno 21. Imperij Tiberij 3. anno poſt paſſionem Chriſti Dei noſtri, Mortuus anno ætatis ſuæ 30. anno nono imperij Neronis, quo anno thermæ à Nerone ædificata ſunt. Cum literarum cauſſa Romam veniſſet annos egreſſus pueritiæ in diſciplina ſe tradidit Cornuto philoſopho, vt ipſe cecinit in quinta ſatyra vbi ait,

Cum primum pauido cuſtos mihi purpura ceſſit,
Bullaque ſuccinctis laribus donata pependit:
Me tibi ſuppoſui teneros tu ſuſcipis annos
Socratico Cornute ſinu.

Eum ſumma pietate coluit & obedientia. Vſus eſt amicitia in primis Minutij Macrini, Brixiani, equeſtris ordinis, principis viri ſingulari modeſtia, & fide, & Caſij Baſſi poetæ lyrici: ætate iam adulta ſex ſatyras mira carminis acerbitate ſcripſit. quæ nunc in manibus habentur, in quibus ſumma eius ingenij virtus iudicatur. Vnde non immerito Quintilianus eum multum veræ gloriæ meruiſſe quamuis vno libro prodidit. quæ ab aliis traduntur de eius vita, cum authoritate careant, mihi non probantur. Tenuium opum ſe fuiſſe declarat illic,

Quis expediuit pſittaco ſuum chære:
Picas quis docuit verba noſtra conari?
Magiſter artis ingeníque largitor Venter

QVÆDAM DE SATYRA PER EVNDEM IOANNEM Britannicum.

SATYRA carmen eſt (vt Diomedi placet) apud Romanos maledicum ad hominum vitia carpẽda comœdiæ priſcæ caractere compoſitum, à qua in hoc tantum differt: quod illa iambis & eiuſmodi verſibus conſtat, & perſonis introductis nouæ fere comœdiæ par eſt, & vitia hominũ cum denominatione continet perſonarum. Hæc autem, ideſt, noua ſatyra in hexametros aſſurgit libertate ſimplex, neque enim perſonas apertè nominat. Priſcæ comediæ princeps & inuẽtor fuit Suſarion Megarenſis Tripodiſcius Philini filius, qui cum paruæ mulieri coniunctus eſſet, abeunte muliere in pompa Dionyſiorum, theatrum ingreſſus quattuor cecinit carmina iambica: quæ ſola ex omnibus eius ſcriptis extant, *Audite populus. Suſarion hæc dicit Filius Philini Megarenſis Tripodiſcius. Malum ſunt mulieres, ſed tamen ô populares, non adeſt inuenire domum ſine malo.* Sic enim prima comedia ſcóma habebat apertum. Licuit itaque aperte ſic vituperare vſque ad tẽpora Eupolidis. vnde Horatius. *Eupolis atque Cratinus, Ariſtophanéſque poëta, Atque alij quorum comœdia priſca virorũ eſt: Si quis erat dignus deſcribi quod malus aut fur, Quod mœchus foret aut ſiccarius, aut alioquin Famoſus: multa cum libertate notabant.* Sed cum poëtæ abuti licentiùs ſtylo, & paſſim lædere ex libidine cœpiſſent plures bonos, ne quiſquã in alterum crimen infamiæ poneret, lata lege per Alcibiadem ſiluerunt. Ex priſca igitur comœdia quæ maiore laſciuit licentia, Satyra, quæ auctore Quintiliano tota noſtra eſt, manauit. In qua primus inſignem adeptus laudem eſt Lucillius, qui quoſdam vt ſcribit Fabius ita deditos ſibi amatores habuit, vt eum omnibus poëtis præferre nõ dubitarent: quamuis Horatius non ſine tamen ſuſpitione æmulationis eum in ſermonibus ſuis luculentum fluere diceret: & aliquid eſſe quod tollere poſſis. Secundus poſt hunc Horatius: qui etiã Lucillio multo terſior: ac purus magis habentur: & notandos mores magis præcipuus. Tertius Perſius annumeratur qui iudice Fabio multum & veræ gloriæ, quamuis vno libro meruit. Quartus vero Iuuenalis habetur: qui & venuſtate carminis: & ſatyræ dignitate ſeruata ita commenda-

Maior auũculus.

Faces ardentes.

Paleſtra.

batur:vt ſi aliis omnino præponēdus nō ſit:certe vel eis par habendus. Satyram nomen accepiſſe à variis cauſis ſcribunt Diomedes grammaticus, Porphyrio & Acron. i. à ſatyra lance: quæ refert à variis multíſque primitiis in ſacra inferebantur: & à copia & ſaturitate rei ſatyræ vocabatur. ſiue à lege ſatyra quæ vno rogatu multa ſimul comprehendit. quod ſcilicet & ſatyra multa poemata comprehendatur. Cuius ſatyræ legis Lucillius meminit in primo per ſatyram ædilem factum qui legibus viuat, Et Salluſt. in Iugurtha, Deinde quaſi per ſatyram ſententiis exquiſitis in deditionem accipitur. Siue à ſatyris diis quod ſimiliter in hoc carmine ridiculæ res pudendæque dicuntur, quæ velut à ſatyris Dijs ſilueſtribus proferuntur & fiunt. hocque veriſimilius. Nam in comœdia Priſca quæ in vitia hominum apertius, vt dictum eſt, inuehitur, ſalibuſque & iocis abſoluitur, ſatyri introducti ſunt Dij ſilueſtres & procaces iocularia & laſciua inter ſe iactantes. Hij ſunt vt auctor eſt Pollux ſatyrus canus: ſatyrus impubis, ſatyrus adoleſcens, Sylenus pater, atque id genus perſonæ fictæ. Satyris igitur introductis ſatyra nominata eſt: quod nomen hæc quæ tota vt diximus noſtra eſt: & ab illa antiquiore defluxit, accepit, ſeruauitque. Hoc poematis genere Perſius ſex ſcripſit ſatyras, quarum haud dubium eſt primam eſſe, *O curas hominum.* Nam illud, *Nec fonte labra,* quædam potius meo iudicio præfatio dicenda eſt quam ſatyra: quam ideo tantum poëta præmitut vt cauſam aſſignet, quare animum poeticæ applicuerit. Itaque more ſatyrico, opus ſuum ex abrupto incipiens in trimetrum iambicum erumpit: Docens non ea ſe facilitate poëtam factum eſſe, qua Heſiodus & Ennius poetæ facti dicuntur, ſed egeſtate & rerum difficultate coactum vt verſus faceret.

IOANNIS BRITANNICI ERVDITISSIMA INTERPRETATATIO IN A. PERSII SATYRAS.

JN PROLOGVM.

NEC *fonte labra.*] Verſus eſt ſenarius Iambicus, qui & trimeter nominatur. Conſtat enim pedibus ſex. recipere poteſt Iambum locis omnibus, maxime apud tragicos. Dactylum & tribrachum locis omnibus præter nouiſſimum. Anapæſtum locis tantum imparibus. Et nonnunquam in ſexto ſpondæũ. Loci impares dicuntur primus, tertius, & quintus: pares vero ſecũdus, quartus & ſextus, Quæri autem ſolet cur trimeter appelletur, cum ſenos accipiat pedes? quoniam ſcilicet tanta breuitas eſt pedum, vt iuncturæ binos complectantur pedes. Iambum autem pedem eſſe celerem oſtendit Horatius dicens in Poëtica. Syllaba longa breui ſubiecta vocatur Iambus, Pes citus. Antea totus verſus Iambicus iambis conſtabat, nunc adhibentur etiam nothi, vnde eſt illud Horatij in Poëtica, Primus ad extremum ſimilis ſibi. id eſt antea totum Iambicum metrum ex Iambis conſtabat: nunc vero vt dictum eſt adhibentur etiam nothi. vnde quia in ſexto pede retinuit huiuſmodi carmen ſpondæum ſiue trochæum, cum Iambo aut Pyrrhichio claudi deberet, appellatum eſt ſcazon, id eſt claudicans & quaſi alienis pedibus in fine maxime ſuſtentetur. Martialis Apollinarem conueni meum ſcazon. Iambibum metrum inuentum eſt ad nocendum; ab iapto, id eſt noceo. Archilochum Lacedæmonium inuentorem fuiſſe teſtatur Horatius, Archilochum proprio rabies armauit Iambo. Quo carmine Lycambem perſecutus eſt. nam cum Lycambes ei Neobolem filiam in matrimonium promiſiſſet, eámque mox denegaſſet, iratus Archilochus

in eum ſcripſit. Vnde ille dolore compulſus, vnà cum filia ſpiritum ſibi laqueo eripuit. de quo Ouid. in Ibin. In te mihi liber Iambus, Tincta Lycambeo ſanguine tela dabit. Hoc igitur inquam carmine erumpit poëta, dicens ſe non eo modo factum poetam potu fontis Hippocrenes, quo alij dicuntur facti. Alludítque ad Heſiodum, qui patris oues iuxta Heliconem cuſtodiens, viſis Muſis, ac ab iis ad fontem Hippocrenem, id eſt Caballinum deductus, clariſſimus factus eſt poëta: qui poſtea primus de agricultura apud Græcos ſcripſit, autore Plinio. Ouid. in Faſtis. Ecce deas vidi, non quas præceptor arandi Viderat, Aſcræas cum ſequeretur oues. Et idem in Arte amandi. Non mihi ſunt viſæ Clio Cliuſque ſorores, Seruanti pecudes vallibus Aſcra tuis. Nam Dius & Pimicides parentes cum paupertate apud Eoles premerentur, relicta patria Cuma in Theſpiis Aſcram vicum iuxta Heliconis partem incoluerunt. De quo Homerus auctore Strabone. Aſcram rus miſerum penes hic Helicona colebat, Hyberno durum, triſte æſtu, optabile nunquam. Sicque eos latenter notat qui putant egregium fieri poëtam non poſſe, niſi fontes & loca Muſis conſecrata celebrarit: ſubtili arte oſtendens virtutem homini labore & induſtria parari, non inani & vana rerum argumentatione. Principium igitur factum ab indignatione, tanquam affirmet quod ab aduerſario longa diſcrepatione obiiciebatur, ſe nullum prorſus cũ Muſis commercium habere, vt ſit ſenſus. Fateor me nec Hippocrenem bibiſſe, nec ſomniaſſe in monte Parnaſſo, vt de ſe alij iactant. Eſt geſtu adiuuandum. *Proluí.*] Immerſi vt biberem. Compoſitum eſt à lauo, quod è prima in tertiam tranſit coniugationem, vt diluo, alluo, abluo. *Fonte.*] Dictus eſt fons auctore Varrone, quòd fundat aquam. *Caballino.*] In Helicone fontem Caballinum Muſis conſecratum eſſe auctor eſt Strabo, quem equus Pegaſius Neptuni & Meduſæ Gorgonis auctore Higinio filius, vt alij vero ſcribunt ex Meduſæ ſanguine, ceruice à Perſeo reſecta procreatus, vngula ſaxum feriens aperuit, qui ex eius nomine Caballinus, id eſt Hippocrene dictus eſt. Hippos enim equum ſignificat, Crene fontem. Hunc poſtea equũ fama eſt, vt ſcribit Strabo, cum potaret Pirenen in Acrocorintho à Bellorophonte deprehenſum fuiſſe. vnde primum eum fuiſſe qui equo veheretur ſcribit Plinius *Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſſo.*] Parnaſſus mons eſt vt Strabo & Mela ſcribunt Phocidis, qua Bœotiæ accumbit, & ad occiduos Phocidis montes locatus. Ouidius, Separat Aonios Actæis Phocis ab aruis, Terra ferax. Mox addit. Mons ibi verticibus petit arduus aſtra duobus Nomine Parnaſſus, ſuperátque cacumine nubes. Vniuerſus autem mons conſecratus eſt. Nam & antra & alia loca honore & ſanctitate digna continet. E quibus celeberrimum & formoſiſſimum extat Coricium Nympharum antrum, eodem quo

& Cilicium nomine nuncupatum *Bicipiti.*] Id eſt in duos colles ſurgenti. Lucanus. Parnaſſus gemino petit arduus æthæra colle: Mons Phœbo, Bromióque ſacer. Explodenda eſt eorum opinio, qui alterum ex collibus Parnaſſi Citheronem, alterum Heliconem appellari crediderunt: cum omnino Citheron atque Helicon, alter ab altero diſtantes, auctoribus Strabone, Plinio, Mela, & Solino, montes ſint Bœotiæ, Parnaſſus vero Phocidis regionis. Sic enim ſcribit Strabo. Helicon igitur non procul à Parnaſſo diſtans, illi æmulus eſt, & altitudine & circuitu. Vterque enim niuibus pulſatur, & rupes amborũ ſaxea eſt. Non multa vero illos regio circumſcribit. Plinius. nec cedentes Athenis claritate, quæ cognominantur Bœotiæ Thebæ, duorum numinum, Liberi atque Herculis, vt volunt, patria. etiam eſt mons Parnaſſus, in eo Delphi, natale in nemore Helicone Muſis aſſignant. Datur & his Thebis ſaltus Citherõ. Sic & Strabo. Citherõ prope Thebas finitur. Mela ita ſcribit. In Phocide in his Apollinis fanum atque oraculum. In Bœotia Thebæ & Citheron fabulis carminibúſq. celeberrimus. *Memeni.*] Et nullo prorſus pacto addatur me: nam verſus non ſtaret. Primus enim pes eſt anapæſtus, vltimus ſpondæus, cũ ſẽper indifferẽs vltima ponatur ſyllaba. reliqui vero Iãbi. *Somniaſſe.*] Oſtendit id ſibi non contigiſſe, vt illico poëta fieret, quod Ennio accidiſſe legitur: qui in principio Annalium ſuorum, vt ſcribit Porphyrio per ſomnum animam Homeri in corpus ſuum intraſſe faſſus eſt, & ſe ſtatim poëtam factum: vnde eſt illud. Cor iubet hoc Enni poſtquam deſtertuit eſſe Mæonides. *Sic repente.*] Vt Heſiodus & Ennius prodierint. *Heliconidaſque pallidamque Pyrenen, Illis relinquo quorum imagines lambunt.*] Ego, inquit, relinquo Muſas, & fontes eis ſacratos, illis quibus imagines hederis coronatæ poſitæ ſunt, qui tali ambitione viuunt, latenterque ſui temporis poetas notat, qui hiſce rebus decorati poëtas ſe eſſe putabant eximios. Vnde alibi poëta ſic eos irridet. Grande locuturi nebulas Helicone leguntо. Dicit igitur ſe quoque, & ſi non ſit ea eruditione, qua habentur alij poëtæ, tamen carmina ſcripturum. *Heliconidas.*] .i. Muſas, quibus, vt ſcribit Strabo, ædes in Helicone conſecrata eſt, fons Caballinus. Nam & Helicona & Pieriam & Libethrum & Pimpliam eiſdem Muſis conſecrarunt Thraces Bœotiæ accolæ, Vt hi qui Libethrĩdum nympharum antrum conſecrarunt, & qui priſcæ muſæ curam ſtudiumque dederunt, Thraces fuiſſe perhibentur: Ephorus Orpheus, & Muſeus, Thamiris. ob id etiam Eumolpo inde nomen inditum eſt, id eſt, cantori optimo. *Heliconidas.*] Patronymicum eſt fœmininum. Tribus modis patronymica formantur fœminina: in as quidem, vt Lemnias; in is, vt Priamis: in ne, vt Nerine. Virgilius. Nerine Galathea timo

mihi

mihi dulcior Hiblæ. *Pirenen.*] Pirene fons eſt Acrocorinthi, de quo ſic Strabo. Acrocorinthus mons eſt Peloponneſſi, excelſus inter duo maria ſitus, Ægeum videlicet & Ionium, ſtadiorum trium ac dimidiati altitudinem habens ad perpendiculum, aſcenſus ad ſtadia trigeſimum in acutum terminatur cacumen, ſub cuius radice in plano inſtar menſæ loco iacet oppidum Corinthus. Vertex ipſe Acrocorinthi Veneris ſacram habet ædiculam, infra verticem Pirenen fontẽ aquas haud affluentes habentem, cæterum perſpicuas ad imum potuique ſuauiſſimas. Plinius item de eo ita prodit. Medio hoc interuallo, quod Iſthmum appellauimus, applicata colli habitatur colonia Corynthus, antea Ephyre dicta ſexagenis ab vtroque littore ſtadijs: à ſumma ſua arce, quæ vocatur Acrocorinthus, in qua fons eſt Pirene diuerſa duo maria proſpectans. Hæc iccirco ſtudioſius ſcripſi, vt eorum opinio refelleretur, qui Pirenem vallem eſſe crediderunt, vbi ſtuderent poëtæ. Eſt etiam Pirene mons, qui Galliam diſterminat ab Hiſpania. De quo Tibullus. Non ſine me eſt tibi partus honos, tua bella Pirene Teſtis & Oceani littora Santonici. *Pallidámque.*] Nonnulli hoc ad fabulam referunt, quæ talis eſt. Pirene, vt ſcribit Pauſanias, cum ex duobus filijs, Cenchreo Legeoque, quos ex Neptuno ſuſceperat, Cenchreum adoleſcentem admodum amiſiſſet, eius mortem adeo fleuit, vt in fontem ſui nominis deorum miſeratione conuerſa ſit: vnde pallidam dixerit. Ab his poſtea, vt ſcribit Plinius, anguſtiarum termini Corinthiaci ſinus denominantur Legeæ & Cenchreæ. Alij vero ita interpretantur, quod omnino placet, non pallentem ſed pallidos facientem, vt Vergilius, Mors pallida, triſtiſque ſenectus. Et idem alibi. Attonitæ magna ora domus, id eſt attonitos facientis. Scriptores enim ſtudio intenti, ſolent palleſcere, vt Perſius, iuuat impalleſcere chartis: & Iuuenalis. Fuit vtile multis Pallere, & toto vinum neſcire Decembri. *Quarum imagines.*] Effigies hominum non ſolebant exprimi, niſi aliqua illuſtri cauſa perpetuitatem merentium: hocque ab Athenienſibus manaſſe videtur, qui primi omnium Harmodio & Ariſtogitoni tyrannicidis publicæ poſuerunt ſtatuas, eo anno quo & Romæ reges pulſi. Excepta deinde res eſt, vt ſcribit Plinius, à toto orbe terrarum humaniſſima ambitione: vnde & poëtis imagines ponebantur, & à ſtudioſis tantum vt quiſque nomen auctoris diligebat. Martialis ad Auitum ſtatuam ſibi ponentem edidit carmen ſubſcribendum. Hoc tibi ſub noſtra breue carmen imagine viuat Quam non obſcuris iungis Auite viris. Iuuenalis, Qui facis in parua ſublimia carmina cella. Vt dignus venias hederis, & imagine macra. L. Accius in æde Camœnarum, vt ſcribit Plinius, maxima forma ſtatuam ſibi poſuit cum is admodum breuis eſſet.

Lambunt.] Circumeunt. Virgilius. Tactúque innoxia molles Lambere flamma comas, & circum tempora paſci. *Hedera.*] Hedera coronabantur poetæ. Virgilius, Paſtores hedera creſcentem ornate poetam. Horat. Me doctarum hederæ præmia frontium Diis miſcent ſuperis. Hederarum auctore Plinio tres ſunt ſpecies, Alba & nigra, tertia, quæ & elix appellatur. Nigra, cui ſemen eſt croca tum, poetæ vtuntur, quam quidam Niſiam, alij Bacchicam appellant, quòd Bacchus cum victor ex India rediret, coronas hederæ portauit. Iure igitur hedera coronantur poetæ, quod quemadmodum illa Baccho ſacrata eſt, ita & poetæ in tutela Liberi patris eſſe dicuntur. Hedera dicta eſt, vt placet Feſto, ſiue quòd hæreat, ſiue quòd edita, id eſt alta petat, ſiue quòd cui adhæſerit edat. *Sequaces.*] Epitheton eſt hederæ, cuius natura eſt ea quibus adhæret ſequi. *Ipſe ſemipaganus.*) Beneuolentiã ſibi conciliat à modeſtia ſua. Illud moneo, legendum eſſe, ipſe ſemipaganus non autem at ipſe: verſus enim non ſtaret. *Semipaganus.*] Semiruſticus & rudis poeta. Paganus dictus eſt à pago, quem villã antiqui dicebant, à pigon, id eſt à fontibus, eo quòd iuxta fontes villa ſemper fieri conſueuit. *Ad ſacra vatum.*] Non vt quidam interpretantur, ad certamina vatum: ſed ad ædem Apollinis & Muſarum, ad quam poetæ opera ſua deferebant. Eam Auguſtus (vt ſcribit Tranquillus) Apollini in ea parte palatij erexit, quam fulmine diſiectã aruſpices à deo deſiderari reſponderunt. In eius aditu porticus erat cum bibliotheca, tam Græca quam Latina. Martialis loquens ad librum ſuum, iure tuo veneranda noui pete limina templi, Reddita Pierio ſunt vbi templa choro. Iuuenalis. Ne quid tibi conferat iſte, Quem colis & muſarum & Apollinis æde relicta, Ipſe facit verſus. Horatius. Scripta palatinus quæcunque recepit Apollo. *Carmen.*] Id eſt poema. Virgilius: Carminis incompti luſus lecturæ procaces. *Quis expediuit Pſittaco ſuum Chare.*] Antypophora eſt. quaſi aliquis dixerit, quomodo carmẽ ſcribes, cum te ſemipaganum dicas eſſe & imperitum. Dicit igitur ſe neceſſitate coactum, lucríque ſe animum ad carmina ſcribenda applicuiſſe. idque ſe per ſimilitudinem pſittaci & picæ facere oſtendit: quæ aues cupiditate ſatiãdi ventris, voces humanas ediſcũt & emodulãtur. *Quis expediuit.*] id eſt, quis expedite loqui Pſittacum inſtruxit. Pſittacus auis eſt auctore Plinio ſuper omnia humanas voces reddens & quidem ſermocinans: eam India mittit, pſittacen vocant Græci viridem toto corpore, torque tantum miniato in ceruice diſtinctam. imperatores ſalutat, quæ accepit verba pronunciat. Martialis. Pſittacus à vobis aliorum nomina diſco, Hoc per me didici dicere, Cæſar aue. Statius. Humanæ ſolers imitator Pſittace linguæ. *Suum Chare.*] Nõ proprium, ſed quòd tam facile ediſcant, & expedite pronuncient, vt naturale illis eſſe videatur. Chære Græce, ſalue Latine.

Picas.] Pica auis eſt & ipſa vocalis, cui quidem quod ex longinquo non venit minor eſt nobilitas, ſed expreſſior loquacitas. Martialis. Pica loquax certa dominum te voce ſaluto, Si me non videas, eſſe negabis auem. *Conari.*] Cum omni difficultate loqui. *Magiſter artis.*) Neceſſitatem eam eſſe monſtrat ſibi, quæ & aues quoque doceat voces humanas loqui, & homines induſtrios reddat. Horatius. Et laris & fundi paupertas impulit audax, Vt verſus facerem. Virgilius. Labor omnia vincit Improbus, & duris vrgens in rebus egeſtas.

Artis.] Ars præceptio eſt quædam, qua ad aliquid ex ratione agendum inſtruimur. *Venter.*] Id eſt egeſtas, & rerum difficultas.

Negatas.] A natura ſcilicet. *Quod ſi doloſi ſpes refulſerit nummi.*] Cõfirmatio eſt ſuperioris rationis cur homines cum egeſtate laborent, ad ea ſe mirabili ſtudio accommodent, vnde appareat lucrum. Senſus eſt. ſi qua ſpes lucri apparuerit, credes non tantum homines, ſed & coruos poetas, & poetidas picas factas, ita docte cantabunt.

Doloſi.] Exitioſi. Virgilius. Quid non mortalia pectora cogis, Auri ſacra fames? *Refulſerit.*] Reſplenduerit, apparuerit. nitorem metalli reſpexit. *Coruos poetas.*] Coruus effingendo ſermone humano nulli cedit. nam auctore Macrobio redeunti Auguſto ex Acciaco bello cum ingenti gloria, quidam Romæ obuiam ſe illi cum coruo dedit, qui ad imperatorem ait. Aue imperator inuicte: quo delectatus Auguſtus viginti millibus nummum emit. huius exemplo alter excitus, ſimilem coruum edocuit: quem cum audiſſet Auguſtus, Talium inquit ſalutatorum ſatis domi habeo. Nobilitatus eſt & olim vt ſcribit Plinius funere publico conſtrato lecto duorum Æthiopum humeris, præcedente tibicine & corona omnium generum, latus vſque ad rogum, qui conſtructus eſt in dextra viæ Appiæ ad ſecundum lapidem in campo Ridiculi appellato. Hic erat qui Tyberium, deinde Germanicum & Druſum Cæſares nominatim, mox tranſeuntem Romanum populum ſalutabat. Martialis. Corue ſalutator, quare fellator haberis? *Poetidas.*] Formatio eſt per modum patronymicum vt maſculum poetam, mulierem poetidem appellauerit. *Melos.*] Cantum: melos priorem habet correptam. Lactantius. Fitque repercuſſo dulcior aula melo. ſed hoc loco geminauit vt ſcanſionis ſtet ratio, vt Virgilius. Reliquias Danaum. *Pegaſeium.*] Id eſt, tam dulce & ſuaue, quàm ſolent Muſæ, quibus fons Pegaſeius, id eſt, caballinus vt dictum eſt, in Helicone eſt conſecratus. Pegaſeium poſſeſſiuum eſt à Pegaſo, eo modo formatum quo apud Virgilium Priameius. Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo, Neque præpoſitio per addenda eſt.

verſus enim & ſenſus ſimul deprauarentur. non enim trochæum hoc carminis genus accipit. Illud addo auctore Plinio pennatos equos & cornibus armatos pegaſos vocari, quorum meminit ita Cicero in Oratione pro Publio Quintio. O hominem fortunatum qui eiuſmodi nuncios, ſeu Pegaſos habeat.

IN SATYRAM I.

O *curas hominum &c.*] Reprehenſurus hac Satyra varia poëtarum in componendis carminibus vitia, eos in primis Satyrica indignatione perſequitur, qui inani quadam carmina ſcribunt oſtentatione, vt inde populi laudem aucupentur, putantes quæ ſciant nihil omnino eſſe, niſi alijs eadem innoteſcant. Monet itaque poeta indecorum eſſe ad eum finem carmina ſcribi: nec vllo modo aſſentationes vulgi eſſe quærendas: & in dialogi pene morem introducit monitorem, qui & reſpondeat, & plerunque conſulat quid ſibi agendum ſit. Tota indignatio & fremitus in Neronem fertur, quem multis in locis notat vt ambitioſum. nam auctore Tranquillo declamauit ſæpius publice, recitauit & carmina non modo domi, ſed in theatro, tanta vniuerſorum lætitia, vt ob hanc recitationem ſupplicatio decreta ſit, atque pars carminum aureis literis Ioui Capitolino dicata. Præterea orationis, & carminis Latini coronam, de qua honeſtiſſimus quiſque contenderat, ipſorum conſenſu cōceſſam ſibi receperit. Cum igitur plauſu populari & laudibus alienis delectaretur, occulte à poeta notatur. vt locis ſuis dicemus. *O curas hominum.*]. principium factum eſt ab indignatione & riſu Satyrico. generalis enim eſt exclamatio, in ſuorum temporum poëtas: quòd fama tantum correpti carmina ſcriberent. Sed hoc Satyræ initium ingenti arte in ſe detorquet, vt quod in ſeipſo turpe oſtendit, in alijs licentius inſectetur. Hæ autem exclamationes, per nominatiuum, accuſatiuum & vocatiuum fieri ſolent, & ſine aliquo verborum adminiculo. Per nominatiuum hoc modo. O Romana militia. O mos antiquus. Per accuſatiuum, vt O fortunatam natam me conſule Romam. Per vocatiuum. O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinſit. *O quantum eſt in rebus inane.*] O quanta eſt in rebus humanis vanitas: cum omnes eo ſcribēdi ſtudio feramur, vt apud vulgus laudem quæramus.

Quis leget hæc.] Monitorem interrogat per quod apparet, ſe laudis cupiditate & famæ ſcribere, hincque exclamauit arguens turpe eſſe hæc ſibi quærere. *Min' tu iſtud ais.*] Verba monitoris.

Nemo Hercule.] Subaudi à ſuperiori leget. *Nemo.*] interrogatio indignantis & admirantis ſimul neminem futurum operis ſui lectorem. *Vel duo, vel.*] Verba monitoris qui duos vel tres tantum lecturos dicturus erat. Sed quaſi morum ſui temporis memoria reuocatus, tres ſuppreſſit omnique remota dubitatione dicit.

Nemo.] Affirmatque quod ante dixit. Nemo Hercule. Sicque inuidioſe notat tempora ſua, quibus neutiquam in precio poëtæ erant. Nemo ſic pronuncia, vt de re certa & manifeſta. *Turpe & miſerabile.*] Quòd nemo lecturus ſit. *Quare.*] Trahitur in admirationem & ſecum quærit poëta, cur cum aliorum, & maxime Accij Labeonis opera legantur, ſui carminis non ſit quiſquam futurus lector. *Ne mihi Polydamas.*] Per Polydamanta Neronem intelligit, in cuius inuidiam hoc ſcribit. Ilienſium enim adeo ſtudioſus fuit, vt ſcripſerit Troica, & plurimam partem vrbis Romanæ incenderit, vt ſimilitudinem ardentis Troiæ cerneret: in cuius incendio haloſim Ilij decantauit, id eſt captiuitatem, & eorum vt ſcribit Cornelius cauſa ſuſcepta, Claudio imperante. Romanum Troia demiſſum, & Iuliæ ſtirpis auctorem Æneam, aliaque haud procul à fabulis facunde executus perpetrarit, vt Ilienſes omni publico munere ſoluerentur. Et cum is carminum quoque ſtudia affectaret, eos in primis fouebat poetas, quorum opera de rebus Troianis conſtarent. qualia erant Accij Labeonis, qui carmine res Ilienſes proſecutus fuerat, vt alibi. non eſt hic Ilias Acci. Inde igitur Satyrice oſtendit principi præterito carminis ratione, ea tantum placere, quæ de Troianis ſint compoſita. hinc indignatur, hinc excandeſcit. Polydamas apte pro Nerone. Polydamantis viri Troiani miſcet perſonam, vt mirum eſſe non videatur, ſi viro Troiano res Troianæ placeant, cum ipſe princeps ſe originem à Troianis ducere affirmaret. Simulque ad illud alluſit quod ſcribit Homerus de Hectore, qui cum quadam nocte contra voluntatē Polydamantis vnius ex primoribus Vrbis, ſuos contra Achillem ducem Græcorum eduxiſſet, ab Achille ſuperatus eſt maxima Troianorum ſtrage facta. Quare Achilles in ſuperbiam elatus, ante portas Vrbis curru inuectus Troianis inſultabat, Hector pro portis aſtans cum eo congredi parabat. Verum pater & mater verentes, ne ſi cum illo congrederetur occumberet, multis precibus orabant, vt in Vrbem ſe reciperet. Hector parentum verbis minime mouebatur, quin Achillem ſuperbum in ſe properantem expectaret. Indignabundus tamen magno ſecum animo, Hei mihi, inquit, ſi intra muros me recipiam primus, me Polydamas arguet, qui

vt noſtros intra mœnia reducerem hac exitioſa, qua in nos Achilles inſurrexit nocte, conſulebat: Cui ego minime obſecutus ſum, quod ſatius profecto fuiſſet. Nunc cum temeritate mea populum amiſerim, Troianarum longas veſtes trahentium conſpectum reformido, ne quis imbecillior dicat, Hectorem ſuis viribus fretum Troianos prodidiſſe. *Ne.*] Certe. Virg. in xı. Tu næ etiam telis moriere Dianæ. Terent. Næ ego homo infelix. Nec aliter quam affirmatiue accipi debet. Nam ſtatim infert. non ſi quid turbida Roma eleuet. Hæc enim particula ſemper producitur, niſi cum interrogatiue pronunciantur. *Troiades.* Romani. qui in aſſentionem principis eadem laudabant, quæ ei grata eſſe cenſerent.

Labeonem.] Actius Labeo ideo Neroni gratus, quia Homerum imitatus, res Troianas carmine complexus eſt, vt ſupra diximus. Labeones à labiorum magnitudine autore Plinio ſunt appellati. Sicut Cæſares cæſones à cæſo matris vtero ſunt dicti. Pilumni qui pilum piſtrinis inuenerunt. Piſones à piſendo. Fabij, Lentuli, Cicerones ab eo quod ex eorum familijs aliquis optime legumina ſeuiſſet. Alius fuit Labeo prætorius iuris etiam peritus, qui memor libertatis in qua natus erat, multa contumaciter aduerſus Auguſtum dixiſſe & feciſſe dicitur. De quo Horat. Labeone inſanior inter Sanos dicatur. De hoc nequaquam intelligendum eſt. *Prætulerint.*] Præpoſuerint, temporis eſt futuri: ita pronunciandum eſt de re certa.

Nugæ.] Ad ſeipſum poëta loquitur, poteſtque hic locus interrogatiue & pronuntiatiue legi. Si cum interrogatione, hic ſenſus erit: putabis ne nugas fore, quare ſtatim vt eorum iudicium contemnens ſubdit. Non ſi quid turbida Roma: ſicque ſubaudies, erunt. Si autem pronuntiatiue legeris, ſubaudiendum erit ſunt, vt ſit ſenſus: pro nihilo habendum eſt, etiam ſi carmen meum non recipiatur, nec laudetur: quod indicant ſequentia. *Non ſiquid turbida Roma eleuet accedas.*] Duo fugienda eſſe monet: vnum, ne populi iudicium magni faciat, qui non ratione res colligit. vnde Horat. Iudice quo noſti populo qui ſtultus honorem Sæpe dat indignis, & famæ ſeruit ineptus: Qui ſtupet in titulis & imaginibus. alterum, ne alienam laudem quærat, quod homini turpiſſimum eſſe iudicat Horat. Neque te vt miretur turba, labores Contentus paucis lectoribus. *Accedas.*] Id eſt aures tuas non adhibeas, non cures, non plurimi facias, Accedimus enim & animo & corpore. vt ſi dicas, non accedo ſententiæ tuæ, id eſt, non adhæreo tanquam malæ.

Roma turbida.] Quæ non recto incedit iudicio, ſed ex animi libidine cuncta iudicatur ſit turbida, id eſt confuſi iudicij. *Eleuet.*] Diminuat. Tractum à re ponderoſa quæ vt par ſit eleuatur, id eſt diminuitur. Liu. lib. ııı. ab Vrbe condita. Miror, inquit, ſi vana veſtra

patres conſcripti auctoritas ad plebem eſt. Vos eleuatis eam: quippe quia plebs ſenatuſconſultum in continuandis magiſtratus ſoluit, ipſi quoque ſolutum vultis, ne temeritati multitudinis credatis. Tranquillus in Caligula. verſiculórumque fidem eadem hæc eleuant: & eo facilius quòd ſine auctore ſunt. Valerius. Adiecto verſu Græco qui fidem ſomniorum eleuat. *Examen ve improbum.*] Examen proprie eſt filum trutinæ, Verg. Iuppiter ipſe duas æquato examine lances Suſtinet. Hic vero metaphoricos pro iudició ponitur. quemadmodum enim examen rei ponderatioris nobis indicium facit: ſic fit vt in qualibet reprobo iudicio ſumatur. *Improbum.*] Quod ex animi libidine proficiſcitur, *In illa trutina.*] Cum contemptu legendum eſt.

In illa.] Quaſi quæ iniqua ſit. *Caſtiges.*] Senſus eſt. Noli iudicium Romanorum, quod nulla ratione ducitur, id eſt quod habent in ſua trutina iniuſtum, caſtigare. quaſi dicat paruifacias.

Trutina.] Statera, idem enim ſunt. Horat. Trutina poneris eadem. vnde trutinor, vt Perſius alibi. Trutinantur verba labello.

Nec te quæſieris extra.] Sententia eſt catholica, qua monet neminem oportere in rebus gerendis famam popularem captare, nec alieno viuere iudicio. Sed, vt ex Ciceronis philoſophia habetur, ſufficere debere ad gloriam benefacti conſcientiam. Vnde illud eſt apud Vergil. Pulcherrima primum Dij moreſque dabunt veſtri: tum cætera reddet Actutum pius Æneas. *Nec te quæſieris extra.*] Illud attendendum eſt, Perſium tanta indignatione vehi, vt præ ira ſermonem & ſenſum non abſoluat plerunque. Hic enim dicturus erat, nec te quæſiueris extra. quod alij faciunt: nam mox ſequitur. Nam Romæ eſt quis non. Senſus eſt igitur. Quid de te homines loquantur non curabis, non quæres quod ab alijs fere omnibus fit, vnde illud emergit, Et verum inquis amo: verum mihi dicito, de me Quis populi ſermo.

Nam Romæ eſt quis non.] Hæc omnia excipienda ſunt riſu, vt indignationem, quam in animo concepit poëta, ridendo oſtendat, ſequitur enim. Sed ſum petulanti ſplene cachinno. Et paulo inferius. Rides ait, & nimis vncis Naribus indulges. *Nam Romæ eſt quis non.*] Subaudi laudis & gloriæ cupidus. quis Romæ non ideo aliquid ſcribit, vt laudetur. Illud enim venerat in conſuetudinem vt ſcriptores laudes alienas quærerent. Vnde Iuuenalis: Librum ſi malus eſt nequeo laudare. Horat. Scribet mala carmina vecors Laudato. Ouidius in Arte amandi. Quid petitur ſacris niſi tantum fama poetis? Hoc votum noſtri ſumma laboris habet. *At ſi fas dicere.*] Tantum ſibi diſplicere mores poëtarum ſui temporis oſtendit, vt in eos multa & grauia diceret, niſi ſciret ſibi periculũ imminere, tum à Nerone, tum ab alijs Romanis. Quare infert. *At ſi fas dicere.*] Deeſt dicerem multa quidem, dubitat autem ſi non concedi, vt libertate Satyrica qua vſi ſunt

priores, dicat quæ ſentiat. Hoc autem eo riſu pronunciandum eſt quo animi indignatio oſtenditur. *Sed fas.*] Subaudi eſt, id eſt licitum eſt quidem dicere. Sed fas ita pronunciandum eſt, vt diu ſecum deliberaſſe videatur. *Tum cùm ad canitiem & noſtrũ iſtud viuere triſte Aſpexi.*] Hic locus continuatur vſque ad id : Scribimus incluſi: cuius ſenſus talis eſt. omnes quidem ſiue grauioris ſumus ætatis, ſiue exceſſimus à pueritia, ea ratione aliquid ſcribimus, vt à populo laudemur: vnde ſequitur. At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier hic eſt, Ordo eſt, Tunc ſcribimus incluſi, cum aſpexi ad canitiem.

Adſpexi ad canitiem.] id eſt, cum ſenes & iuuenes reſpicio & intueor. illud hoc loco addo auctore Plinio, canitiem homini tantum & equis dari. *Et noſtrum iſtud viuere triſte.*] Triſtem dicit vitam noſtram quia nimis ambitioſi ſumus, & de laude aliena ſolliciti. & ideo valde triſtem. *Et noſtrum iſtud viuere triſte.*] Sermo eſt figuratus, cũ infinito verbo ſit vſus pro appellatione. noſtram enim vitam vult intelligi: vtimur & pro participio. Vergil. Magnum dat ferre talentum, tanquam ferendum, & eſt imitatio Græcorum, qui cum gerundijs, gerundiniſque careant, eorum loco infinitiuo vtuntur. Iſtud cum contemptu pronunciandum, quia tantopere de gloria anxij ſumus.

Et nucibus facimus quæcunque relictis.] Ætatem puerilem deſignat, quæ nucibus delectatur. Martialis, Iam triſtis nucibus puer relictis, Clamoſo reuocatur à magiſtro. Et alibi. Alea parua, nuces & non damnoſa videtur: Sæpe tamen pueris abſtulit iſta nates. Horatius. Poſtquam te talos Aule, nuceſque Ferre ſinu laxo, donare & ludere vidi. *Facimus quæcunque.*] Liberiore licentia viuimus præterita pueritia, id eſt, poſtquam ad adoleſcentiam peruentum eſt. Terent. in Andria. Poſtquam exceſſit ex ephœbis, liberior fuit viuendi poteſtas.

Cum ſapimus patruos.] Sumus patruis ſapientia pares. pueri enim in cuſtodiam & diſciplinam patruis dabantur. Horatius. Siue ego patrue, ſeu recte hoc volui, ne ſis patruus mihi. *Tunc, tunc.*] Geminatum eſt aduerbium quod coniungitur vt dictum eſt cum ſcribimus, vt Virgilius. Nunc nunc ô liceat crudelem abrumpere vitam, vt ſit tunc tunc: tunc inquam ſcribimus. *Ignoſcite.*] Illud ſpectat, ſed fas, id eſt, ſi vos fortaſſe offendero dum dico quod ſentio ignoſcite. Hoc verbo ignoſcite callide oſtendit rem turpem eſſe de qua dicturus ſit, & riſu Satyrico omnia proferenda & venuſta capitis agitatione pronuncianda. *Nolo.*] Subaudi dicere, dubitat, an dicat. Ad illud refertur, ac ſi fas dicere. *Quid faciam.*] Quaſi dicat, quid proderit dixiſſe cum iam omnes perdita laborent ambitione. *Sed ſum petulanti ſplene cachinno.*] Sed particula eſt aduerſatiua: quæ ita, ſuperioribus aduerſatur vt quamuis ſatius eſſet tacere cũ nihil loquendo proficiat, tamen oſtendat ſe tacere non poſſe, cum à natura profuſus ſit in riſum.

Cachinno.]

Cachinno.] Is eſt qui immoderate ridet. *Petulanti.*] Procaci, à petendo: vnde dicimus hominem petulantem, qui hunc & illum abſq; pudore petit. *Splene.*] Scribit Plinius in ſplene peculiare curſus impedimentum eſſe, & idcirco per vulnus etiam exempto viuere animalia. Opinionem etiam eſſe adimi riſum ſimul homini, intemperantiamque ioci conſtare lienis magnitudine. Splen Græce, lien dicitur Latine, à quibus ſplenetici & lienoſi. nec ij imperiti audiendi ſunt qui lienem inteſtinum exponunt, quo egeruntur ſordes alui.

Scribimus incluſi.] Strepitum fugientes. Iuuenalis. Qui facis in parua ſublimia carmina cella. *Numeros ille.*] id eſt, verſus qui pedum numeris conſtant. *Pede liber.*] A metri lege ſolutus. *Grande aliquid.*] Ironia eſt, id eſt, orationem tumidam, inflatam. *Anhelet.*] Proferat vehementi ſpiritu. *Pulmo prælargus animæ.*] Abundans ſpiritus. Nam vt ſcribit Plinius ſub corde eſt pulmo, ſpirandique officina attrahens ac reddens animam: idcirco ſpongioſus ac fiſtulis inanibus cauus. *Scilicet hæc populo.*] Hinc omnis pendet indignatio poëtæ, quod carmina ad laudem populi conſequendam ſcribant. *Scilicet.*] Cum ironia infertur ſcilicet. Terentius. Id populus curat ſcilicet. *Pexuſque, togaque recenti.*] Irriſio eſt in eos qui opera ſua recitantes, & carminis laſciuia, & cultu corporis fauorem populi quærunt. *Toga recenti*] Noua. *Natalitia ſardonyche.*] Quæ die natali dono miſſa fuit: nam natalem diem celebrantibus dona ab amicis mitti ſolebant Martialis de natali Reſtituti. Certent muneribus beatiores, Agrippæ tumidus negociator Cadmi municipes ferat lacernas: Pugnorum reus ebriæque noctis Cœnatoria mittat aduocato. Infamata virum puella vicit, Veros Sardonychas ſed ipſa tradat. *Sardonyche.*] Onyx gemma eſt, cui nomen eſt coniunctum cum Sarda alio lapide. Nam vt Sudines dicit auctore Plinio, onychi candor eſt in vnguis humani ſimilitudinem: item Chryſoliti & iaſpidis & ſardæ, vnde nominis ſocietas oritur. Sardonychem Ptolemæus à Sardonyche monte Indię deriuari ſcribit, ea vſus eſt primus ſuperior Africanus: auctor eſt Plinius. Virili genere protulit Iuuenalis. In manibus denſi radiãt teſtudine tota Sardonyches. Tandem ſignum eſt tarditatis: dictum in exprobrationem nimij cultus, quem turpem eſſe in homine oſtendit Ouidius dicens. Sint procul à nobis iuuenes vt fœmina compti? Fine coli modico forma virilis amat. *Albus.*] Mundus, politus: ſic enim ſperat ſe populi fauorem promereri poſſe, aut (quod magis placet Porphyrioni) pallidus. *Sede celſa.*] Eminenti cathedra. *Liquido cum plaſmate.*] Irridet id vitium, quod frequens erat apud recitantes: nam vt voce molliore pronunciarent, plaſmate vtebantur. vnde Fabius Quintilianus ita eos ſugillat. Lectio ſit virilis & cum ſuauitate quadam grauis: non tamen in canticum diſſoluta: nec plaſmate vt nunc à pleriſq;

fit, effœminata. Plaſma genus eſſe potionis oſtendit Cato, cum ait de plaſmatis bibendis: vnde bene poëta dixit liquido, id eſt, non ſpiſſo: ſed diluto. eo vox commendatur: à plaſſo venit quod eſt fingo & compono. *Guttur.*) Accipitur pro ea parte quæ eſt à faucibus ad iugulum, vnde Plinius. Guttur homini tantum & ſuibus intumeſcit, aquarum quæ potantur plerunque vitio: gula vero ea fiſtula appellatur qua cibus atque potus deuoratur: conſtátque neruo & carne: hæc tamen ab auctoribus confunduntur. *Colluerit.*) Bibendo lauerit. *Fractus.*) In laſciuia profuſus dum impudica carmina recitat. *Patrenti.*) Libidinanti, quaſi rem carmina recitando perficiat. Patrare enim eſt aliquid turpiter committere, vt ille homicidium patrauit ergo patranti trementi, & libidinoſe ſe agenti. quod libido efficere ſolet, vt Iuue. oculoſque in fine trementes. *Ocello.*) Satyrice hominis laſciui ocellum appellauit. *Hic neque more probo.*) Auditorum impudentiam notat, qui turpi geſtu, & illiberali motu corporis recitantes ſubſequuntur. Hincque oſtendit in ſcenis laſciua carmina recitari conſueuiſſe, quod vt turpiſſimum notat Perſius. Quare non debita laude fraudandi ſunt Maſſilienſes qui in ſcenam (vt Valerius tradit) nullum aditum mimis dederunt, quod eorum argumenta maiore ex parte ſtuprorum continent actus: ne talia ſpectandi conſuetudo etiam imitandi licentiam ſumeret. *Hic.*) Aut hic pro tunc, aut hic pro illic, ſcilicet in auditorio. *Neque more probo.*) Sed laſciuo geſtu. *Voce ſerena.*) Nec clara voce. ſed tremula & fœminea, quod libido ſolet efficere. *Trepidare.*) Quodam libidinis titillatu moueri & plaudere recitanti, cum tam laſciue pronunciet carmina. *Ingentes Titos.*) Ironia eſt .i. Romanos principes magnæ auctoritatis & vrbis tutores. Romanorum enim eſt prænomen Titus à tuendo. vnde & tituli milites appellabantur, quaſi tutuli, quod patriam tuerentur. *Cum carmina lumbum intrant.*) id eſt, recipiuntur lumbis, vbi ſedes eſt Veneris & omnis libidinis excitatio. Scalpuntur, titillantur. *Tremulo verſu.*) Voce tremula pronunciata à poëta. *Tun vetule auriculis.*) Hoc pendet ex eo quod ſupra dixit. Tunc cum ad canitiem. reprehendit enim eos qui extrema ætate gloriam & laudem quærunt ſcriptis ſuis. Tun vetule, geſtu excandeſcentis & irati pronuncia, & eo vultu quo delinquentes coram corripimus. Vetule nomen eſt conuicij. Nam plerunque vetus infertur ad laudem, interdum ad vituperationem, vt hic, quaſi carioſe, rancide. ſic Terentius. Sed qui maliuoli veteris poëtæ maledictis reſpondeat. *Colligis eſcas auriculis alienis.*) i. carmina ſcribis vt eorum delectatione aures vulgi paſcantur, & inde te laudent. *Auriculis.*) Repetitio eſt facta ad maiorem indignationem. Teren. in Andria olim iſtuc, olim cum ita animum induxti tuum. *Quibus & dicas cute perditus ohe.*) Irriſio eſt qua oſtendit quàm turpe ſit ſeipſum

oſtentare. *Cute perditus.)* Ita quidem ſenex vt iam cutem amiſeris quod in ſenibus accidit. vnde Iuuenalis de ſene. Deformem pro cute pellem. *Ohe.)* Vox bacchantium eſt, vt illud Horatij. Quo me Bacche rapis tui plenum? Ohe recenti mens trepidat metu. Donatus tamen ad ſatietatem ſignificari docet, vt Iuuenalis. Satur eſt cum dicit Horatius ohe. *Quid didiciſſe.)* Hoc pendet ex eo. O quantum eſt in rebus inane. Nam ambitionem eorum irridet qui ideo virtutem colunt vt famam & gloriã aſſequantur. Vnde erũpit illud Iuuenalis. Tanto maior famæ ſitis eſt quàm virtutis. quis enim virtutem amplectitur ipsã præmia ſi tollas. Ouidius in Arte amãdi. Quid petitur ſacris niſi tantũ fama poëtis? Hoc votum noſtri ſumma laboris habet. *Quid didiciſſe.)* Eclypſis eſt. ſubaudi aut prodeſt aut iuuat, vel aliquid tale.

Niſi hoc fermentum & quæ ſemel intus, Innata eſt rupto iecore exierit caprificus.) id eſt niſi hæc tua ſcientia quæ pectore tuo vix præ tumore contineri poteſt, oſtenſa fuerit. Fermentũ: apte fermento ſcientiam oſtentatoris cõparauit. Nam quemadmodũ fermentũ, quod à feruendo eſt dictum, farina inuolutũ ſuo feruore erũpit & tumore: ita etiam ſcientia in oſtentatoris pectore incluſa erũpere omnino cupit nec cœrceri poteſt. *Intus.)* In altitudine pectoris. *Exierit.]* Patefacta fuerit & diuulgata. *Caprificus.)* Ex ſylueſtri genere ficus eſt, nunquã (auctore Plinio) matureſcens: è muris maxime erumpit. Martialis. Marmora Meſſalæ findit caprificus. Iuuenalis. Ad quæ diſcutienda valent ſterilis mala robora fici. *Rupto iecore.)* Perſtat in metaphora, id eſt patefacto pectore. Iecur noſtrũ eſt: hepar vero Græcum. *En pallor ſeniumq́.)* Ironia eſt. quaſi dicat, & cur nõ oſtentet ſcientiã ſuã cum ex nimio ſtudio & pallorẽ contraxerit, & ſenio ſit confectus. *O mores.)* Exclamatio eſt cũ indignatione in ambitioſum oſtentatorẽ, cũ vnuſquiſq; conſcientia benefacti contentus eſſe deberet. *Scire tuum.)* Hunc verſum allegat Quintilia. lib. ix. dicens in eo figuram eſſe quam regreſſionem appellat, quod ſæpius idem verbum repetatur.

At pulchrum eſt digito monſtrari.) Hinc emergit omnis indignatio poëtæ: ironia eſt. Martialis. Sed toto legor orbe frequens, & dicitur hic eſt. Et idem alibi. Rumpitur inuidia, quòd turba ſemper in omni Monſtramur digito. *Ten cirratorum centum dictata fuiſſe Pro nihilo pendas.)* Id eſt pro nihilo putes, quòd in ſcholis magiſtri pueris dictata præbuerunt ex libris tuis. Nã dictata ſunt quæ magiſtri pueris præbent imitãda. Nec ea tantũ in literis, ſed in alijs quoq; artibus appellamus. Aſconius his verbis ſcribit. Ergo libellũ veterem vult intelligi attuliſſe Cæcilium, vnde magiſtri dictata pueris præbuere conſueuerunt. Suetonius. Tyrones per equites Romands ac etiã per ſenatores armorũ peritos erudiebat, precibus enitẽs, vt diſciplinã ſingulorũ ſuſciperẽt, ipſiq; dictata exercentib. darẽt. Iuuenalis. Donec peragat

dictata magiſtri. Horatius. Sic iterat voces & verba cadētia tollit, Vt puerum ſæuo credas dictata magiſtro Reddere. Deriuatū eſt à dicto. Nam dictare eſt enunciare quod alius excipiat & notet. Ten' pro tene ordo eſt, pro nihilo pendas te fuiſſe dictata centum cirratorum, id eſt, ex libris tuis magiſtros dictata centum pueris præbuiſſe. Horatius in eos ita inſurgit. An tua demens, Vilibus in ludis dictari carmina malis? *Centum cirratorum.*] id eſt puerorum: quæ ætas capillis gaudet. Nam cirri dicuntur capilli cincti & torti. Martialis. caput nudum Cirris grandibus hinc & inde cingunt. Idem alibi. Nec matutini cirrata caterua magiſtri. Iuuenalis, Flauam Cæſariem, & madido torquentem cornua cirro. Carnes etiam oſtreorum cirri dicuntur. Martialis; Et oſtreorum rapere liuidos cirros. *Ecce inter pocula quærunt Romulidæ ſaturi.*] Satyrico riſu in eos inuehitur qui epulis repleti inter ipſa pocula de ſcriptis alienis diſputant, cum verum iudicium tunc ferri non poſſit. vnde Horatius. Diſcite non inter lances, menſáſque nitentes, Cum ſtupet inſanis acies fulgoribus, & cum Accliuis falſis animus meliora recuſet: Verum hic impranſi mecum diſquirite. Et paulò infra. Male verùm examinat omnis Corruptus iudex. Quaſi dicat rectū iudicium ferri non poſſe, cum crapulatus fueris. Hocque inuidioſe in Neronem dicit, qui vt auctor eſt Cornelius Tacitus, etiam doctoribus ſapientiæ impertiebat poſt epulas. Ecce, incipientis eſt, demonſtrantiſque rem nouam & inauditam. cum indignatione & animi impatientia dictum eſt ecce. *Inter pocula.*] Hinc exit indignatio & ardore pöëtæ. *Romulidæ.*] Romani. ironice, id eſt, non Romulo ſimiles, qui ſumma cum ſobrietate ad res gerendas deſcendebat. Quod docet. L. Piſo Frugi. Qui cum ad cœnam vocatum ait non multum bibiſſe, quia poſtridie negocium haberet. *Saturi.*] poſt epulas ſcilicet. *Quid dia poemata narrent.*] Id eſt ſcribant & tractent. *Hic.*] id eſt in conuiuio. *Cui circa humeros & Ianthina læna eſt.*] A qualitate veſtis diuitem deſignat & nobilem. de ipſo Nerone puto intelligi cum reliqui conuiuæ in eius gratiam & aſſentionem qualiacunque pronunciaret carmina laudarent. Nam illum conſtat carminis ſtudioſum fuiſſe, & ſæpe priuatim & publice, vt diximus, carmina decantaſſe. *Læna.*] Veſtimenti genus habitus duplicis, quod ita appellatum exiſtimant Tuſce: quidam Græce chlamyda. auctor eſt Feſtus. Vergilius loquens de Mercurio. Tyrioque ardebat murice læna, Demiſſa ex humeris. *Ianthina.*] Id eſt coloris violacei. Ion enim viola anthos flos. Nam vt ſcribit Plinius: ex violis, quarum plura ſunt genera, Purpureæ, luteæ, albæ. quæ ſponte apricis & macris locis proueniunt. Purpureæ latiore folio ſtatim ab radice carnoſa exeunt ſolæque Græco nomine à cæteris diſcernuntur ianthes appellatæ, ita ab his ianthina veſtis: licet apud Plinium legatur hyacinthina veſtis, &

paulo inferius hyacinthinum deprauato textu. A viola ergo quæ ianthis appellatur, ianthina eſt veſtis. Luxuria enim auctore Plinio, veſtibus quoque prouocauit eos flores qui colore commendantur. Hos ait tres eſſe principales. Vnum in cocco qui in roſis micat. quo nihil gratius traditur aſpectu, & hic in purpuras Tyrias, dibaphaſque aut Laconicas: Alium amethſtyon qui viola,& ipſe in purpureum; quenque ianthinum appellant. legendum itaque erit. Cui circa humeros & ianthina læna, vt interſeratur hæc particula,&: nam aliter verſus non ſtaret: corripitur enim prima ſyllaba in ianthina. Martialis. Coccina famoſæ donas & ianthina mœchæ. Hincque apparet magni precij fuiſſe eam veſtem, cum Martialis oſtendat, tale munus non conuenire meretrici.& hæc particula,&,ad indignationem poſita eſt: vt illud. Et quiſquam numen Iunonis adoret? *Rancidulum quiddam.*] Putridum, & inſipidum, ſumpta tranſlatione à carnibus rancidis. vnde Horatius, Rancidum aprum antiqui laudabant. *Balba de nare locutus.*] Hinc indignantur: quòd pronunciatione malos verſus & aliena ſcripta iuuare conatur. Balba nare: balbutienti. *Phyllidas.*] Fabulam Phyllidis. *Phyllidas Hypſipylas.*] Numero plurali Satyrice dixit: quaſi quæ à multis ſcriptæ eſſent. Phyllis regina Thracum fuit, quæ Demophoontem Theſei filium regem Athenienſem redeuntem de Troiano prælio dilexit, & in coniugium ſuum rogauit. Ille ait ſe ante ordinaturum rem ſuam, & ſic ad eius nuptias reuerſurum. Profectus itaque cum tardaret, Phyllis & amoris impatientia, & doloris impulſu, quia ſe ſpretam credebat, laqueo vitam finiuit, & conuerſa eſt in arborem amygdalum ſine folijs: poſtea reuerſus Demophoon cognita re, illius amplexus eſt truncum, qui velut ſponſi ſentiret aduentum, folia emiſit. de hac Ouidius, & multi alij ſcripſerunt.
Hypſipillas.] Hypſipyle Thoantis filia temporibus Argo nautarum à mulieribus Lemni regina conſtituta fuit eiectis maribus: nam cum Vulcanus Veneris cum Marte adulterium deprehendiſſet, in Lemno, vt ſcribit Statius, Lemniades tanto Venerem contemptui habere cœperunt, vt cum omnibus dijs ſacrificarent, illam omnino ſine honore omitterent. Quæ illis irata, omnibus fœtorem hircinum immiſit. ob quod à viris euntibus in bellum aduerſus Thraces ſpretæ, communi omnium conſenſu viros è bello reuerſos interemerunt omnes præter Hypſipylem, quæ patrem Thoantem ſeruauit, eumque naui impoſuit, quem proſpera nauigatione Bacchus eius pater in Coum inſulam perduxit. Hypſipyle ſtructo rogo in propria regia, alterius ſuppoſiti funera pro patre quem ſe occidiſſe aiebat celebrauit. Mox cum Argonautæ Colchos proficiſcentes eo perueniſſent, ab ijs fœminis hoſpitio ac lecto ſuſcepti ſunt. Hanc Hypſipylen Iaſon cum biennium cum ea commoratus eſſet, hortantibus tandem ſocijs pro diſceſſu gra-

uidam reliquit, quæ gemellos peperit Thoantem ſcilicet & Euneum quos deinde mater extra inſulam alendos miſit ne contra legem maſculi domi nutrirentur. Seruatum igitur Thoantem ab Hypſipyle cum Lemniades cognoſcerent, eam vt perfidam ad cruciatum popoſcerũt: at ea fugiens, à piratis in littore capta, & Lycurgo regi Nemeæ dono data fuit. In cuius ſeruitio dum filium eius Opheltem qui poſtea Archemorus eſt dictus, nutrix aleret, & redeuntibus ab obſidione Thebarum regibus Argiuis, ac in Nemea ſylua ſiti pene pereuntibus, aquã indicaret, ſuoſq; interrogata caſus exponeret, à filijs qui cum Adraſto erant, cognita fuit. in quorum amplexibus dum moratur, infans quẽ inter flores & herbas ludentem liquerat, à ſerpente necatus eſt. Quod Lycurgus pueri pater ſentiens mulieri necem parabat, ſed à regibus & filijs ſeruata eſt. *Vatum & plorabile ſi quid.*) Deeſt, eſt, vt ſit, Et ſi quid eſt plorabile vatum, id eſt ſi quid aliud poëtæ flebile ſcripſerunt ijs ſimile, id eſt elegiã quæ carmen miſerabile ſignificat. vt Ouidius: elegi flebile carmen. *Eliquat.*) Id eſt, cum vocis lenocinio pronunciat. tractum ab ijs quæ igni aut calore aliquo liquari ſolent. *Supplantat.*) Supprimit, id eſt non apta voce effundit, ſed quaſi voce ſtrangulata pronunciat, quo lenius & ſuauius eſſe videatur. *Tenero palato.*) Aut ironia eſt, id eſt palato delicato, aut epitheton. *Aſſenſere viri.*) Ironia eſt, & riſu pronũcianda quæ ſequuntur. *Viri.*) Ironicos quaſi mulieres. *Aſſenſere.*) Probauere. qui dixerunt *Nunc non cinis ille poëta felix.*) Verba laudantium ſcripta aliena, ironia eſt poëtæ. *Non leuior cippus nunc imprimit oſſa.*) Id eſt certe. ita bene dixit poëta, vt eius oſſa deorũ beneficio lapide ſepulchri non vrgeãtur talia enim mortuis ſolent optari. Ouid. Oſſa quieta precor tuta requieſcite in vrna. Et ſit humus cineri non oneroſa tuo. Iuuenalis, Dij maiorum vmbris tenuẽ & ſine pondere terram, Spiranteſq; crocos & in vrna perpetuum ver. Martialis, Sit tibi terra leuis, molliq; tegaris arena. Tibullus vero contra. O tu qui Venerem docuiſti vendere primus, Quiſquis es, infelix vrgeat oſſa lapis. *Cippus.*) Sepulchrũ. Horatius, Mille pedes in frõte trecentos cippus in agrum Hic dabit. *Laudent conuiuæ.*) Irriſio eſt in laudãtes qui in aſſentionẽ principis ita laudant carmina ab eo recitata. *Nunc non è manibus illis.*) Laudantium verba. *Manibus.*) Manes antiqui animas inferorũ dixerunt. Manes tamen dij ab auguribus vocabantur, quòd per eos omnia manare credebant, eoſque deos ſuperos atque inferos dicebant. auctor eſt Feſtus. *Fortunataq; fauilla.*) Morẽ antiquorum reſpexit: apud quos corpora mortuorum cremabantur. licet apud Romanos veteris non fuerit inſtituti, qui terra condebantur At poſtquàm vt ſcripſit Plinius, longinquis bellis obrutos erui cognouere, tunc inſtitutum, tamen multifarie priſcos ſeruauere ritus: ſicut in Cornelia domo nemo ante Syllam dictatorẽ traditur eſſe crematus,

Idq; cũm voluiſſe, veritũ talionẽ, eruto C. Marii cadauere. *Rides ait.)* Verba monitoris introducti ab ipſo Perſio. *Vncis naribus indulges.)* Ridẽdo enim nares in rugas cõtrahũtur. Mart. Et pueri nasũ rhinocerotis habent. Horatius, Acutis Naribus horũ hominũ rideri poſſit. Et alibi Perſius. Ingeminat tremulos naſo criſpante cachinnos. Nares à gnaritate ideo dictæ ſunt, quia in odoratu doceãt præſto & prope eſſe quod adhuc oculi nõ vident. *An erit qui velle recuſet os populi meruiſſe)* Id eſt inuenietur ne quiſpiã, qui plauſum populi & laudes cum ex merito veniant contẽnat? *Os populi)* Id eſt laudem. *Cedro digna)* Id eſt quæ perpetuo ſeruentur. illi enim tãta vis eſt, & pręcipue quæ in Syria naſcitur, vt in Ægypto corpora hominũ defunctorũ perfuſa eius liquore qui ex ligno modo aquæ fluit, ad multa ſecula ſeruentur. libri auctore Victruuio oleo cedrino tincti non timent tineas, nec cariem. Et Hemina in Annalibus ſcriptum reliquit, libros Numæ repertos à Cneo Terentio ſub Ianiculo, non fuiſſe comſumptos: quamuis annis quingentis triginta quinq; infoſſos, quoniam cedrati eſſent. Martialis, Quæ cedro decorata purpuraq, Nigris pagina creuit vmbilicis. Idẽ alibi. Cedro licet ambules perunctus. Orat. Speramus carmina fingi Poſſe linenda cedro. Ouidius, Nec titulus minio, nec cedro charta notetur. *Scombros metuentia.)* Papyraceis cucullis ſalſamenta vendebantur. Martialis, Nec ronchos metues malignorum: Nec Scombris tunicas dabis moleſtas. Scombrus piſcis, ex quo laudatiſſimum fiebat garum: hoc ſalſamenti genus eſt. Martialis, Expirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo Accipe faſtorum munera cara Garum. Hinc dicta eſt Herculis inſula ad Carthaginem ſpectans à ſcombrorum multitudine captorum Scombria. auctor eſt Strabo. *Nec thus)* In Arabia colligitur in Sabota monte excelſo, regione Saba. Saba vero myſterium ſignificat, vt Græci interpretantur. Vergilius, India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Quiſquis es o mo.) Monitori introducto reſpondet Perſius. *Non ego cum ſcribo, ſi forte quid aptius exit laudari metuam.)* Hoc ad illud refertur. An erit qui velle recuſet Os populi meruiſſe? Senſus eſt. Non nego, inquit, ſi quid recte à me ſcriptum fuerit, mihi quoq; placere laudes populi. *Quando hæc rara auis)* Verecunde ſuas extenuat vires ſumpta eſt tranſlatio ex phœnice, quem vnum in toto orbe tradunt aquilæ magnitudinę, auri fulgore circa colla: cętera purpureum, cæruleã roſeis caudã pennis diſtinguentibus, criſtis faciẽ caputq; plumeo apice honeſtare. Sacrũ in Arabia ſoli eſſe, viuere annis ſexcẽtis ſexaginta prodidit Manilius ſenator ille maximus, nobilis doctrinis doctore nullo. Seneſcentẽ caſia turiſq; ſurculis cõſtruere nidũ, replere odoribus & ſuper emori, ex oſſibus deinde ac medullis naſci primo ceu vermiculũ, deinde fieri pullũ. Corn. Valer. phœnicẽ deuolaſſe in Ægyptũ tradit,

allatúmque eſſe in vrbem Claudij principis cenſura,& in comitio poſitum: quæ omnia vt fabuloſa ſcribit Plinius Ouidius. Et viuax phœnix vnica ſemper auis. *Fibra.)* Pectus. Fibra extremum dicitur iecoris & cuiuſque fere viſceris: Antiqui fibrum dicebant extremum, vnde in ſagis fimbriæ dicuntur in portis & in arboribus. *Cornea.)* Dura, vt laudis dulcedine non moueatur: corneum, & à corno & à cornu deduci poteſt. à corno Virg. Cornea bina ferunt præfixo haſtilia ferro. A cornu Plinius. Pro labris cornea & acuta volucribus roſtra. *Sed recti finémque extremúmque eſſe recuſo. Euge tuum & belle.)* Hoc pendet ex ſtomacho ſuperiorum carminum. Quid didiciſſe? niſi hoc fermentum & quæ ſemel intus Innata eſt rupto iecore exierit caprificus Senſus enim eſt. Recula laudem eſſe eam propter quam rectum ſit colendum. quia ſublata laude ſequeretur virtutes non eſſe colendas. dicit igitur ſe recuſare laudem eam eſſe ad cuius finem ſummum rectũ ſit colendum. nam per ſe virtus eſt colenda. Vnde exclamat Iuuenalis. Tanto maior famæ ſitis eſt quàm Virtutis. quis enim virtutem amplectitur ipſam Præmia ſi tollas? Ordo eſt, Recuſo euge & tuum belle eſſe finem & extremum recti. *Recuſo euge & tuum belle.)* .i. laudes & adulationes quib. hoc modo recitantibus applaudis, eſſe finem extremum recti .i. laudes & adulationes quib. hoc modo recitantibus applaudis, eſſe finem extremum recti .i. eſſe eas ad quarum finem rectum .i. virtus colatur. *Finem extremum.)* Exaggeratio eſt, idem enim ſonant. Nam belle hoc excute totum. Quid non intus habet, hoc dicit. Si bene has laudes inſpexeris, eas adulationum & irriſionum inuenias plenas: nec ex vero proficiſci iudicio. hinc eſt indignatio poëtæ.

Belle hoc.) id eſt hanc laudem qua recitantes excipiuntur ab auditoribus. *Excute.)* Euolue. inſpice. tractum à veſtibus ex quibus puluis excuti ſolet *Quid non intus habet.)* Scilicet adulationis & irriſionis. vnde ſequitur exclamatio poetæ O Iane à tergo quem nulla ciconia pinſit. monet que laudibus credendum non eſſe, cum eæ ex aſſentatione magis & irriſione proficiſcantur. *Non eſt hic Ilias Acci.)* Auferte, inquit, iſtas veſtras laudes quæ irriſionis plenæ ſunt. nam non ſum ego Labeoni & proceribus ſimilis, qui etſi male ſcribant, laudis tamen tam cupidi ſunt, vt laudatores cœnis conducant: ſicque ſua tempora notat. *Non eſt hic Ilias Acci.)* id eſt, hic liber meus non eſt Ilias Accij Labeonis, de quo ſupra dictum, qui laudem quærat.

Ebria veratro.) Ironia eſt, id eſt, plena veratri, id eſt hellebori, quod vt melius ſcriberet ſæpius ſumpſerat. Id enim potabatur ad aciem ingenij purgandam: idcirco Carneades Academicus, vt ſcribit Gellius, reſponſurus libris ſtoici Zenonis, helleborum candidum ſumpſit, ſumebatur autem tutiſſime in Anticyra inſula. Ouidius. I bibe dixiſſem purgantes pectora ſuccos, Quicquid & in tota naſcitur Anticyra.

Quare eo vt ſcribit Plinius, Liuius Druſus nauigauit, cum morbo comitiali laboraret, ſumptóque helleboro liberatus eſt. Id humores noxios & inſaniem hominis emendat, neque hyeme, neque æſtate recedatur: optime vere, tolerabiliter autumno. auctor eſt Celſus.

Non ſi qua elegidia crudi dictarunt proceres.] Id eſt, non ego ſimilis ſum diuitibus & primoribus, qui ſiue elegias, ſiue quid aliud ſcribentes laudem cœnis & muneribus venantur. *Elegidia.*] Elegidium diminutiuum eſt Græcum ab elegia. inuidioſe & Satyrice diminutiuo vſus eſt, vt oſtendat etiam in minima re quoſdam laudem quærere. In elegis claruerunt apud Græcos Callimachus, Philetas, Alexander Ætolus, Antimachus, Calinus, Mimmermus, Tyrteus Lacedæmonius. apud Latinos vero Tibullus qui auctore Fabio terſus atque elegans auctor eſt talis carminis, Propertius, Ouidius, Gallus, Caluus, Catullus. Inſtituti elegi primum deflendo deſiderio mortuorum, mox ad amores traducti: ſed nomen tamen retinuerunt à miſerabili cantu, quo olim mortuos deplorabant. nam eleo idem eſt quod miſereor.

Crudi.] Quod corporis eſt ad animum tranſtulit. crudi enim dicuntur cibi non cocti, & qui non facile cibos concoquunt. Ergo crudi, id eſt, non coctæ nec perfectæ ſcientiæ. *Proceres.*] Primores & principes vrbis, dicti quod emineant in ea ſicut in ædificiis mutili. hoc eſt capita trabium quæ proceres dicuntur. Neronem notat qui iuuenis carmina elegiaca ſcripſit, vt oſtendit Martialis. Ipſe tuas etiam veritus Nero dicitur aures, Laſciuum iuuenis cum tibi luſit opus.

Dictarunt proceres.] Dictare vt dictum eſt, eſt enunciare quod alius excipiat: vnde dictata. *In lectis citreis.*] Id eſt, Diſcubitoriis. Nam antiqui in lectis diſcumbebant. Horatius. Sæpe tribus videas lectis cœnare quaternos. Iuuenalis. Tertia ne vacuo ceſſaret culcitra lecto. Terentius. Lectulos in ſole ligneis pedibus faciundos dedit, vbi potetis vos. Virgilius. Aulæis iam ſe regina ſuperbis, Aurea compoſuit ſponda. Eoſdem toros appellarunt. Martialis. Imperat extructos ſoluere nona toros. Virgilius. Inde toro pater Æneas ſic orſus ab alto, id eſt, lecto diſcubitorio: contra eos qui toros pro ſellis exponunt, cum nuſquam hoc inueniatur. Hoc ideo de lectis ſtudioſius ſcripſi, vt imperitiores hoc loco lectos diſcubitorios intelligant, non autem vbi dormirent: nam cœnantes plerunque (tanto enim ſcribendi ſtudio tenebantur) carmina dictabant. Horatius. Mutauit mentem populus leuis, & calet vno Scribendi ſtudio puerique patréſque ſeueri, Fronde comas vincti cœnant, & carmina dictant. *Lectis citreis.*] Hominem diuitem deſignat. Atlas Mauritaniæ mons citrum arborem producit: vnde menſæ citreæ fiebant tanta taxatione, vt harum ſumptus fœminæ viris exprobrarent, cum ipſis margaritarum luxus exprobaretur. Eæ præcipue laudabantur quæ vndatim pauonum caudæ

D

oculos imitabantur: tanto auro rependebantur. Martialis. Accipe felices atlantica munera ſyluas: Aurea qui dederit dona, minora dabit. Et tricliniorum lecti diſcubitiorij his tabulis operti pauonini dicebantur. Martialis. Nomina dat ſpondæ pictis pulcherrima pennis, Nunc Iunonis auis, ſed prius Argus erat. *Calidum ſcis ponere ſumen.*] Hinc excandeſcit poëta, quòd laudatores cœnis & muneribus conducat. Horatius. Non ego ventoſæ plebis ſuffragia venor, Impenſis cœnarum & tritæ munere veſtis. Non ego nobilium ſcriptorum auditor. Martialis, Quod tam grande ſophos clamat tibi turba togata, Non tu Pomponi, cœna diſerta tua eſt. Sumen ex papillis porcæ lactantis fit, vt placet Plinio, idque optimum ex porca primipera, potiuſque vetere quam nouella, ſi modo fœtus non hauſerit. Martialis. Eſſe putes nondum ſumen ſic vbere largo Effluit, & viuo lacte papilla tumet.

Et verum inquis amo, verum mihi dicito.] Qui ſcribebant, quamuis muneribus & cœnis laudatores conducerent, tamen aſſentationes odiſſe ſe monſtrabant: & veritatem quidem amare. Martialis in Gallicum. Dic verum mihi Marce, dic amabo: Nil eſt quod magis audiam libenter. *De me.*] Quis populi ſermo. Cætera quæ interponuntur à poëta, tanto ſtomacho & irriſione inſeruntur, vt ſingulis pene verbis ardeat indignatio. *Qui pote.*] Id eſt, quomodo poſſibile eſt, te ex his verum audire, qui ob cœnas & munera accepta tibi aſſentari coguntur? *Qui.*] Pro quomodo. Terentius Qui ſcis vis dicam? quaſi ille dixerit. Cur non mihi verum dicetur.

Nugaris cum tibi calue Pinguis aqualiculus pro. ſe. ex.] Inſanus quidẽ es: ſi ex te proficiſci putas quæ digna ſunt laude: cum ventri tantum inſeruis: ex quo innuit, ex craſſo homine & gulæ indulgenti ſubtilem ſenſum non elici. nam vt ſcribit Plinius, magis auidi ſunt ciborum, quibus ab aluo longius ſpatium: ijdem minus ſolertes quibus obeſiſſimus venter, id eſt, pinguis. *Nugaris.*] Id eſt, pro nugis carmina tua habenda ſunt, id eſt, male quidem verſificaris, nec fieri poteſt, vt bene ſcribas cum epulis, intentus ſis. *Pinguis aqualiculus.*] Hinc fremit poëta. Aqualiculus receptaculum ſordium. *Extet.*] Emineat.

Sequipede.] Vno & dimidio pede. Sequi enim indeclinabile ſignificat vnum & dimidium. additur cuiuis nomini. Plinius iunior ita ſcribit. Egeram tribus horis & dimidia, ſupererat ſeſquihora. nam diuiſerat tempora reus, vt ego quinque horis: ille reliquis vteretur. Feſtus ſic. Scipio Aphricanus primus fortiſſimum quemque delegit qui ab eo in bello non diſcederent, & cætero munere militiæ vacarent, & ſeſquiplex ſtipendium acciperent.

Propenſo.] Protento, quod procul pendeat, id eſt, quod emineat.

Calue.] Quid hoc loco alij ſuſpicentur viderint. Ego verò ita

interpretor, vt per irriſionem eum Caluum vocet, hoc eſt poëtam egregium. nam Caluus poëta fuit, epigrammatum præſtantia celeberrimus, temporibus C. Cæſaris. de quo ita ſcribit Tranquillus. C. Caluo poſt famoſa epigrammata de reconciliatione per amicos agenti vltro ac prior ſcripſit, Eiuſdem Plinius Iunior ita meminit. Præterea Pompeius Saturninus facit verſus quales Catullus. Et alibi: Canto carmina verſibus minutis. His olim quibus & meus Catullus, Et Caluus veteresque. De Caluo poëta item ſic legitur apud Macrobium. nam & apud Caluum Acterianus affirmat legendum, Polientemque deum Venerem: non deam. Ouidius. Obuius huc venies hedera iuuenilia cinctus Tempora, cum Caluo docte Catulle tuo. Eſt igitur ſenſus, O calue, o tu poëta qui te alterum Caluum carminis præſtantia putas: ſicque irriſio eſt. Caluus item optimus orator fuit. de quo & Plinius. Tacitus ſæpe meminit in opere De claris oratoribus. *O Iane à tergo.*] Nimia indignatione exclamat poëta appellans Ianum felicem: cui à tergo ea non fiunt quæ alijs fieri ſolent. Nam Ianum bifrontem fuiſſe fabulata eſt antiquitas, quaſi ſuperûm & infernûm ianitorem. Vt Macrobius ſcribit ex ſententia Baſſi. eundem quadriformem qua ſi complexum quatuor mundi climata. *Nulla ciconia.*] Modus eſt irriſionis, id eſt, digiti in vnum collecti in modum roſtri ciconiæ. Occidiſſe ciconiam in Theſſalia capitale fuit, quòd ipſæ ſerpentes necent. Quo è loco veniant, quoue abeant, incertum eſt. *Pinſit.*] Irridet. ſumptum à piſtoribus, qui ante vſum molarum frumenta in pilam coniecta pinſebant, id eſt, tūdebant. vnde piſtores, & priſtinum, & piſtillus. Diomedes tamen grammaticus pinſat legit à prima coniugatione. *Auriculas albas.*] Id eſt, aſininas, quæ interiori parte albicant. *Imitata.*] Quæ temporibus apponitur mouetur que inſtar auris aſininæ. *Nec linguæ.*] Subaudi cui, vt ſit ordo. O Iane cui nec tantum linguæ: deeſt exeritur in deriſione. *Quantum.*] Scilicet exerit. *Sitiat.*] Deeſt cum, vt ſit cum ſitiat.

Canis Appula.] Apulia æſtuoſa eſt nam vt Varro ſcribit, vbi lati campi, ibi magis æſtus, & eo in Apulia loca calidiora & grauiora, & vbi montana vt in Veſuuio, ibi leuiora, & ideo ſalubriora. Horatius. Nec tantus vnquam ſyderum inſedit vapor Siticuloſæ Apuliæ. *Vos o patricius ſanguis.*] Inuidioſe hoc dicit. nam omnes fere carminum ſtudio tenebantur: vt inde laudem mererentur. vnde illud exiſtit Horatianum. Scribimus indocti, doctique poemata paſſim. Idem alibi. Mutauit mentem populus leuis, & calet vno Scribendi ſtudio. Iuuenalis. Expectes eadem à ſummo minimoque poëta. *Vos o patricius ſanguis.*] Apoſtrophe eſt. Hæc enim ſchemata, & his ſimilia conuertunt in ſe auditorem, nec languere patiuntur. *Occipiti cæco.*] Id eſt, irriſioni, quæ à tergo fieri ſolet.

Sannæ.] Irriſioni quæ fit diſtorto vultu : vnde ſubſannare.

Quis populi ſermo.] Cum ſuperioribus coniunguntur, vt ſit, De me quis populi ſermo? nam cætera, vt dictum eſt à poeta interpoſita ſunt. *Quis enim.*] Laus aſſentatoris. Horatius. Scribit mala carmina vecors, Laudato. *Quis enim.*] Subaudi eſt: ironia eſt aſſentatoris.

Niſi carmina molli nunc demum numero fluere.] Sic Horatius de ficto laudatore. Clamabit enim, pulchre, bene. Idem alibi. Deriſor vero plus laudatore mouetur. *Fluere.*] Sumptum ab aquis, quæ molliter, & ſine ſtrepitu fluunt. *Molli numero.*] Suaui rythmo.

Vt iunctura.) Compoſitio verborum. *Effundat.*] Tranſmittat nulla intercurrente aſperitate, tranſlatio eſt ſumpta à marmorariis, qui iuncturam lapidum vnguibus pertentant. vnde ortum eſt illud dictũ, rem eſſe factam ad vnguem, cum volumus ſignificare rem eſſe perfectam. *Per læue.*] Id eſt, Læuorem. & ſcribitur per æ diphtongon.

Vngues ſeueros,] Scrupulorum inuentores. *Scit tendere verſum.*] Id eſt, Tam quidem recte verſum facit, vt ex omni parte quadret, & æqualis ſit: ſumptum à fabris lignariis qui rubrica lineas rectas in lignis dirigunt. *Rubricam.*] terra eſt rufa, quæ alio nomine ſinopis dicitur, primum inuenta auctore Plin. in Ponto. vnde nomen à Sinope vrbe. naſcitur & in Ægypto, Balearibus, Aphrica, ſed optima in Lemno & in Cappadocia effoſſa, & in ſpeluncis, quæ ſaxis adhæret excellit. Ex reliquis rubricæ generibus, fabris vtiliſſima Ægyptia & Aphricana, quoniam maxime ſorbentur. *Siue opus in mores, in luxum, & prandia regum Dicere res grandes.*] Quodcunque, inquit, velit ſcribere noſter poeta, ſiue Satyricum carmen, ſiue tragœdiam, muſa res grandes ei ſuggerit. Ordo eſt, Muſa dat noſtro poetæ dicere res grandes.

Siue opus in minores.] Subaudi ſcripturus ſit aliquid tale. In mores & luxum. Alij autem diſtinguunt vt per mores comœdiam intelligant, per luxum vero Satyram accipiant. Alij vero coniuncta legunt, vt ſit rei exaggeratio. i. Satyram, quæ & mores & luxum hominum perſequitur, & hoc melius. *Luxum.*] Luxa membra è ſuis locis mota & ſoluta dicuntur, à quo luxurioſus in re familiari ſolutus, vt ſcribit Feſtus. Luxuria eſt igitur omnis motum ſolutio. *Prandia regum.*] Id eſt, Tragœdiam, qua cœnæ regum exitioſæ ſcribuntur.

Ecce modo heroas ſenſus afferre videmus.) Indignatio eſt in quoſdam Græculos. i. in eos qui paulum aliquid vltra primas literas Græcas progreſſi, vbique Græce perſtrepunt, cum Latinarum literarum cognitionem perfectam non habeant. Quod turpe oſtendit etiam Iuuenalis. Omnia Græce, Cum ſit turpe magis noſtros neſcire Latine. Hinc ergo fremit poeta, nullo modo ferens ab his poemata heroica ſcribi, cum nec ad minima quæque deſcribenda ſint apti. Ex quo innuit Perſius poetas oportere omni ſtudiorum genere præditos eſſe.

Ecce.) Particula eſt incipientis & rem nouam demonſtrantis.

Solitos nugari Græce.) Id eſt, Nec adhuc tamen perfectos Græcos.

Senſus heroas.) Id eſt; Heroicos. principale pro deriuatiuo. vt Virg. Hoc Itacus velit, pro Itacenſis. *Nec artifices.*) Doctos.

Ponere.) Scribere, vt alibi. Fabula ſeu mœſto ponatur hianda tragœdo. *Lucum.*) Quaſi rem humilem & minimam. Lucum enim aut generaliter loquitur, aut lucum dicit Marti conſecratum, in quo peperit Ilia Romulum & Remum. Sequitur enim vnde Remus. nam de eo multi ſcripſerant. Iuuenalis. Nota magis nulli domus eſt ſua, quàm mihi lucus Martis. Sed generaliter locutum eſſe magis placet.

Rus ſaturum.) Plenum & omnium abundans. rus dictum, vt Varroni placet, quod quotannis rurſum facienda ſunt, vt rurſus capias fructus. *Laudare.*) Hinc poetæ virtus cognoſcitur, cum rem verbis & extollere, & deprimere nouit. *Parilia.*) Feſta Palis deæ paſtorum. quod & feriæ ei deæ fiunt: ſic dicta vt Cerealia à Cerere: Vinalia à vino, Vulcania à Vulcano. vſus tamen obtinuit: vt Parilia non Palilia dicerentur. quoniam pro partu pecoris eidem ſacra fiebant 12. Kalendas Maias: vt ſcribit Seruius. Parilibus Romulus vrbem condidit, quem diem feſtum præcipue habebant minores: auctores Feſtus & Varro De re ruſtica. *Famoſa fœno.*) Nam paſtores, vt diximus, 12. Kalendas Maias ſolennia quædam in honorem Palis celebrabant, quæ putabantur ad ſalutem tam paſtorum, quàm pecorum quàm canum pertinere. vnde Ouidius: Pelle procul morbos, valeant hominéſque gregéſque. Et valeant vigiles prouida turba, canes. Deæ enim liba offerri ſolita, idem teſtatur. Quæ præcor eueniant: & nos faciamus ad annum Paſtorum dominæ grandia liba Pali. Stipularum manipulos ſumma effuſi hilaritate tranſiliebant. Idem. Móxque per ardentes ſtipulæ crepitantis aceruos Traiicias celeri ſtrenua membra pede. Tibullus. Ille leuis ſtipulæ ſolennis potus aceruos Accendet, flammas tranſiliétque ſacras: ſicque ea ſacrificij ſolennitate expiari putabant. Vnde Ouid. Omnia purgat edax ignis. vitiúmque metallis Excoquit: idcirco cum duce purgat oues. *Vnde Remus.*) Latenter Romanorum originem oſtendit duci à paſtoribus. de quibus ſcripſit Varro. Romanorum vero populum à paſtoribus eſſe ortum quis non dicit? quis Fauſtulum neſcit paſtorem fuiſſe nutritium, qui Romulũ & Remum educauit? non ipſos fuiſſe paſtores obtinebit, quod parilibus potiſſimum condidere vrbem? *Sulcóque te. de quin.*) Hic eſt ille L. Quintius Cincinatus, qui filium Cæſonem petulantiſſimum abdicauit, & dictus dictator, inſignibus ſumptis Q. Minutium conſulem in Algido monte à Volſcis & Sabinis obſeſſum liberauit. Quare à Minutio & eius exercitu corona aurea obſidionali donatus eſt, vicit hoſtes, ducem eorum in deditionem accepit, & triumphi die

ante currum egit. Sextodecimo dictaturam, quam acceperat depoſuit die, & ad agriculturam reuerſus, ipſe iterum poſt viginti annos dictator dictus Spurium Melium regnum affectantem à Seruilio Hala magiſtro equitum occidi iuſſit, domum eius ſolo æquauit, vnde Æquimelium dicitur. Hincque dictus eſt Serranus à ſerendo. Virgil. Nec te ſulco Serrane ſerentem: nam aranti trans Tyberim quatuor ſua iugera in vaticano, quæ prata Quintia appellantur, viator attulit dictaturam. & quidem, vt tradit Norbanus nudo plenoque pulueris etiamnum ore. cui viator, vela corpus inquit, vt proferam ſenatus populique Romani mandata. *Dentalia.*] Id eſt, aratra: partem poſuit pro toto. Nam dentale ea pars eſt aratri, cui vomer præfigitur.

Dictaturam induit.] Inſignia dictatoria: Dictatorem ſcribit Varro appellatum eſſe, quòd à conſule diceretur: eiuſque dicto omnes audientes. *Vxor.*] Dicta eſt quaſi vnxor, eo quod nouæ nuptæ euntes ad maritum portas adipe lupino vngebant: nequid mali medicamenti inferretur. *Lictor.*] Vt Valgius Rufus ſcribit, appellatus à ligando, quod cum magiſtratus Po. Ro. quempiam verberari iuſſiſſent, crura eius & manus ligari vincirique à viatore ſolita ſint. Iſque qui ex collegio viatorum officium ligandi haberet, lictor ſit appellatus. Cice. in oratione pro C. Rabirio: Lictor, inquit, colliga manus. Feſtus tamen dicit à ligando, quod faſces virgarum ligatos imperantibus & magiſtratibus gerit. Tironi uero Ciceronis liberto à lino vel licio deriuari placet. *Euge poeta.*] Inſultatio eſt & ironia in imperitũ poëtam.

EST *nunc Bryſei, quem venoſus liber Acci.*] Aliud vitium in poetis confutat. carpit enim eos qui ſupra modum priſcos poetas imitantur & amant, nimíſque veterum verborum cupidi ea ſcriptis ſuis inſerunt, monens, vt Cæſar ſolitus eſt dicere, auctoribus Gellio & Macrobio, tanquam ſcopulum fugiendum eſſe inauditum atque inſolens verbum, cum nihil ſit odioſius, vt ſcribit Fabius, affectatione verborum veterum. *Eſt nunc.*] Id eſt noſtris tẽporibus. Eſt ſubaudi aliquis.

Liber Acci.] Accius & Pacuuius tragœdiæ, ſcriptores clariſſimi iiſdem temporibus ſententiarum grauitate, vt ſcribit Fabius & pondere verborum, cæterum nitor & ſumma in colendis operibus manus defuit: non eorum culpa, ſed temporum quibus ſtudia adhuc erant inculta. vnde Mart. Verborum aſperitatem notans, eos irridet qui veteribus delectantur. Attonitúſque legis terrai frugiferai, Accius & quicquid Pacuuiuſque vomunt. *Venoſus.*] Durus & aſper, à venis quæ in corpore eminentes aſperum illud efficiunt: vnde ita ſcribit Tacitus de Aſinio: Pacuuium certe & Accium non ſolum tragœdiis, ſed etiam orationibus ſuis expreſſit adeo durus & ſiccus. Oratio autem ſicut corpus hominis ea demum pulchra eſt, in qua non eminent venæ: nec oſſa numerantur: ſed temperatus ac bonus

ſanguis implet membra & exurgit thoris: ipſos quoque neruos robur tegit, & decor commendat. Nam dura fuiſſe quæ ſcripſit Accius illud etiam teſtimonio eſt, quòd quum Accius Tarenti, auctore Gellio ad Pacuuium diuertiſſet: eíque deſideranti Atreum comœdiam ſuam legiſſet, fertur Pacuuius dixiſſe: ſonora quidem eſſe quæ ſcripſiſſet & grandia, ſed videri tamen ea ſibi duriora paulum & acerbiora. ad quē inquit Accius, ita eſt vt dicis: neque id me ſane pœnitet. meliora enim fore ſpero quæ deinceps ſcribam: nam quod in pomis eſt, itidem inquit eſſe aiunt ingeniis quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia & iucunda. *Acci.*] Accius vt diximus tragœdiarum ſcriptor natus eſt Mancino & Serano conſulibus parentibus libertinis. Et vt dictum eſt, ſeni iam Pacuuio Tarenti ſua ſcripta recitauit: à quo & fundus Accianus iuxta Piſaurum dicitur, quia illuc ex vrbe inter colonos fuit deductus. *Briſei.*] Briſeum pro Briſeium dixit figurate ponens principalitatem pro deriuatione, vt Verg. Latycémque lyeum pro lyeium.

Acci Briſei.] Quia in tutela Bacchi eſſe dicuntur poetæ. Orat. Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit vrbem Rite cliens Bacchi ſomno gaudentis & vmbra. Bryſei vnum ex cognominibus Bacchi à βρυγμὸς, id eſt à ſtridore. nam eius ſacra magno bacchantium ſtridore celebrantur. *Pacuuiúſque.*] Brunduſinus fuit Ennij ſorore genitus, vt Plinius ſcribit, vt vero Euſebius Ennij poetæ ex filia nepos, vixítque Romæ non tantum poetica, ſed & pictura clarus. ſic enim ſcribit Plinius: proxime celebrata eſt in foro Boario ædes Herculis Pacuuij poetæ pictura. Tarentum deinde tranſgreſſus prope nonagenarius diem obiit. *Antiopε.*] Lyci Thebarum regis vxor fuit, quam cum Iupiter in Satyrum conuerſus grauidam feciſſet: eam veluti adulterā Lycus derelinquens Dircen ſuperduxit. Quæ ſuſpicata cum Antiopa Lycum rem habuiſſe: ipſam in vincula compegit. quæ inſtante partu auxilio Iouis ruptis vinculis in Citherone monte geminos peperit Zetum & Amphionem: ij cum adoleuiſſent in vltionem matris Dircen nouercam indomitorum taurorum caudis alligauerunt per nemora diſtrahendam. Eam crudeliter laceratam, & ad fontem clariſſimum deductam poetæ in ſui nominis fontem conuerſam ſcripſere. Antiopa, id eſt tragœdia Antiopæ: quam Pacuuius poeta ſcripſit. *Verrucoſa.*] Aſpera & ſalebroſa nimia verborum antiquitate: verrucam enim Cato, auctore Gellio, locum aſperum & editum appellat. Verrucam etiā in corpore dicimus paruam puſtulam & tuberculum. Horat. Qui ne tuberibus propriis offendat amicum Poſtulat ignoſcet verrucis illius.

Moretur.] delectet & detineat: tractum à ſpectatoribus theatri, quos ludorum celebratio detinet & remoratur.

Cor luctificabile fulta.) ſynecdoche eſt. Vergil. Nodoque ſinus collecta fluentes. Fulta, ſuſtentans.

Hos pueris monitus patres infundere lippos.) Dicit mirandum non eſſe, ſi pueri in loquendo verbis priſcis & aſperis vtantur, aſſentatiónéſque & laudes quærant populi: quando à ſenioribus hæc omnia didicerint: hinc erumpit omnis indignatio poetæ vt ſuprà. Tunc cum ad canitiem ac noſtrum iſtud viuere triſte aſ. & nu. fa. q. r.

Monitus.) Numero plurali ſecundæ & quartæ declinationis dicimus. Ouid. Finierat monitus. Verg. Ille Iouis monitis immota tenebat Lumina. Lippos dicibus quibus ſemper ſtillant oculi: ſed acumen poetæ attendendum eſt qui quod corporis eſt ad ſenſum animi tranſtulit: quaſi dicat, eos cæcæ mentis qui hæc filios doceant. *Vnde hæc ſartago loquendi.*) Hic modus, hic ſibilus, & dictionum nimis priſcarũ ſonus: qualis ſartagine repræſentatur. *Venerit in linguas.*) In vſum quotidianum. *Vnde iſtud dedecus.*) Quòd nimis priſca ſectentur, & ſcriptis ſuis inſerant. *In quo troſſulus exultat tibi per ſubſellia leuis.*) Stultitiam arguit Romanorum qui eandem verborum antiquitatem laudãt poetis applaudentes. *Leuis troſſul.*) Ad vituperationẽ ſpectat.

Leuis.) Politus & circa corporis cultum moroſus, cum antea bellis & laboribus equites aſſueti eſſent. nam Troſſuli equites dicebantur. Ipſum enim equitum nomen ſæpe variatum eſt. Celeres ſub Romulo regibúſque appellati ſunt à Celere centurione Romuli. deinde Flexumines: poſtea troſſuli cum oppidum in Thuſcis citra Volſinios hoc nomine paſſuum nouem milia ſine vllo adiumento peditum cepiſſent. Eius vocabuli vis durauit vltra C. Gracchum. Iunius certe qui ob amicitiam eius Gracchanus appellatus eſt, ſcriptum reliquit his verbis. quod ad equeſtrem ordinem pertinet antea troſſulos vocabant, nunc equites vocant. Ideóque quia non intelligunt Troſſulus nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari, cauſamque quæ ſupra dicta eſt exponit. auctor eſt Plin. *Exultat.*] Applaudit. *Subſellia.*] Hoc loco ſcamna auditorij ſignificat. ſubſellia tribunorum, triumuirorum, quæſtorum & huiuſmodi minora iudicia exercentium, qui non ſellis curulibus nec tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant. Auctor eſt Aſconius. *Eſt nunc Briſei.*] Antiquarios, qui ſordes verborum, & voces nimis priſcas, quarum fœtorem Auguſtus vitare ſe dicebat, in oratione aucupantur, quæ aperta & perſpicua eſſe debet, cuius (vt ait Quintilian.) ſumma virtus eſt perſpicuitas, & qui verbis nimis obſoletis, exculcatíſque vtuntur, priſcóſque poetas imitantur, & amant, reprehendit Perſius, caſtigat, & ſatyrica vellicatione perſequitur. Eſt enim hoc delictum non paruum, quod plerunque Gellius ait eſſe feræ eruditionis, quam Græci ὀψιμαθίαν vocant. vnde deluſus eſt ille, qui in cœtu eruditorum de quodam furfureum panem eſitãte, & vinum fœtidum potante dixerat: Apludã edit, & floces bibit: quæ vt ſcopulum (præcipiẽte Cæſare) fugienda ſunt. Quinetiã monet Quintil.

verba

verba non eſſe vſurpanda, quæ ab vltimis, & iam obliteratis ſint repetita temporibus, qualia ſunt toper, quod ſignificat cito. Tuburcinabundus, & lurcinabundus, quæ ad ganeones, & lurcones referuntur. hinc illa Fauorini adoleſcēti pleraſq. voces nimis priſcas, & ignotiſſimas in quotidianis ſermonibus expromenti elegans, & faceta reſponſio: Viue moribus præteritis, vtere verbis præſentibus, auctor Gellius in primo Noct. *Eſt nunc.*] Noſtra tēpeſtate inuenitur ne quiſpiam, cui Pacuuij, & Accij poetarum lectio vetuſtate ſqualens ſit periocunda, adeo, vt illorum verba ſitu vetuſtatis contracto lapſantia ſuis inſerant operibus? *Venoſus.*] Aſper, incultus, durus, inæqualis, & horridus. à corpore tracta ſimilitudo, quod venæ nimium extantes prominulæ, & extuberantes dehoneſtant, vitiant, deturpant. Oratio enim ſicut corpus hominis ea demum pulchra eſt, in qua non eminent venæ, nec oſſa numerantur, ſed temperatus ac bonus ſanguis implet membra, exurgit thoris, ipſos quoque neruos robur tegit, & decor cōmendat. dura autem fuiſſe quæ ſcripſit Accius ſatis docet Tacitus, qui ſcribens de Aſinio Pollione ita inquit. Pacuuium certe, & Accium non ſolū tragœdiis, ſed etiam orationibus ſuis expreſſit, adeo durus & ſiccus. *Acci.*] L. Accius, cui plus virium (vt inquit Quint.) tribuitur quā Pacuuio, auctore Euſebio, tragœdiarum ſcriptor fuit, natus Mancinno & Serano conſulibus, parentibus libertinis, qui ſeni iam Pacuuio Tarenti tragœdiam ſuam, cui Atreus nomē eſt deſiderāti legit. qua lecta Pacuuium dixiſſe ferunt ſonora quidē eſſe quæ ſcripſiſſet, & grandia, ſed videri ea tamen ſibi duriora paulum, & acerbiora. Cui ita eſt inquit Accius vti dicis, neq. id ſane me pœnitet. Meliora enim ſpero, quæ deinceps ſcribā. Nam quod in pomis eſt, itidem inquit eſſe aiunt in ingeniis, quæ dura, & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia, & iucunda. Sed quæ gignuntur ſtatim vieta, & mollia, atque à principio ſunt viuida, non matura mox fiunt, ſed putrida. auctor Gellius in xij. Noct. fundū habuit iuxta Piſaurum ab eo Actianum denominatū, quia illuc inter colonos fuerat deductus ex vrbe. Celebratum eſt illud Accij ex Aſtianacte: Nihil credo iſtis auguribus, qui aures verbis diuitant alienas, ſuas vt auro locupletent domos. *Briſci.*] Briſcus vnum eſt ex cognominibus Bacchi à Bryſca ciuitate, in qua teſte Porphirio, Bacchus ipſe præcipue colebatur: vel à voce Bacchātium, vnde, & βρυγμός ſtridorem apud nos deſignat: vel (vt quibuſdam placet) à mellis vſu: eo quod ex aluearibus mella, vel ex vuis muſta exprimere primus docuerit. βρύω enim μ. υσω. π. υκα dicitur emano, ſcaturio. Nonnulli legunt Byrſeum, quoniam apud Diodorum lib. 5. Bacchū in præliis pardalorū pellibus vſum conſtat. βύρσα enim dicitur coriū. βυρσεύς, & βυρσοδέψης coriarius, βυρσοδεψέω coriū tingo, Bryſcū autem vel Byrſeum vocauit Acciū, quoniam poetis præeſt Bacchus.

Horatius. Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit vrbem Rite, cliens Bacchi ſomno gaudẽtis, & vmbra. Vnde hedera illi ſacra, & gratiſſima (vt eſt apud Ouidiũ in tertio Faſt.) poetæ coronãtur, vt copioſe ſupra ſcripſimus. Propertius. Mi folia ex hedera porrige Bacche tua. Pacuuius Brunduſinus fuit tragœdiarũ ſcriptor illuſtris Ennij poetæ ex filia nepos (vt ſcribit Euſebius) vt vero Plinius ex ſorore Ennij genitus, qui Romæ picturã exercuit, ac fabulas venditauit: deinde Tarẽtum tranſgreſſus prope nonagenarius diem obijt. hic (vt ait Quintilianus) grauitate ſententiarũ, verborum pondere, auctoritate perſonarũ clariſſimus fuit citra nitorẽ, non eius tamen culpa, ſed temporũ, quibus ſtudia adhuc erant inculta. Pacuuij cũ Accio meminit Martialis taxans antiquarios his verſibus. Attonituſque legis terrai frugiferai: Accius & quicquid Pacuuiuſque vomunt. *Et Antiopa verrucoſa.*] Verrucis plena, ſalebroſa, aſpera propter verborum odioſam vetuſtatẽ. Marcus Cato appellat verrucã locum editum, aſperumque à verrendo: nã quæ ſupereminent verri ſolent. hinc verruca in corporibus eſt tuberculũ caroque dura & calloſa, Græcis ἀκροχορδὼν Porrus vulgo appellata. de qua Plinius. Ocymum mixto atramento ſutorio verrucas tollit. Quintus Serenus. Interdum exiſtit turpi verruca papilla. hinc Fabius Maximus, qui cunctator dictus eſt, verrucoſus appellabatur: huius dimi. eſt verrucula. Verrucariam herbam appellari tradit Plinius libro vigeſimo ſecũdo, quod tollat verrucas, quæ alio nomine dicitur Heliotropium, quod ſolſtitialem herbam appellat Plautus quia cum ſole ſe circumagit, etiam nubilo die: tantus ſideris amor eſt. hoc dixi, vt obiter addiſceres, quod Hermolaus Barbarus ille doctiſſimus ignorauit. non enim dicitur ſolſtitialis quòd vertatur ad ſolem ſolſtitialibus diebus, cùm Sol eſt intenſior, ſed ſolſtitialis dicitur in ſignificatione, qua ſolarem accipere conſueuimus. Quod docet Seruius ſic ſcribens: Tribus humana vita continetur: natura, cui vltra centũ & viginti ſolſtitiales annos conceſſum nõ eſt. vbi ſolſtitiales expone ſolares: quod apud Plautũ ſic debere exponi præter verba Seruij grammatici, oſtendit & Cornel. Celſus, qui illam ſolarem his verbis appellauit in quinto lib. Medicament. Bibere autem oportet herbæ ſolaris, quam heliotropion Græci vocant, ſemen. *Moretur.*] Detineat, delectet. *Antiopa.*] idem eſt. de Antiopa enim tragœdiam compoſuit Pacuuius: vnde legere Antiopam idẽ eſt quod Pacuuium. hanc figuram vocant Endiadin, quæ fit quoties vna res diuiditur in duas coniunctione, quæ tamẽ in vnum ſoluuntur cõiunctione detracta, vt apud Vergilium, pateris libamus & auro, pro aureis pateris. Fuit Antiopa (vt ſcribit Ouidius) Nictei, vel teſte Homero libro vndecimo Odyſſeæ Aſopi filia, ait enim ſic ἀντιόπην ἴδον ἀσωποῖο θύγατρα, id eſt, Antiopam vidi Aſopi filiam, ex qua Lyco Thebarum regi deſponſata Amphionem, & Zetum filios ſuſtulit Iupiter

Quamobrem offenſus Lycus, ea repudiata Dircen ſolis filiam nouam vxorem ſuperinduxit, quæ ſemel in ſuſpitionem adducta, ne cum Antiopa Lycus concubuiſſet, Antiopam ipſam in vincula coniici iuſſit, quæ inſtante partus tempore, & agente Ioue vincula rupit, ac in montem Cytheronem aufugit, vbi pariens natos expoſuit, quos paſtor inueniens pro ſuis educauit, quorum alter Amphion fuit muſicæ deditus (vt ſcribit Seruius) primuſque qui cum cythara cecinerit (vt ait Plin. in ſeptimo) de quo Horatius. Dictus & Amphion Thebanæ cōditor vrbis Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda Ducere quo vellet. quod ad affatus ſuauitatem refert Solinus. Euſebius ſcribit auditores fuiſſe duro corde: vnde nomen fabulæ. Plutarchus in libro De muſica refert, Heraclide auctore, hunc primum à Ioue patre citharœdicam poeſim doctum fuiſſe. Idque probat ex iis, quæ in Sicyone de ſacris Argiuorũ à poetis, & muſicis ſcripta ſunt. Zetus vero fuit ruſticus: qui cum adoleuiſſent, in recognitæ matris vltionem Lycum interfecerunt, & Thebanorum regno occupato Dircen nouercam indomitorum taurorum caudis alligarunt diſtrahendam. vnde mutata eſt in fontem ſui nominis, de qua Papinius. Fluxit in ſubitos regina lacus. *Fulta cor.*] Synecdochicos, id eſt, habens cor fultum, & ob hoc ipſa ſuſtentans. eſt enim fulcire ſuſtinere. Vergilius. Cœlum qui vertice fulcit: vnde fulcra (vt docet Seruius) lectorum ſpondæ quæ legato lecto contineri ait Vlpianus. *Luctificabile.*] A luctu qui eſt (vt ſcribit Cicero in quarto Tuſculan.) ægritudo ex eius, qui carus fuerit, interitu acerbo, quem Vergilius ante veſtibulũ inferorum, & in primis orci faucibus collocauit, de quo cecinit Silius: Luctus edax, macieſque malis comes addita morbis. de luctu quod eſt inſigne & indicium lugentis alibi plura. *Aerumnis.*] Sollicitudinibus, miſeriis, calamitatibus, incitis, cruciabilitatib. infortuniis. *Hos monitus.*] Quod pueros verbis antiquorũ poetarum obſoletis, & veſtutate carioſis vti, & laudem, plauſuſque populares auidiſſime, & animo lubenti captare conſpicimus, non eſſe mirandum dicit poeta, cum patres omnes talibus ſtudiis teneantur, à quibus nati talia didicerunt. Eſt enim conſectarium (quamuis Manlius dixerit Degenerant nati patribus natiſque parentes) vt ſi pater malus, filius ſit peſſimus, aut ſaltē veſtigia paterna imitetur. Quod Iuuenalis demonſtrat Sat. decimaquarta, cum ait: Si damnoſa ſenem iuuat alea, ludit & hæres Bullatus, paruoque eadem mouet arma fritillo. Nam (vt idem ait) Expectes vt nō ſit adultera Largæ Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos Tam cito, nec tanto poterit contexere curſu, Vt non ter decies reſpiret. Quicquid enim exemplo fit id iure fieri creditur auctore Cicerone in epiſtola ad Seruium Sulpitiũ. Et cum omnia mala exempla noceāt, plurimũ tamen nocent domeſtica: magnis cum ſubeāt animos auctoribus

Hinc merito, & ſanĉte monet Plutarchus, ante omnia opus eſſe vt patres non ſolum nihil peccando, verum etiam honeſta ſingula peragendo manifeſtum ſeſe filiis exemplar exhibeant. Si inquit Architas pater filiis virtutum exemplar. vnum enim exemplum aut luxuriæ, aut auaritiæ multum mali facit. conuictor delicatus paulatim eneruat, & mollit: Vicinus diues cupiditatem irritat: malignus comes quamuis candido & ſimplici rubiginem ſuā affricuit (vt ſcribit Seneca lib. 1. Epiſtolarum ad Lucilium.) Scias neceſſarium eſſe, inquit Epictetus, qui cum inquinato confligetur, & ipſum inquinari. *Hos monitus.*] Seruius ſcribit, quod dicitur monitus quarto, & ſecundo ordine, vt Carmentis nymphæ monita. & allegat hoc Perſianum. Ouidius: Finierat monitus. *Patres lippos.*] Quod corporis eſt, id poeta noſter ad ſenſum animi tranſtulit non inſcite, nec imprudenter: nam ſicut virtutes in corpore eſſe dicuntur conſimiles animi virtutibus, ita ſimilitudo eſt inter morbos corporum, & animorum. vt vitium dicitur corporis ſic animi, vt ægrotatio in corpore, ſic in animo. Quod in decretis canonicis fieri obſeruauimus curioſa, & diligenti lectione Diſ. quadrageſimaoctaua, vbi vitia corporis transferuntur ad animum, ſicut cæcus, claudus, mancus, lippus, gibboſus, impetiginoſus, quæ vitia qui habuerit, panes Deo, & ſacrificium offerre prohibetur, de quibus vocabulis multa Gregorius in Paſtorali. Eſt autem proprie lippus, qui laborat lippitudine, quæ inter morbos oculorūm annumeratur, ex qua pituita lachrymę miſcetur. Horatius fuit lippus & M. Tullius, vnde in epiſtolis ad Atticum ſic ſcribit, Dictaui propter lippitudinem. Marcus Seruilius Nouianus in metu lippitudinis chartam duabus literis Græcis ſcriptam circumligatam lino ſubnectebat collo. Lippientibus (vt præcipit Celſus) vitandi ſunt cibi, qui extenuant. Negant lippituros eos, qui cum pedes lauant aqua, inde ter oculos tangant. Qui linguam vulpinam in armilla habebunt, non lippient, auctor Plinius. *Hæc ſartago loquendi.*] Hic corruptus, ac deprauatus loquendi mos, hic ſibilus, & ſonus priſcarum vocum, qualem ſartago repræſentare conſueuit. Eſt autem ſartago vaſculum patens, quo adhibito oleo diſtillatione, vel butyro, carnes, offellæ, pulmēta, frictæ (quæ & fricticulæ dicuntur Hier.) tomacula & id genus compluria friguntur. Hieronymus de vir Maccabeorum. Iuſſit ignē admoueri, & adhuc ſpirantem torreri in ſartagine. Plinius. Terebinthinam in ſartagine referuenti. Græce dicitur τήγανον, vulgo patella. *Iſtud dedecus.*] Iſta ignominia: iſta infamia æquo animo minime ferenda eſt, quod verbis vietis, & veternoſis, temporiſque vitio carioſis vtantur, & illa ſuis operibus interſerendo in vſum & cōſuetudinē reuocare cōtendant. *In quo Troſſulus.*] Stultitiā leuitatem, & mētis imbelliam Romanorum caſtigat, qui eadem verborum antiquitate

detinebantur, eam laudabant, atque poetis talia poemata recitantibus applaudebant, palpum offerebant, & aſſentabantur, cum potius eos accuſare, & cenſoria caſtigatione reprehendere debuiſſent, vt ab errore in orbitam, ex ſemita in viam rectam, & ex mentis captiuitate in reſipiſcentiam reducerentur. Quod non fiebat, quoniam rari quippe boni. eſſet enim ridiculum ſi luſcus luſcum, claudus claudum conuicio inſectaretur, ſi Clodius accuſaret mœchos, Catilina Cethegum, quod in illum ſubito poſſet retorqueri notiſſimum illud, Loripedem rectus derideat, &c. *Troſſulus leuis.*] Auditor voluptatibus indulgens, opimus, corpulentus, ſuccoſus, habitior. alij accipiunt hic troſſulum pro equite Romano, quoniam auctoribus Plinio, Sexto Pompeio, cæteris, troſſuli dicuntur equites Romani, ab eo quod Tuſcorum oppidum nomine Troſſulum ſine vllo adiumento peditũ cepiſſent, quod non inficiatur quiſpiam: Sed hic ſenſus non facit ad ſtomachum. Videtur enim Troſſulus hic ſignificare obeſum, delicatũ, ſucculentum (vt diximus) quaſi toroſulus à toroſa carne, & aruina. Quod verum eſſe oſtendit Plinius cum in 33. ſcribens troſſulos equites vocatos eſſe ſubiungit: quia inquit non intelligunt troſſuli nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari, inuitóſque etiamnum troſſulos vocari. in hoc ſignificatu in quo locutus Perſius mihi videtur apud Varronem, & Hieronymum inuenitur, cuius in Iouinianum ſcribentis hæc ſunt verba. Vnius tantum philoſophi exemplum poſui, vt formoſuli noſtri, & troſſuli, & vix ſummis pedibus adumbrantes veſtigia, imitentur ſaltem gentilium parcitatem. Varronis verba nequis ea deſideret appoſui: Nunc emunt troſſuli nardo nitidi vulgo attico talento equum. Sed Nonius apertius hoc omnibus his verbis demonſtrat: Troſſuli dicti ſunt toroſuli. quaſi habitiores, à toroſa ſcilicet pinguitudine. accipe ergo troſulum hic pro Romanis, mollibus, delicatis, & opimis, quos magis pigmenta, floſculi, lenocinia orationis, & antiqua verba, quàm res, quàm ſenſa, quàm argumenta commoueant. *Leuis.*] Politus, mollis, deglabratus, vel nihil ſeueri habens iudicij. *Exultat.*] Applaudit.

Per ſubſellia.] Id eſt, minores ſedes. ſunt enim ſubſellia minores ſedes, in quibus audientes poetas, aut ſpectantes ludos ſedere ſolebant. Erant præterea (vt docet Aſconius libro primo Verrin.) Tribunorum, Triumuirorum, Quæſtorum, & huiuſmodi minora iudicia, qui non in ſellis curulibus, non tribunalibus, ſed in ſubſelliis conſidebant. recitaturi autem poemata auditoribus ſubſellia ſternebant: nam ſedilia illic non erant perpetua ſicut in theatro, ſed temporaria, quæ à poetis ſoluta pecunia conducebantur. vnde dixit Iuuenalis. Nemo dabit regum quanti ſubſellia conſtent.

Nil *ne pudet capiti non poſſe pericula cano.*] Mira excandeſcit indignatione & fremitu in eos, qui etiam in capitalibus criminibus refellendis tantopere laudis cupidi ſint, vt fere obliti peculiaria cauſarũ argumenta, ex elocutione tantum, ac etiam verborum, ſententiarúmque exornationibus vniuerſi populi laudem & fauorem promereri conentur. Quod Quintilianus in nono ſummopere damnat. hoc autem Perſius exemplo Pedij comprobat. qui accuſatus furti, etiam in periculo capitis tanta laudis cupiditate agebatur, vt fere relictis cauſæ argumentis, exornationibus tantum populo ſtuderet placere, adeo laudis & gloriæ deſiderio vexabatur. itaque ad antitheta, id eſt, contra poſita, & reliquas figuras conuertebatur. Senſus eſt igitur. nullo ne teneris pudore, cum de vita tua agatur, ſollicitum te eſſe de laude adipiſcenda? *Pellere pericula.*] ſ. capitis, id eſt, defendere teipſum in iudicio. *Capiti cano.*] Hinc eſt poetæ ardor. quod etiam cum in periculo vitæ, tum etiam in extrema ætate laudis tantopere anxius ſis. *Hoc tepidũ decenter.* tepidas & frigidas laudes. ſic enim dicere ſolent laudatores. Hora. Clamabit enim pulchre, bene, recte.

Tepidum.] Quia ficte & frigide laudatur, cum adulatio omnino ſit.

Fures ait Pedio.] Exemplum Pedij. quem pro quocunque ponit qui laudem ſibi etiam in capitalibus criminibus refellendis, exornationibus verborum & ſententiarum quærit. Hic eſt ille Bleſus Pedius qui ſub Nerone auctore Tacito, motus eſt ſenatu, accuſantibus Cyrenenſibus violatum ab eo theſaurũ Æſculapij, delectumque militarem precio & ambitione corruptum. *Fures ait Pedio.*] Id eſt, Aliquis furti Pedium accuſat. *Pedius quid.*] Subaudi quomodo ſe defendit.

Crimina raſis librat in antithetis.] Hoc eſt Pedius nequaquam refellit obiecta crimina. verum ad figuras & exornationes decurrit. Crimina non carmina legendum eſt, ſcilicet de quibus accuſatus eſt.

Librat.] Ponderat, æſtimat, quaſi putans his exornationibus & abſolutionem & laudem poſſe promereri. *Librat.*] Expendit, id eſt, tanti quidem æſtimat exornationem & figuras orationis ſuæ, quanti furtum & obiecta cenſentur, vt facile ſperet & abſolutionem & laudem. *Antithetis.*] Latine ſonant contra poſita. vt in 9. ſcri. Quintil. quæ figura quidem non vno modo fit. nam & fit ſi ſingula ſingulis opponuntur, vt vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Et bina binis, non vt noſtri ingenij, veſtri auxilij eſt. Et ſententiæ ſententiis, vt dominetur in concionibus, iaceat in iudiciis. Terent. in Andria Antithetõ facit. Vt per falſas nuptias vera ſit obiurgandi cauſa. Antitheton enim eſt, quia falſas dixit, deinde intulit vera. Sic idem in eadem. Quæ ſeſe inhoneſte optauit parare hic diuitias, potius quam in patria honeſte pauper uiuere, antitheton eſt inhoneſte & honeſte. *Raſis.*] Quia neutrum altero verborum omnino

plus habet. *Figuras.*] Græce ſchemata dicuntur. Duplex eſt figurarum genus. Alterum ſententiarum, alterum verborum. Figura, vt Fabius tradit, eſt ſicut nomine ipſo patet, conformatio quædam orationis remota à communi. Ergo figura eſt arte aliqua nouata forma dicendi. *Bellum hoc.*] Verba laudatoris quæ pronunciatiue leguntur, & cum admiratione more adulatoris. *Bellum hoc.*] Interrogatiue & cum indignatione proferuntur à poeta, qui eum carpit, à quo adulatorio geſtu nimium poeta laudatur. Nam quærit poeta bellum hoc? quaſi diceret, non ex vero animi iudicio, ſed ficto laudas. vnde ſequitur: An Romule ceues? *An Romule.*] In contemptum dictum eſt quaſi nequaquam Romulo ſimilis.

Ceues.] Ceuere verbum eſt in obſcœnis. Iuuenalis. Ego te ceuentem Sexte verebor? hoc eſt indecoro motu corporis adularis, ſumptum à canibus, qui clunes agitando blandiuntur. *Men moueat.*] Ita hæc inferuntur à poeta, quaſi aliquis dixerit, tu quoque ad hos laudandos iis exornationibus & verborum & ſententiarum mouearis. & ipſe reſpondeat mene moueat. i. nullo quidem pacto adducar, vt hæc laudem quæ & ipſi poetæ ambitionem exprobrant & ipſi populo aſſentationem, cum omnino laude digna non ſint.

Et cantet ſi naufragus aſſem protulerim.] Erat conſuetudo apud antiquos vt qui naufragium feciſſent, illud ex humeris in tabella pictũ circumferrent mendicantes, ne ab omnibus cogerentur caſus ſuos narrare. Mart. Nec faſciato naufragus loquax trunco. Iuuen. Naufragus aſſem Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur. Oſtendit igitur poeta ſumpto exemplo à naufrago, vt ſuperuacaneum eſt & parũ prodeſt naufragis cantare caſum ſuum, cum eum pictum habeant in tabella, quod quidem ſatis eſt ad miſericordiam hominum alliciendã, ita & poetæ & oratori non conuenire oſtentare ſe ſcriptis ſuis, id eſt, laudem & verborum & ſententiarum figuris quærere. cum argumenta cauſæ tantum ſimpliciter ſint proſequenda, nec affectatis exornationibus vtendum. *Et cantet ſi naufragus aſſem protulerim.*] Ordo eſt, & protulerim aſſem ſi cantet. *Protulerim aſſem.*) Id eſt, Nec ob eam rem quia cantet dedero aſſem. Hæc omnia metaphoricos ad poeta accommodanda ſunt. i. ego quidem non laudauero eum, quia exornationibus & figuris affectatis commendet ſcripta ſua.

Cantas cum te fracta in trabe pictum ex humero portes.) Hinc oſtendit indecorum eſſe poetis & oratoribus, cum eorum virtus nota ſit, velle exclamationibus & crebris figuris verborum laudem ſibi quærere. Quod turpe eſſe oſtendit Fabius cum ita ait. Ideoque magis nobiles vt nouitate aurem excitant, ipſa copia ſatiant: nec ſe obuias dicenti, ſed conquiſitas & ex omnibus latebris extractas congeſtáſque declarant. Ergo ita figuris ſcripta exornanda eſſe docet, vt non

conquiſitæ, ſed obuiæ ſcribenti fuiſſe videantur. *Cantas.*] Ironia eſt. i. exornationibus vteris, & ita ad oratorem referas. ſi autem ad naufragium applices, hic eſt ſenſus. cantando & ſublata voce mendicans naufragium tuum omnibus prædicas. *Fracta in trabe.*] Id eſt, naui fracta. quæ picta vna cum nautis in tabella vt dictum eſt circumferebatur à naufrago. alibi. Trabe rupta Brutia ſaxa prendit amicus inops. & paulo inferius. largire inopi ne pictus oberret Cærulea in tabula.

Verum nec nocte parata plorabit.] Id eſt, Si à me volet laudari, vera cauſarum argumenta & ad rem pertinentia proſequatur, id eſt, ex animo & corde doleat, nec putet his figuris & ornationibus nocturno ſtudio paratis à me laudatum iri. *Incuruaſſe.*] Flexiſſe, ad laudem ſcilicet. *Querela.*] Naufragum reſpexit.

SED *numeris decor eſt, & iunctura abdita crudis.*] Hic obiicitur poetæ, ea carmina omnino laudanda eſſe, quia mira verborum compoſitione conſtent. Iunctura abdita, compoſitio quædam verborum occulta. ea enim demum oratio optima habetur, quæ eleganti verborum compoſitione & ordine conſtat. *Abdita.*] Abſtruſa.

Numeris crudis.] Quos crudos appellas tu Perſi, id eſt, nihil ſaporis habentes, vt immaturos verſus. *Claudere ſic didicit verſum.*] probat per exemplum Neronis aliena carmina non eſſe damnanda, quando & Nero ita inflate didicerit finire verſum ſuum. nam ita ſcribit Tacitus. Carminum ſtudium Nero ita affectauit contractis quibus aliqua pangendi facultas, conſidere ſimul, & allatos, vel ibidem repertos verſus connectere atque ipſius verba quoquo modo prolata ſupplere, quod ſpecies ipſa carminum docet, non impetu & inſtinctu nec vno ore fluens. irridet igitur Neronem, qui tam indecenter támque inflate & ſua carmina ſcriberet & aliena imperfecta quoquo modo ſuppleret. quamuis Tranquillus affirmet ad manus ſuas perueniſſe libellos Neronis cum quibuſdam notiſſimis verſibus ipſius chirographo ſcriptis, vt facile appareret non tranſlatos, aut dictãte aliquo exceptos, ſed plane quaſi cogitante atque generante exaratos: ita multa deleta & inducta & ſupra ſcripta inerant. *Claudere.*] Finire, quaſi qui aliena imperfecta quoquo modo finiret. *Didicit.*] ſcilicet Nero.

Sicut eſt Berecynthius Atys.] Hoc eſt quod notat Tacitus, quod ipſius verba quoquo modo prolata ſupplebat, non impetu & inſtinctu nec vno ore fluentia. *Berecynthius Atys.*] Hæc verba concludebant carmen. Atys puer Phrygius à Cybele matre deorum amatus cum ei caſtitatem promiſiſſet, & in nympha Sangaritide non ſeruaſſet, nympháque ſuppliciis affecta periiſſet, correptus furore putans domos, vt ſcribit Ouidius, ruere: tectum omne diffugit, & per ſumma Dindymi montis Phrygiæ diſcurrens, arrepto lapideo cultro ſeipſum excaſtrauit. vnde Ouid. Ah pereant partes quæ nocuere mihi. Ah pereant

dicebat

dicebat adhuc, onus inguinis aufert, Nulláque ſunt ſubito ſigna relicta viri. Catullus tamẽ aliter ſcribens tradit puerũ cum ex aqua Galli fluminis Phrygiæ bibiſſet, in furorem ex aquæ natura cõpulſum ſe caſtraſſe. Tãdem è monte lapſus in arborem pinum cõuerſus eſt. Ad huius pueri imitationem ſacerdotes Cybeles qui Galli cognominati sũt à Gallo fluuio Phrygiæ quẽ accolunt vt ſcribit Plin. & Feſtus, eunuchabantur; vnde Iuuenalis. Et ingens Semiuir obſcœno facies reuerẽda minori, Mollia qui rapta ſecuit genitalia teſta. Et quia diximus in nympha Sangaritide, illud ſciendũ Sangaritidem propriũ nõ eſſe nomen, ſed patronymicum à Sangario fluuio Phrygiæ. *Berecynthius.*] Id eſt, cybelicus: Berecynthes enim natio quædam, inter Phrygias eſt: ſimpliciter vero, vt ſcribit Strabo, Phryges Troeſque prope Idã habitantes Rheã præcipuo venerãtur honore, eius orgia frequẽtantes. hãc quidam deorum matrem vocant, & veſtam: & deã Phrygiam magnã. à locis autem Ideam, & Dindymenam, & Phylenam, & Peſſinuntiã, & Cybelem. Græci ſane miniſtros eius nuncupant vno vocabulo Curetes, eoſdem & Corybantes vocant. *Et qui cæruleum dirimebat Nerea Delphin.*] Aliud eſt carmẽ meo iudicio Neronis. quod vel ipſe ſcripſit vel repertum ſuis connexuit. quod irridet, vt nimis altum & inflatũ. Hiſtoriam videtur tangere Arionis, qui vt ſcribit Herodotus nobilis cantor fidibus fuit, loco & oppido Mitilenæus. is cum in Siciliam atque Italiam veniſſet, aureſque omniũ menteſque demulſiſſet in quæſtibus voluptatibus amoribuſque hominum fuit, grãdique pecunia cõparata domũ redeunti à nautis cædes parata eſt. quod cum cognoſceret traditis omnibus bonis impetrat vt ſibi liceat ſua omnia indumenta & fides capere & canere carmen caſus illius cõſolabile, atque ibi mox de more cõptus & ornatus ſtanſque in ſumma puppi carmen quod Orthrium dicitur voce ſublatiſſima cantauit. iecitque ſeſe procul in profundũ, ſed à Delphino dorſo ſuper fluctus edito incolumis Tenarum in terram Laconicã deuectus eſt. de hoc plura apud Herodotum & Gellium. *Sic coſtam longo ſubduximus Apœnino.*] Aliud vitiũ in carmine Neroniano reprehendit. oſtendit enim indecorum eſſe in quinto pede heroici carminis frequenter & affectate ſpondæum poni, vt eſt illud Virgilianum, Cornua velatarum obuertimus antemnarũ. Lucanus. Altus cæſorum pauit cruor armentorum. nam Nero id in Troicis ſuis affectauit, in cuius inuidiã hanc fere totam ſatyram ſcribit. *Sic.*] id eſt, vt per hoc carmen patet. *Subduximus.*] Subſtraximus. *Coſtam.*] Id eſt, ſyllabam. *Longo Apœnino.*] Id eſt, carmini hexametro, quod longũ dicit ad ſimilitudinem Apœnini montis, qui ab Alpibus incipiens per mediam Italiam excurrit, quam in duas partes ſeparans à dextris infernum mare relinquit, à ſiniſtris autẽ ſuperum, in ſiculumque vſque fretum progreditur. *Arma virum.*] Non hic

carpit Virgilium, vt quorũdam eſt opinio, ſed verba ſunt excuſantis verſus crudi poetæ. *Nonne hoc ſpumoſum?*] Quaſi diceret ſi hoc vitio non das, neque id ſuperius dandũ. *Coruice pingui.*] Craſſum ſuperbum & tumidũ. *Vt ramale vetus.*] Vetus truncus qui nõ facile flectitur. nã tale carmen vt nimis durum irridetur vt illud Antimachi quem cycli-cũ vocat Horat. Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum. Sequitur enim. *Quidnam igitur tenerum & laxa ceruice legendum?*] Ex quo apparet ſuperiora carmina eſſe reprehenſa, quia dura, & nimis ſonãtia eſſent, vt erunt & ſequentia. Torua mimalloneis implerũt cornua bõbis. *Coctum.* Scribit Seruius multi temporis aliquid recoctum vocari. vt Virg. Solidum nodis & robore cocto. Vnde Horat. homines longo rerum vſu & tẽporis exercitatos recoctos appellauit. Plerũque recoctus Scriba ex quinqueuiro coruum delubet hiãtem. *Prægrandi.*] Id eſt valde grandi. Porphyrio tamẽ exponens illud Horatij in ſecũda ſatyra. Vepallida lecto Deſiliat mulier, affirmat hoc loco legendum eſſe vegrandi. Quod legitur apud Varronẽ, De re ruſtica. Quod quæ poſtea concipiunt fiunt vegrãdes atque imbecillæ. *Subere.*] hoc loco cortice. Virg. Aen. xi. Huic natam libro & ſylueſtri ſubere clauſam. Suber proprie (vt ſcribit Plin.) minima arbor, Glans peſſima, rara, cortex tãtũ in fructu præcraſſus ac renaſcẽs, atque etiã in denos pedes explanatus, vſus eius anchoralibus maxime nauiũ piſcãtiumque tragulis, & cadorũ obturamẽtis. Præterea in hiberno fœminarũ calciatu. *Quidnam igitur tenerum & laxa ceruice legendum eſt.*] Veluti offenſus monitor, quod poeta, talia irrideat carmina vt nimis ſonantia & plena, ita eum interrogat vt oſtendat talia carmina non eſſe reprehendenda, quando ab omnibus poetis talia fiant. Ad quod Perſius ridens ſubiungit quatuor carmina ſequẽtia Neronis, quaſi oſtendens illa nõ eſſe nimis ſonantia & plena, ſicque Neronem irridet. *Quidnam igitur tenerum?*] Quaſi dicat omnia pari modo haberi in omnibus poetis.

Tenerum.] Non nimis durum, non nimis plenum. *Laxa ceruice.*] Id eſt, remiſſiore ſono, nec tã erecta voce. ſumpta metaphora ab equis qui laxatis habenis collum ſubmiſſius gerunt. *Torua mimalloneis implerunt cornua bombis.*] Quatuor verſus ſequentes Neronis fuiſſe illud ſuſpitionem affert, Sed quid opus teneras mordaci radere vero Auriculas. Eos vt nimis plenos & tumidos irridet. vt Horat. carmen Antimachi, Fortunam Priami cantabo & nobile regnum. & Martialis carmen detractoris irridendo inſerit. Quid cum panticibus laxis & cum pede grandi. & Horatius carmen Furij Bibaculi, Furius hibernas cana niue conſpuit Alpes. *Torua.*] Terribilia. quaſi terua à terrendo. Virgil. Torua leena lupũ ſequitur. *Mimalloneis.*] Mimallones mulieres bellicoſæ dicũtur, à mimeomæ. i. imitor. quod imitentur Bacchũ. nam vt ſcribit Strabo, Sileni, Satyri, bacchæ, lenæ, thiades, mimallones, naiades, nymphę & quos Tytiros vocãt ſacerdo-

tes fuerũt Bacchi. Ouid. in Arte amandi, Ecce mimallonides ſparſis in terga capillis: Ecce leues ſatyri præuia turba dei: Ebrius ecce ſenex pãdo ſilenus aſello Vix ſedet, & preſſas continet arte comas, Dũ ſequitur bacchas. *Cornua.*] Quibus vtuntur in ſacrificiis Bacchi. *Bõbis.*] Sonitibus. nomen fictum à ſono vocis. *Et raptum vitulum.*] hoc verſu tangit fabulam Agaues. nam Pentheus Echionis & Agaues filius Thebarum rex Liberi patris ſacra contemnens, cum illo acceſſiſſet vbi illa celebrabãtur, mater furore & temulentia percita vna cũ reliquis Bacchis eum interemit, & ipſi omniũ prima caput abſtulit. vnde à luctu ſortitus eſt nomẽ. Nam pẽthos ſignificat luctum. Pagus autem ex quo Pentheus deductus & diſcerptus fuit Scolus appellatur ſub Citherone. Auctor Strabo. *Vitulo.*] Ouidius, aprum dicit viſum fuiſſe, vt ille mihi feriendus aper. more poetarum nomen pro nomine poſuit. vt Domitus Pollucis habenis, cum Caſtor equorum domitor fuerit.

Baſſaris.] Id eſt, Agaue ſacerdos Bacchi. nam Bacchæ Baſſarides dictæ ſunt à Baſſareo vno ex cognominibus Bacchi. Horat. Non ego te candide Baſſareu Inuitũ quatiã. A genere autem veſtis quã induebatur dictus eſt, vt Porphyrio ſcribit vſque ad pedes demiſſam, dictã vt Acroni placet à Baſſara loco Libyæ vbi fiebat. Tali enim veſte & numina vti dicũtur. vt Virg. Pedes veſtis defluxit ad imos. vt alij volunt ἀπὸ τῶν βήσσων. i. à vallibus per quas ſacrificantes feruntur. *Et Lyncẽ.*] animal eſt Baccho dicatũ. Virg. ij. Geor. Quid lynces Bacchi variæ. Eius animalis vrinam ſcribit Plin. vbi reddita fuerit glaciari in gẽmas carbunculis ſimiles. Oui. Victa racemifero lyncas dedit India Baccho, E quibus vt memorant, quicquid veſica remiſit Vertitur in lapidem, & cõgelat aere tacto. *Mænas.*] Sacerdos Bacchi à mæno. id eſt, furo.

Corymbis.] Vna eſt hederarũ, quæ Baccho ideo dedicatæ ſunt, quòd cum victor ex India vt dictum eſt rediret, coronas hederæ portauit.

Euion ingeminat.] Vox bacchantium eſt. nã Liber cum in bello giganteo dilaniatus à gigantibus, vt ſcripſit Orpheus, fuiſſet: Iupiter eum quærens magno clamore & lamẽtatione ita appellabat Euion. i. Bone fili. eu enim bene, hyos Græce filium ſonat Latine. quod poſtea in eius ſacris ſeruatum eſt, Ouid. in Arte amandi. Pars hymenæa canunt, pars euio euio clamant. *Echo.*] Reboatio ab ἠχῶ. i. reſonare.

Reparabilis.] Quæ repetit voces, quod fieri ſolet in locis concauis.

H*æc fierent ſi teſticuli vena vlla paterni.*] Indignatur poeta quod ſemper de Baccho tantũ Cybele ſcribat, & dura nimis & plena carmina, oſtẽdens id prouenire ex nimia poetarum incuria, qui ſi diligentius ſtilo ſuo vterentur elimatius ſcriberent. Eſt igitur ſenſus: Si nos haberemus aliquid maiorum noſtrorum, hæc à nobis non fierent.

Summa de lũbe ſal. hoc natat in labris.] id eſt, hoc tantũ poetis tẽporum noſtrorum in prõptu eſt, vt de Baccho & Cybele ſcribãt, quorũ ſacrifi-

ſacrificia communia fuiſſe apud Phryges auctore Strabone produntur. Nam ita Home. in Palamede chorum loquentem facit. Cum patre Libero laſciuiens, qui per idem lætatur cara cum matre tympanorum ſonitu & congregantes in vnum Silenum & Marſiam Olympum & tibiarum quærentes repertores, celebranteſque rurſus bacchia & phrygia ſimul conferunt. *Delumbe.*] Veluti ſolutum & eneruе, tanta repletione fertur carmen, qualia ſunt quæ præceſſerunt. ſcribit Tac. Ciceronem à Caluo male audiuiſſe tanquã ſolutum eneruem. à Bruto autem vt ipſius verbis vtar tanquam fractum & elumbem. *In labris & in vdo*] Exaggeratio eſt rei. nam idem eſt in ſaliua, in labris, in vdo. *Mœnas*] id eſt, Carmen de Baccho vt illa. Torua mimalloneis implerunt cornua bombis. *Atys.*] Propter id, Berecynthyus Atys. *Nec pluteum cedit.*] Incuriam notat poëtarum. Sic Horat. de Lucilio, & in verſus faciendo Sæpe caput ſcaberet, viuos & roderet vngues, Sæpe ſtylum vertens, iterum quæ digna legi ſunt Scripturus. nam in verſibus faciendis, cum res & verba non ſuppetant, præ indignatione plerunque poëtæ & pluteum percutiunt, & vngues rodunt cogitando quæ dicant. *Pluteum.*] Plutei crates erant corio crudo intextæ quæ ſolebant, vt ſcribit Feſtus, opponi militibus opus facientibus, & appellabantur militares. Nunc etiam tabulæ quibus quid præſcipitur eodẽ nomine ſignificantur. *Sed quid opus teneras.*] Monentẽ introducit ſibi cauendum eſſe ne ſupplicio afficiatur dũ tam aperte nobilitatem inſectatur, quaſi diceret ſuperuacaneum eſſe. *Teneras.*] Neronis potiſſimũ & cæterorum nobilium vt ſupra. Non ſi qua elegidia crudi Dictarunt proceres. *Radere.*] Reprehẽdere mordere, tãgere. Tractum à medicis qui cultro vulnera radere & reſecare ſolent. vt alibi Perſius. Pallentes radere mores Doctus. *Vide ſis ne maiorum.*] Æmulatio eſt. Horatius. O puer vt ſis Vitalis metuo, & maiorũ ne quis amicus Frigore te feriat. *Videſis.*] Id eſt, vide ſi vis, hoc eſt caue tibi, quia imperatiua verba velut contumelioſa ſunt, addebãt veteres ſis, quod ſignificat ſi vis. *Frigeſcant.*] Tibi frigida fiãt horrore mortis. vt illud Horatij, ne quis amicus Frigore te feriat, id eſt horrore mortis, vt Porphyrio interpretatur. Virg. in xij. De morte Turni. Aſt illi ſoluuntur frigore mẽbra, id eſt, morte. *Sonat hic de nare canina litera.*] i. in domo Neronis aut diuitum. Litera canina dicitur r, quam canes reſtrictis dẽtibus iterant. Lucilius. Irritata canis quod r r quamplurima dicat. Nam irritari dicuntur proprie canes. *Per me equidem ſint omnia protinus alba.*] Permiſſio eſt, non ex voluntate, ſed ſtomacho proficiſcens, id eſt, quantũ in me eſt, conceſſero omnia eſſe optima. *Alba.*] Candida, polita, ſine macula. *Nil moror.*] Magno cũ ardore hæc à poeta dicũtur, & præcipitanter legenda ſunt vt indignatio oſtendatur. *Nil moror.*] Quaſi præ timore abiturus ſit. ſequitur enim diſcedo. *Euge.*] Exultantis eſt, & aſſentientis. nam & ſe omnia

probaturum dicit. ironia eſt. *Omnes res eritis mira per me.*) Id eſt, ego laudabo poſthac omnia ſcripta quaſi mira & egregia, nec vllo loco carpenda. *Hoc iuuat.*] Eos irridet qui in aſſentationibus delectantur, & de ſcriptis ſuis quod diſpliceat nolint audire. *Hoc iuuat.*] Quaſi monitor dicat. Ita placet Perſi vt omnia laudes. *Hic, inquis, veto quiſquam faxit oletum.*] Allegoria eſt, id eſt, nolo quiſquã carmina mea reprehendat. *Veto.*] Hoc verbo veto innuit Neronem reprehendi, cuius eſt & vetare & imperare. *Hic.*] i. In carmine meo. *Faxit.*] faciat. Oletum ſtercus eſt humanum. Veranius: ſacerdotula in ſacrario Martiali fecit oletum. *Pinge duos angues.*] Veluti offenſus poeta, hoc dicto indignationem prorumpit. Senſus eſt. Si non vis tua carmina reprehendi, ea aliquo ſigno vt à me cognoſcantur tibi notanda ſunt.

Pinge duos angues. Nullum locũ auctore Seruio, antiqui putauerunt eſſe ſine genio, qui per anguem ſæpe oſtendebatur, vt pueri territi pictura ſerpentis locum vt ſacrum venerarentur, nec in eo meierent. vnde Virg. lib. 5. loquens de ſerpente qui è tumulo Anchiſæ exierat oſtẽdere id videtur. Incertus genium ne loci famulũ ne parentis Eſſe putet.

Sacer locus.) Ironia eſt, quaſi diceret carmina noſtrorum poetarum tangenda non ſunt. *Diſcedo.*] Bene iratus ſe diſceſſurum minatur. ſic ſupra, Nil moror. *Secuit Lucilius vrbem.*] Indignatur eam ſibi libertatem ſcribendi eripi, quæ olim Lucilio & Horatio conceſſa fuit. nã ante occupatam rempublicã ab imperatoribus Lucilius mira carminis acerbitate multos nominatim inſectatus eſt. vnde Horat. de Lucilio. Aut læſo doluere Metello Famoſiſque Lupo cooperto verſibus: at qui Primores populi arripuit populúmque tributim. Lucilius poeta ſatyricus natus eſt vno anno antequã Carthago in ditionem Romanorum per Scipionem redacta eſt. anno autẽ ætatis 46. Neapoli mortuus eſt, & publico funere elatus eſt, quo anno Furius Bibaculus poeta natus eſt Cremonæ & Cymbri ſuperati ſunt à Mario. Secuit vrbem. veluti gladio dilacerauit. Iuu. Enſe velut ſtricto quotiens Lucilius ardens Infremuit, rubet auditor cui frigida mens eſt Criminibus. Horat. Qui ſale multo vrbem defricuit. *Te Lupe te Muti.*] Lupus & Mutius Albutius infames fuere tempore Lucilij. De Mutio ita Luci. Græcum te Albuti quàm Romanum atque Sabinum, Municipem ponti tutamen Centurionum. Et demum, Chære Tite Muti. *Genuinum fregit.*] Sumptum à canibus, qui irritati hunc & illum dentibus inceſſunt. Genuinum. genuini dentes ſunt homini nouiſſimi qui circiter 20. annum gignuntur, multis & octogeſimo. auctor eſt Plin. dicti quòd à genis, vt ſcribit Feſtus, pendeãt. *Omne vafer vitium.*) Mirum Horatij ingeniũ oſtendit, qui tanta carminis vrbanitate vitia hominum inſectatur vt eos etiã in riſum moueat. *Vafer.*) Afri perfidi ſemper ſunt habiti. vnde vafros homines dicimus callidos & aſtutos quaſi valde afros. *Ludit.*) Verſa-

tur vrget. *Præcordia.*) Vno nomine vt ſcribit Plinius exta in homine dicimus. *Populum ſuſpendere.*) Subſannare. i. per faſtidium quoddã deridere. Horat. Naſo ſuſpendis adunco. Naribus enim auctore Fabio deriſus, contemptus, faſtidium ſignificari ſolent. *Excuſſo.*) Extorto & moto vt fieri ſolet in deriſu. Horat. autem dixit Naſo adunco.

Men mutire nefas.) Ergo, inquit, Lucilio & Horatio tanta libertas conceſſa fuit, & mihi loqui non licet? cum interrogatione legendum eſt. Mutire eloqui. Ennius. Palam mutire homini plebeio piaculum eſt. Terent. in Andria. Nihil iam mutire audeo. *Nec cum ſcrobe.*) Alludit ad fabulã Midæ quæ talis eſt. Cum inter Marſiã, ſiue vt alij volunt, Pana & Apollinem, orta eſſet contentio de laude cantilenæ, victoriáque iudice Tmolo ſtaret Apollini, omnéſque Tmoli iudicium probarent, ſolus Midas Pani fauit. Quare Apollo iratus ei; vt aures aſininæ eſſent effecit. quam deformitatem cum velamentis tegeret, ſolus tonſor vidit. Verum cum id vereretur loqui, nec tamen reticere poſſet, effoſſæ telluri illud inſuſurrauit. Natæ inde harundines ſunt, quæ ventorum flatu agitatæ ſecretam turpitudinem Midæ indicauerunt. Hunc autem Gordij filium fuiſſe regem Phrygum ditiſſimum tradunt Herodotus libro primo, & Trogus vndecimo, cuius pater Gordius ab agricultura ad imperium eſt euectus. ab cuius nomine inter Phrygiam minorem & maiorem erat Gordiæ vrbs, in qua ſeruabatur plauſtrum quod olim Gordij fuerat. Midas autem ſanguine, vt ſcribit Euſebius, tauri epoto extinctus eſt. *Nuſquam.*] Diſtinguendũ eſt, & cum interrogatione & indignatione legendum. *Hic tamen infodiam.*) In hoc meo libello inſeram vt ille ſcrobi immurmurauit. perſtat in metaphora. *Vidi vidi ipſe libelle, auriculas aſini quis non habet.*) Hęc ſunt quæ velut ſecreta libello ſuo dicit ſe commiſſurum. hoc ſignificat neminem eſſe, qui vt laudis & aſſentationis cupidus non irrideatur, illud reſpexit. Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas.

Auriculas aſini quis non habet.) Id eſt, quis non irrideatur. receptum tamen eſt à Perſio ſcriptum fuiſſe auriculas aſini Midas habet, ſed quia in Neronem dictum videri potuiſſet, à Cornuto mutatum fuiſſe. nã is vt ſcribit Tranquillus tanta laudis cupiditate agitabatur, vt orationis carminíſque Latini coronã de qua honeſtiſſimus quiſque contenderat ipſorum conſenſu conceſſam ſibi receperit. *Vidi.*) Geminatio facta eſt mira excandeſcentia & riſu ſatyrico legendum. *Hoc ego opertum. Hoc ridere meum tam nil nulla tibi vendo Iliade.*) Hoc pendet ex ſtomacho eorum carminum. Ne mihi Polydamas aut Troiades Labeonem prætulerint: quaſi diceret hic libellus meus quẽ nullius precij eſſe dicitis, Iliadi Labeonis non eſt poſtponendus. hoc totũ in inuidiã Neronis dicit, qui & Troica ſcripſerit, id eſt, captiuitatem Ilij, quã ardente vrbe vt diximus cantauit, vt ſcribit Tranq. & tãtopere vt dictũ eſt Labeonẽ fouerit, quia de reb. Ilienſib. ſcripſiſſet. *Hoc opertũ.*) Hoc

occultum & ſecretũ meum propter id. Hic tamen infodiã. *Hoc ridere meum.*) Hinc monſtratur totã fere ſatyrã riſu legendã eſſe. Hoc pendet ex illo. Sed ſum petulanti ſplene cac hinno. *Tam nil.*) Quod Nero paruifacit & Romani. hoc illud ſpectat, Quis leget hæc, min' tu iſtud ais? nemo Hercule. *Nulla Iliade.*) Aut Labeonis, aut Neronis qui Troica, vt dictũ eſt, ſcripſit. Iuu. Nunquã cantauit Oreſtes, Troica nõ ſcripſit.

Audaci quicunq. afflate Cratino.) Hoc loco monet vulgi iudiciũ nõ eſſe magni faciendũ, ſed doctorum tantum virorũ, iuxta illud Horat. Neq. te vt miretur turba labores Contentus paucis lectoribus. Ait igitur ſe eos velle lectores eſſe ſui operis, qui diligẽter euoluerint & legerint comœdias Cratini, Eupolidis, atq. Ariſtophanis, qui tres comediæ priſcæ præcipui ſcriptores ciuiũ vitia fœcũdiſſima libertate notauerũt. Vnde Horat. Eupolis atq. Cratinus Ariſtophanéſq. poetæ: Atque alij quorũ comœdia priſca virorũ eſt. Si quis erat dignus deſcribi quod malus aut fur, Quod mœchus foret, aut ſiccarius, aut alioquin Famoſus, multa cũ libertate notabãt. Taliũ igitur iudicio vt doctiſſimorum ſtandũ eſſe docet. *Audaci.*) Vnicuiq. epithetõ ſuum dedit. *Iratũ.*) In vitia. *Eupolidem.*) Hic ducta vxore primitiali nocte mortuus inuẽtus eſt vna cũ puella. vnde Ouid. Sit tibi cõiugij nox prima nouiſſima vitæ. Eupolis hoc periit, & noua nupta modo. *Prægrandi cũ ſene.*) Ariſtophanẽ ſignificat, cuius ingenioſæ & attici ſalis plenæ extãt comœdiæ. *Prægrandi.*) An ad ingenij excellentiã, an ad ætatem retulit. Nã vtroq. natu maior fuit Olympiade 88. claruit, iiſdẽ fere tẽporibus, quib. Pericles mortuus eſt. *Aſpice, & hæc.*) i. Satyras meas. *Si forte aliquid decoctius audis, Vnde vaporata lector mihi ferueat aure*) Sẽſus eſt, vide nũ in meo libello aliquid inuenias boni ex quo lector mihi cõcilietur & feruentior fiat ad mea ſcripta legenda. Modeſtiſſime poeta declarat opus ſuum vtile. *Decoctius.*) Perfectius, ſuauius. trãſlatio eſt ſumpta à vino quod ad dulcedinẽ coquitur. *Vnde.*) Ex quo, vnde legendum eſt nõ inde. *Lector ferueat mihi.*) Cũ feruore & ardore ſcripta mea legat. *Vaporata aure.*) Perſtat in metaphora. bene enim ſubdit vaporata, quia decoctius preceſſit. & itẽ illud, Afflate Cratino. Totũ enim eſt ab incendio ſumptũ. *Vaporata.*) i. vapore ſcriptorũ meorũ perfuſa. *Non hic qui in crepidas Graiorum ludere geſtit.*) Arcendos omnino affirmat rudes homines & vulgares, vtpote contẽptores virtutis & petulãtes, à ſui operis lectione. Non hic. ſubaudi ſit lector. nã hic pronomẽ eſt. *Geſtit.*) Delectatur. geſtire proprie eſt animi ſenſum geſtu corporis indicare. Terent. Quid geſtiã, aut quid lætus ſiem? & Virgil. Et ſtudio incaſſum videas geſtire laudãdi. *Ludere.*) Irridere. *Crepidas Graiorũ.*) i. philoſophos. nã crepidæ calciamenta ſunt philoſophorum. *Sordidus.*) Vitioſus, immundus circa virtutem. *Et luſco qui poſcit dicere luſce.*) Hominem intelligit inſulſum & procacem, qui fortuita vitia homini imputat.

Luſco.) Luſci dicuntur altero carentes oculo, aut qui parum cernũt. Iuuen. Ambos perdidit ille oculos,& luſcis inuidet. *Seſe aliquem credens Italo quod honore ſupinus, Fregerit heminas Areti ædilis iniquas.*) Eos irridet qui vel minima dignitate fungentes ita in ſuperbiã efferuntur vt alios præ ſe contemnant. Sícque hominis amentiam oſtendit.

Seſe aliquem.) Aliqui codices habent ſeſe aliquid credens, id eſt ſeipſum magnæ auctoritatis putans. *Supinus.*) Superbus, elatus, & erectus. vnde reſupinare oritur. Iuuenalis. Aulam reſupinat amici.& Plinius loquens de potu auium ſic ſcribit. Sed ex his quibus longa ſunt colla, intromittentes capite reſupinato veluti infundentes ſibi bibunt. *Aedilis.*) Ædiles præerant menſuris & minimi magiſtratus erant, adoleſcentéſque prima commendatione creabantur. Cicero Legum ſecundo. Suntóque ædiles curatores vrbis, annonæ, ludorúmque ſolennium, illíſque ad honoris amplioris gradum primus acceſſus eſto. *Fregerit heminas.*) Hoc erat vt diximus etiam officium. Iuuenalis. Et de menſura ius dicere, vaſa minora Frangere.

Heminas.) Genus menſuræ ſiue ponderis, drachmas ſexaginta, vt ſcribit Plinius pendens. *Areti.*) Pro Aretij. vt Pataui pro Patauij. nã oppida præter vrbem ipſam ædiles habebant. Cicero ad Brutum. Nã conſtituendi municipij cauſa, hoc anno ædilem filium meum fieri volui & fratris filium, & Marcum Ceſium. is enim magiſtratus in noſtro municipio, nec alius vllus creari ſolet. Aretium oppidum eſt Hetruriæ fictilibus celebre. nam ex terra aretina fictilia magna laude fiebant vt ſcribit Plinius. Mart. Aretina nimis ne ſpernas vaſa monemus: Lautus erat Thuſcis Porſena fictilibus. *Numeros abaco.*) Arithmeticos dicit qui numeros & figuras in abaco, id eſt, in tabella ad id accommodata deſignant. C.quam ob honorem Pythagoræ,Pythagoreã appellabant menſam,hyalini pulueris reſperſione coloratã, vt inquit Martianus Capella, ne in multiplicationibus, partitionibus, & podiſmis vnquã fallerentur,excogitatam deſcriptámque hunc Geometricũ puluerem Cicero, erudito epitheto honeſtauit. Eſt& in columnarum capitulis, quæ puluinata conformãtur Abacus, pars quædã, in qua & volutæ ſunt cum lineis, quæ catheri nominantur. S. Erat præterea abacus menſa in qua pocula potoria reponebantur. Iuuen. Vrceoli ſex ornamentum abaci. *Et ſecto puluere metas.*) Geometras deſignat, qui virga in terra ſigna & menſuras notant. *Multum gaudere paratus Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.*) Hinc hominis inſcitia oſtenditur, qui philoſophorum opprobriis delectatur.

Vellat barbam Cynico.) Philoſophi plerunque erant ludibrio. Horatius de ſtoico. Vellant tibi barbam Laſciui pueri, quos ni tu fuſte coerces Vrgeris, turba circum te ſtante, miſérque Rumperis, & latras magnorum maxime regum. *Cynico.*) Cynicorũ ſectæ princeps, auctore

auctore Laertio, Antiſthenes Athenienſis fuit, qui cũ doceret in gymnaſio quod cynoſargum appellabant, non longe à ianuis, cynicum cognomen ſuæ ſectæ dedit. Lactantius vero à canibus cognomen accepiſſe tradit his uerbis. Quid loquar de cynicis, quibus in propatulo coire cum coniugibus mos fuit? Quid mirum ſi à canibus quorum vitam imitantur, etiam vocabulum nomenque traxerunt? Cynos enim Græce, canis Latine dicitur. alij vero cynicos dictos eſſe putant, quod eſſent mordaces vt canes. nam Diogenes vt ſcribit Laertius, interrogatus quare canis diceretur, reſpondit, quia in eos qui dant blandior, in eos qui non dant oblatro, malos autem mordeo. Cynici nobilitatem & diuitias abiiciebant. Barbam. barbati enim incedebant philoſophi, vt alibi Perſius. Barba tum hoc crede magiſtrum Dicere. & Mar. Sic Pythagoræ loqueris ſucceſſor & hæres. Propendet mento nec tibi barba minor. *Nonaria.*] id eſt, meretrix quæ in lupanari poſt nonam horam proſtabat, cum ante homines in negociis occupari eſſent. Mart. Sufficit in nonam nitidis octaua palæſtris. Imperat extructos frangere nona toros. *His mane edictum.*] His cum contemptu legendum eſt, id eſt, his vt aſpernatoribus virtutum, hoc tamen curandum mando vt mane ædicta prætorum audiant & quærant, poſt prandia ſcorta petant. Edictum dicitur prætoris & conſulis, quo aliquid iubent aut prohibent fieri. *Poſt prandia Calliroen do.*] Multi Calliroen fabulam accipiunt, quæ in theatris ſæpius recitaretur. At ego Calliroen infamem mulierem puto quæ in temporibus poetæ in propatulo pudicitiam haberet. vnde Perſius iratus in huiuſmodi homines, vt virtutum prorſus contemptores ad ea reiicit quæ ſolent ſequi libenter. fons etiam eſt eiuſdem nominis auctore Plinio in Attica.

Poſt prandia.] Nam prandia hora nona ſumebantur, poſt eam horam, meretrices, vt diximus, proſtrabant. vnde nonariæ nomen accepere.

IN SATYRAM II.

HVNC *Macrine diem.*] Inuenio temporibus Perſij quendam fuiſſe Minutium Macrinum Brixianum virum magna quidem auctoritate & ſingulari modeſtia. de quo ita ſcribit Plinius. Patria eſt ei Brixia, ex illa noſtra Italia quæ multũ adhuc verecũdiæ antiquæ & frugalitatis retinet ac ſeruat. Pater Minut. Macrinus equeſtris ordinis ceps, quia nihil altius voluit. Allectus enim à diuo Veſpaſiano inter prætorios, honeſtam quietem huic noſtræ ambitioni dicam an dignitati conſtantiſſime prætulit. de hoc omnino poeta intellexit. Nam

inter vltima tempora imperij Neronis & prima Veſpaſiani, tres tantum interceſſere anni, vt temporibus Perſij in vrbe Macrinus equeſtri dignitate notus eſſet. Hunc igitur vt familiarem & amicum ſuum diem natalem celebrantem alloquitur, eius animi candorem laudās. Et ſatyræ non oblitus, ſtulta vota hominum arguit, eos in primis accuſans, qui nimia auaritia obſtricti, à diis nefaria & ſcelesta petunt, eoſque atque ac mortales muneribus capi credunt, docens deum hominum magis corde ſyncero quàm auro gaudere. *Numera meliore lapillo.*] Inter dies felices natalem Macrini dicit eſſe habendum ex Thraciæ gentis inſtituto, quæ vt ſcribit Plinius, calculos colore diſtinctos pro experimento cuiuſque diei in vrnam condit, ac ſupremo die ſeparatos dinumerat, atque ita lapillorum computatione vitam actam cognoſcit. Quod Plinius accuſans inclamat. Heu vana imprudens diligentia, numerus dierum computatur vbi queritur pondus. Hora. tamen eam conſuetudinem dicit fuiſſe Cretenſium. Creſſa ne careat pulchra dies nota. C hic ego Threſſa, non creſſa apud Horatium lego. vt apud Flaccum Argonanticon ij. libro, Caraſque thoris inducere Threſſas. S. *Apponit.*] Aſſignat, & computatione oſtendit. *Annos.*] Atteius Capito annum à circuitu temporis putat dictum, quia veteres an pro circum ponere ſolebant. vt Cato in Originibus oratorum. An terminum, id eſt, circum terminum. Et ambire pro circuire. Ad quod Virg. reſpexit Interea magnum ſol circū voluitur annum. *Fundere merum genio.* Ex Epicureorum ſententia, qui in omni lætitia hoc agebant. Vinum promendum eſſe dicit & animi relaxationi operam dandam. ſic Hora. Nunc eſt bibendum, nūc pede libero Pulſanda tellus. *Genio.*] Genium colere dicitur qui operam dat voluptati & animi relaxationi. Vnde Iuuen. Genialis agatur Iſte dies. vnde & genialis lectus dicitur qui nuptiis ſternitur in honorem Genij. Nam Genium appellabant deum qui vim obtineret rerum gignendarum. auctore Feſto. Aufidius. Genius, inquit, eſt deorum filius, & parens hominum ex quo homines gignuntur. Et propterea Genius meus nominatur, quia me genuit. Alij genium eſſe putauerunt vniuſcuiuſque loci deum, ergo indulgere genio dicimur, cum lautius viuimus, nec naturam defraudamus. Alibi Perſius. Indulge genio, carpamus dulcia. & contra Terentius. ſuum defraudans genium, id eſt, naturam ſuam. *Non tu prece poſcis emaci.*] Modeſtiam Macrini laudando, ſatyrica indignatione in eos conuertitur, qui à diis multis precibus diuitias & nefaria petunt.

Niſi ſeductis.] id eſt, niſi prius precibus & muneribus captis, ac perinde deceptis. Seducere enim eſt decipere, alias ponitur pro ſeorſum ducere & ſeparare: vt alibi Perſius. Niſi ſoleris luxuria ante ſeductum moneat. *At bona pars procerum ta. li. a.*] Senſus eſt. Multi quidem & omnes fere ſacrificia diis faciunt, ſed non omnes pie ſacri-

ficant, nec aperto & manifeſto viuunt voto. Nam quæ turpia ſunt, ea ſummiſſa voce & murmure ſuppreſſo petuntur: quæ vero honeſta diſſimulata prauitate, clara voce rogantur. *Bona pars.*] Magna.

Tacita.] id eſt ipſi taciti. *A cerra.* Vas eſt thurarium. *Humiles.*] Suppreſſos, ſummiſſos. *Mens bona, fama fides. hæc clare.*] Subaudi à diis petuntur. *Illa.*] .ſ. quæ ſequuntur. *Introrſum.*] Hora. Labra mouet metuens audiri, pulchra Lauerna Da mihi fallere, da ſanctum iuſtumque videri: Noctem peccatis & fraudibus obiicere nubem.

O ſi.] O & ſi optantis ſunt, quæ nunc iunguntur. Nam ſingula ante ponebantur. Virg. Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus Oſtēdat nemore in tanto. Ergo vnum vocat quantum ad antiquitatem. Virg. O mihi præteritos referat ſi Iuppiter annos. *O ſi ebullet.*] Hic ſui temporis immanem cupiditatem & auaritiam oſtendit. æmulatio eſt Horatiana. O ſi angulus ille Proximus accedat qui nunc denormat agellum. O ſi vrnam argenti ſors qua mihi monſtret. *Ebullet.*] Hunc ego locum emendaui. Nam cum omnes codices temporum fortaſſe & librariorum culpa ebulliat legant, animaduerti ebullet legendum eſſe, non ebulliat. nám ebullio ſecundam habet ſyllabam longam, & geminato ll, ſcribitur, vt alibi Perſius. Summa rurſus nō bullit in vnda. Hoc loco vero ſi ebulliat legeretur, corriperetur: ſenſus etiam nullus prorſus eſſet. Ebullet igitur legendum eſt: ſumptum à bulla quæ in aquis inſtar pilæ tumeſcit & facile rumpitur. Ouidius. Intumuit ſicut fuluo per lucida cælo Surgere bulla ſolet. & ſimul alluſit poeta ad id prouerbiū quod à Varrone in Re ruſtica recitatur. Homo bulla eſt. Eſt igitur ſenſus. vtinam funus patrui ebullet, id eſt, exeat & erumpat quo more rumpitur bulla. Sicque formatum eſt verbum ebullare, vt ampullare apud Horatius hoc verbo vſus eſt Celſus loquens de vrina. Si hæc craſſa, carunculas quidem exiguas, quaſi capillos habet, aut ſi bullat & male olet interdum quaſi arenam interdum quaſi arenam interdum quaſi ſanguinem tradit.

Præclarum.] Propter diuitias eius. *Seria.*] Genus vaſis fictilis. Terentius. Serias omnes releui. *Dextro Hercule.*] Amico & propitio, quem antiquitas fabulata eſt, vt ſcribit Diod. dixiſſe, qui ſibi poſtquam ad deos tranſlatus eſſet decimam bonorum dicarent, vitam felicem victuros. Quod & eueniſſe conſtat. Multi enim Romanorum non ſolum mediocri cenſu, ſed & qui ditiſſimi ſunt habiti, decimas Herculi vouerunt. Lucullus Romanorum ferme ditiſſimus æſtimatis bonis decimā Herculi partem dedit, epulas præbens continuas profundens multa. Templum inſuper iuxta Tyberim egregium Herculi condidere Romani in quo ex decimis ſacra deo offerūt. æmulatio eſt Horatij: Diues amico Hercule. *Impello.*] .i. inſequor vt proximior.

Expungam.] Deleam & ex hac vita auferam. tractum à militib. qui cum à militia remittuntur expungi dicuntur. G ij

Namque eſt ſcabioſus.] Lepide naturam auari expreſſit, qui dum auide hæreditatem expectat, hæc ſibi comminiſcitur. Scabies, auctore Celſo, durior cutis rubicunda, ex qua puſtulæ oriuntur quædam humidiores, quædam ſicciores. Exit ex quibuſdam ſanies, fitque ex his continuatis exulceratio pruriens. ſerpitque quibuſdam cito: atque in aliis quidem ex toto deſinit, in aliis vero certo tempore anni reuertitur: quo aſperior eſt quoque prurit magis, eo difficilius tollitur.

Acri bile.] Hanc Græci choleram nominauerunt, commune ſtomachi atque inteſtinorum vitium. ſupra enim infraque erumpit, primum aquæ ſimilis, deinde vt in ea recens caro lota videatur. Cornelius Celſus. Is vero qui nauigauit & & nauſea preſſus eſt, ſi multam bilem euomuit, vel abſtinere cibo debet, vel paulum aliquid ſumere.

Nerio iam t. d. v.] Auarus nimia auri cupiditate in omne ſcelus euocatur: nam ita hoc intulit poeta, vt oſtendat auarum cogitare & expetere quæ ab aliis ad opes acquirendas turpiter facta ſunt, quaſi non turpe futurum ſit ſi & ipſe idem fecerit. Senſus eſt igitur. Nerius iam tres vxores ſuſtulit & locupletatus eſt. Ducitur verbo funebri vſus eſt, id eſt, ad buſtum fertur. Iuuen. Ducitur iratis plaudendum funus amicis. Virgil. Et triſtia funera ducunt. Nerio, nomen improbiſſimi hominis, quem ſibi imitandum proponit auarus. *Mane caput.*] Purgabantur antiqui ſi quo piaculo eſſent polluti, ſulfure, aqua, & igne. Ouidius. Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulfure luſtrat. Iuuenalis. Ter matutino Tyberi mergetur. *Et noctem fl. p.*] Quia dicitur etiam nox ſolo ſomno polluere, & ex pollutione piaculum committi. Virgil. Vndam de flumine palmis Suſtulit. C. Veteris fuit ſuperſtitionis meticuloſa ſomnia, ablutione purgare, id quod apud Æſchylum obſeruatum eſt, & docuit in Batrachis Ariſtophanes ὡς θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω. id eſt, Vt diuinum ſomnium abluam. Huc igitur reſpexiſſe videtur hoc loco Perſius. S. *Heus age reſponde.*] Hæc interrogatio eo tendit vt oſtendat talia vt turpiſſima diis minime grata ac ideo eos iraſci. *De Ioue q. ſ.*] Quaſi dicat, credisne hæc deo placere? id eſt non ſcis Iouem iuſtum eſſe & ei res nefarias diſplicere? *Eſt ne vt præponere cures h. c.*] id eſt, an debes Iouem pietate & iuſtitia omnibus antefacere?

Vis Staio.] Staius Albius Oppianicus vir fuit ſceleratiſſimus & nocentiſſimus temporibus Ciceronis, qui Cluentiam vxorem, & C. Oppiniacum fratrem & eius vxorem grauidam iam appropinquante partu veneno ſuſtulit, vt mulier & quod erat ex fratre conceptum necaretur. Aſinium item Larinatem adoleſcentem pecunioſum Romam blanditiis allectum Arulij opera interfecit. Qui poſtea accuſatus ab Aulo Cluentio Scaleno vni ex iudicib. grandē pecuniā dedit, & tamen cōdemnatus. Hic ergo pro ſceleſto homine Staiū poſuit, Vnde

argumentum hoc ſit, certe auare ſi hæc vota quæ ad deos facis Staio nocentiſſimo & perfido homini diceres: Staius veluti votorum turpitudine attonitus Iouem inuocaret. nã & mali ſentiunt quid turpe & nefarium ſit, idque plerunque illis diſplicere ſolet. Erit igitur ſenſus horum ſex carminum. Ioui vt iuſtiſſimo turpia non videbuntur, quæ Staio homini nocentiſſimo diſplicebunt? eritque argumentum à minori ad maius. *Quis potior iudex.*] Vt ſit ſenſus. Iuppiter quidem iuſtior omnino eſt. *Pueris or.*] Orbus dicitur quicunque aliqua re chara priuatus eſt. Proprie autem parens amiſſis liberis quaſi amiſſa luce oculorum. Contrà, filius etiam dicitur orbus qui priuatus eſt parentibus. Terent. Orbæ qui proximi ſunt, iis nubat. inde eſt orbitas & verbum orbare. *Hoc igitur.*] ſcilicet votum tuum.

Clamet.] Voti atrocitate. *Seſe non clamet Iuppiter ipſe*] Deum oſtendit iraſci iniquis votis hominum. *Ignouiſſe putas.*] Tacitæ obiectioni per ironiam occurrit. *Sulfure diſcutitur ſa.*] Id eſt, fulmine. Nam fulmina & fulgura quoque vt ſcribit Plin. Sulphuris habent odorem, ac lux ipſa eorum ſulfurea eſt. Vergilius. Et late circum loca ſulfure fumant: *An quia non fibris ouium, Ergennáque iubente, Triſte iaces lucis euitandúmque bidental?*] Senſus eſt. quia Iouis fulmine non periiſti, putas tibi concedi vt etiam impune barbam Iouis extirpes, id eſt, omnia ſcelera facere liceat? Bidental. Cum fulgura cadebant ſtatim fulgurum procuratores aderant, qui locum cæſis bidentibus expiarent, quod clauſum & ſeptum bidental à bidentibus, teſte Feſto appellabatur. Iuuen. Atque aliquis ſenior qui publica fulgura condit. Horat. Triſte bidental Mouerit inceſtus. *Triſte.*] Mali ominis.

Ergenna.] Nomen proprium conditoris fulgurum. Lucus vbi frequentius fulmen cadit. *Euitandum.*) Vt mali ominis & ſacer locus.

Barbam ſto.] ſcilicet, Iouis, quem tu auare ſtolidum putas. alluſio eſt ad illud Dionyſii Syracuſani qui Epidauri Æſculapio barbam auream demi iuſſit, cum affirmaret non conuenire patrem Apollinem imberbem, & ipſum barbatum conſpici. Alij tamen ſtolidam barbã hominis ſtolidi interpretantur. quaſi dicat. nec homini miſero & ſtolido iniuriam faciendam. Sed ſuperior melior eſt ſententia.

Aut quidnam eſt qua tu mercede.] Irriſio eſt in eos qui victimis & muneribus capi deos putant. *Qua tu mer. deorum eme. a.*] Ironia eſt, qua te credis emi aures deorum vt inclinentur ad turpia vota.

Pulmone & lactibus vnctis.] Cum interrogatione & ironia, quaſi oſtendat poeta maieſtatem diuinam hiſce ſacrificiis non moueri, ſed hominum mente pura & corde ſyncero inclinari.

Lactibus.] Inteſtina eſſe lactes ſcribit Plinius, quæ à ventriculo incipiunt in oue & homine, per quas labitur cibus. in cæteris eæ Ilia appellantur.

Ecce *auia.*) Vanam mulierum ſuperſtitionem & inania vota accuſat. *Matertera.*] Soror matris, quaſi mater altera.

Infami digito.] Medio quem Mart. impudicum appellat. Oſtendit digitum ſed impudicum Alconti. de hoc intellexit & Iuuen. Mediúmque oſtenderet vnguem. Nam oſtendere medium digitum opprobrium erat. *Luſtralibus.*] Expiabilibus. *Saliuis.*] Hominis ſaliuam magnos habere effectus docet Plinius. Nam ita deſpuimus comitiales morbos, hoc eſt contagia regerimus. Simili modo & faſcinatores repercutimus ſiniſtræ, dextræque clauditatis occurſu.

Vrentes oculos.] Id eſt, Faſcinatorios. Virgilius. Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. Tradit Iſigonus in Triballis, & Illyricis quaſdam familias eſſe quæ viſu effaſcinent, interimántque quos diutius intueantur iratis præcipue oculis. quod eorum malum facilius ſentiunt impuberes. *Spem macram.*] Nihil enim aliud eſt in puero præter ſpem. vnde Virgilius. Per ſpem ſurgentis Iuli.

Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.] Id eſt, auia ſiue matertera multis votis optat, & precatur infantem fieri ædium & agrorum Licini & Craſſi hæredem. Nam Licinum diuitem fuiſſe oſtẽdit Martialis. Altáque cum Licinis marmora puluis erunt. Eiuſdem meminit Iuuen. Ego poſſideo plus Pallante & Licinis. Idem alibi. Diſpoſitis prædiues hamis vigilare cohortem Seruorum noctu Licinus iubet, attonitus pro Electro ſigníſque ſuis Phrygiáque columna. Eum vnum fuiſſe ex Cæſaris Auguſti libertis principis indulgentia prædiuitem placet intelligere. ſic enim ſcripſit Tranquillus. Multos libertorum in honore & vſu maximo habuit, vt Licinum, Enceladũ, alióſque Craſſus, vt ſcribit Valerius & Plinius cognomento dictus eſt diues primus omnium Romanorum, poſtea decoxit. irriſione tamen occurrentium ſalutabatur diues. Qui à Parthis cæſus fuit, diues appellatus non eſt primus, ſed hic de cuius ædibus ſic Martialis. Altáque cum Licinis marmora puluis erunt. *Quamuis albata rogarit.*] Veſtibus albis ſacrificantes vtebantur. Nam vt ſcribit Cicero in legibus color albus præcipue decorus deo eſt cum in cæteris, tum maxime in textili. Horatius alios ve dierum Feſtus & albatus celebret.

Poscis *opem neruis.*] Eos irridet qui ſibi vires in corpore dari petunt, cum ad eas aſſequendas nimius epularum luxus omnino obſtet. *Eſto age.*] Concedit hoc turpe non eſſe votum, ſed epulis & crapula vires corporis impediri. *Tuceta.*] Genus eſt farciminis ex carnibus ſuillis minutim conciſis. *Rem ſtruere exoptas cæſo boue.*] Inſurgit riſu ſatyrico in eorum inſcitiam qui quotidianis ſacrificiis & pecudum mactatione ſperant greges ſuos auctum iri, cum omnino aſſiduo ſacrificiorum officio minuantur. *Struere.*) Congerere & cóaceruare. Vnde ſtruem lignorum dicimus, id eſt congeriem.

Caſo boue.] Hinc enim vt ſcribit Plinius victimæ optimæ & laudatiſſima deorum placatio. *Mercurium.*] Deum lucri. nam à mercibus dictus eſt, hunc enim negociorum omnium affirmabant eſſe deum, auctor eſt Feſtus. *Fibra.*) Sacrificio. Nam vt Var. ſcribit antiqui fibrum dicebant extremum. vnde in ſagis fimbriæ, & & in iecore extremum, vt diximus ſupra, fibra dicitur. *Fortunare.*) Eodem verbo vſus eſt Cicero in Epiſtolis. Tibi matrimonium dij fortunent. Horatius. Tu quamcunque deus tibi fortunauerit horam.

Penates.) Macrobio dicuntur quòd per eos penitus ſpiremus. apud poetas ſæpenumero pro domo ponuntur. *Quo peſſime pacto.*) Subaudi à ſuperioribus dabitur, vt ſit quo pacto dabitur quod optas. Sícque arguit eum dementiæ qui putet gregem augeri, cum quotidie ſacrificiis minuatur. *Iunicum.*) Boues ſunt iuniores.

Omenta.) Omentum inteſtinum eſt, auctore Celſo ex interiori parte leue & ſtrictum, de ſuperiore mollius, cui adeps quoque innaſcitur, quæ ſenſu ſicut cerebrum quoque & medulla caret. Plinius Omentum membranam potius eſſe declarat, cum ait ventriculi atque inteſtina pingui ac tenui omento integuntur, præterquam oua gignentibus. *Extis.*) Dicta exta auctore Feſto, quòd ea diis proſecentur, quæ maxime extant eminéntque. *Ferto.*) genus libi dictum teſte Feſto, quod crebrius ad ſacra ferebatur, nec ſine ſtrue altero genere libi, quæ qui afferebant ſtruferarij dicebantur.

Opimo.) Pingui ab Ope quam terrã voluerunt ſignificare. eo quod omnes opes humano generi terra tribuat, vnde & opulenti terreſtribus rebus copioſi, & hoſtiæ opimæ præcipue pingues, & opima magnifica & ampla ſpolia. *Intendit.*) perſeuerat. *Iam creſcit ager, iam creſcit ouile.*) Satis lepide naturam hominis cupidi expreſſit, qui iam ob ſacrificia facta putat deorum beneficio res ſuas augeri, cum tamen potius minuantur. *Iam.*) Irriſio eſt poetæ. *Donec nummus deceptus.*) Senſus. Tot quidem ſacrificiis à diis opes petiit, vt iam arca nummis exinanita ſit, & ne nummus quidem in ea viuat, ſatíſque philoſophice oſtendit poeta, vt dictum eſt, à diis ſtulta vota non exaudiri.

Deceptus.) Eo quod nihil à diis impetrauit. *Nequicquam.*) Id eſt, non. alibi Perſius. Nequicquam extrinſecus intrat Quod neruos agitet. aliàs pro fruſtra ponitur. Virgil. Arma diu ſenior deſueta trementibus æuo Circumdat nequicquam humeris. *Suſpiret.*) Id eſt viuat, ſumpta metaphora ab animantibus. *Si tibi crateras argenti.*) Senſus eſt, tantæ quidem cæcitatis es, vt ſi qua ad te dona tulero ſtatim lætitia afficiaris, putéſque ea diis ob ſacrificia facta tibi miſſa, & ideo deorum imagines & ſimulacra inaures, vt diuini beneficii memor & gratus. *Incuſa.*) Ab eo venit, quod eſt incudo ab vltimo ſupino: Vnde incuſo & accuſo. Incuſa ergo ſculpta & ſignata.

Sudes.] Nimia lætitia. *Pectore læuo.*] Vbi ſedes eſt cordis.

Excutias.) Emittas, effundas. *Hinc.*] Ex donis acceptis.

Auro ouato.] Aut ideo dixit ouato, quòd imagines quæ inaurantur, ouo prius linuntur à pictoribus. Nec illud tamen obſtabit quod ouum primam habet longam: nam multa inueniuntur in auctoribus, quæ primitiuorum naturam non ſequuntur. vt farina. nam etſi à farre deriuatur, prima tamen corripitur. Aut ex pecunia prædacea. Nam vt ex A. Gellij Noctibus Atticis percipi licet ex pecunia quæ ex præda vendita colligebatur, quas manubias appellabant, Duces ſimulacra & deorum imagines in templis erigebant. verba ſunt A. Gellij. In faſtigiis fori Traiani ſimulacra ſunt ſita circum vndique inaurata equorum atque ſignorum militarium, ſubſcriptúmque eſt è manubiis. Huic teſtimonio eſt L. Metellus Dalmaticus qui Aſconio auctore ædem Caſtoris de manubiis extruxit. Erant enim imperatorum manubiæ, ex quibus quid vellent facerent. Auro igitur ouato intellige ex pecunia prædacea, ex qua vt dixi, ſæpe & templa & alia in honorem deorum extruebantur.

Ouatus.] Eodem modo dicitur ab ouare, vt triumphatus à triumphare. Ouantes vt ſcribit Feſtus dicti ſunt ab oo clamore. quem faciunt milites redeuntes ex pugna, geminata oo litera. quod eſt lætitiæ. Ratio ouandi & cauſa eſt, vt tradit Aulus Gellius, cum bella non rite neque cum iuſto hoſte geſta ſunt, aut hoſtium nomen humile & non idoneum, vt ſeruorum, piratarum, aut deditio ſolito citius facta, aut incruenta victoria. Ingrediebantur vrbem pedibus ſequentibus eos non militibus, ſed vniuerſo ſenatu.

Perducis facies ſacras.] Hóc inuidioſe in mores temporum ſuorum. Nam auro & argento placatiores putabant futuros deos, cum fictilibus magis propitij ſupplicantibus eſſent ita ſcribente Seneca. Exurge modo, & te quoque dignum finge deo. Finges autem non auro nec argento. non poteſt in hac materia imago dei exprimi. Quin cogita illos, cum propitij fuiſſent fictiles fuiſſe. Perduci proprie dicuntur imagines ex gypſo & marmore.

Facies ſacras.] Simulacra & deorum imagines.

Nam fratres inter ahenos, ſomnio pituita qui purgantiſſimam.] Romæ vt quidam tradunt, in porticu quadam collis palatini fuerunt effigies filiarum Danai, & contra eas ſub dio totidem equeſtres, filiorum Ægypti. Ex iis autem ſtatuis quædam dicebantur poſtulantibus per ſomnium dare reſponſa. De hac porticu Ouidius intelligere videtur cum ait. Quæque parare necem miſeris patruelibus auſæ Belides & ſtricto ſtat ferus enſe pater. & idem alibi. Heſterna vidi ſpatiantem luce puellã Illa, quæ Danai porticus agmẽ habet. Eſt igitur

ſenſus

ſenſus inter imagines æreas quinquaginta fratrum eos in primis collêdos aſſumas qui vera ſomnia hominibus dant. Et eſt ironia. *Pituita* Omnis eſt humor corpori oneroſus, dicta, vt ſcribit Ælius, quia petat vitam, cui Etymologiæ Quintilianus minime aſſentit. ea eſt maxime narium, oculorum & aurium. Cornelius Celſus ita ſcribit. Diſtillat autem humor ex capite interdum in nares, quod leue eſt, interdum fauces, quod peius eſt. interdum etiam in pulmonem quod peſſimum eſt. Si in nares diſtillat, tenuis per has pituita profluit. Idem alibi. Oculos interdum occupat inflammatio vbi cum tumore in his dolor eſt, ſequitur pituitæ curſus. nonnunquam copioſior vel acrior, nunquam vtraque parte moderatior. Et paulo inferius. Sed fere tempore interpoſito pituitę curſus acerrimus ſequitur, exulceratis vehementer oculis aciem quoque ipſam corrumpit. Et alibi. Si pituitam acidam effudit, vtique ſumere cibum, ſed aſſueto leuiorem. Plinius: contra aurium pituitas vermiculoſque ſi decoquatur ad dimidias partes cum porro nouo capitato & ſectili. Nec corporis tantum humani eſt pituita, ſed & arborum. Plin. Fungorum leuior natura & numeroſa genera & origo non niſi ex pituita arborum. *Purgatiſſima.*) Quæ veriora habentur purgato per noctem pectore. *Aurum vaſa Numa Saturniáque impulit æra.*) Notat vt diximus tempora ſua quibus luxum remoto è templis ære & fictilibus in vſum cultus diuini vſurpatum eſt aurum, quo deos magis placari credebant, quod nunc poëta deridet ignorantiam hominum arguens, qui deos muneribus & auro delectari putant. in cuius rei inuidiam ita ſcribit Plin. Antiquior fuit plaſtice, quàm fundendi æris ars. ex ea enim dij fiebant & domus ciuium ornabantur & dij fictiles erant. eæ enim tunc deorum effigies erant laudatiſſimæ. Cicero in legibus, aurum & argentum in vrbibus & priuatum in phanis inuidioſa res eſt. *Vaſa numa.*] Fictilia. ſ. quibus Numa Pompilius ſecundus poſt Romulum Rom. rex in ſacris vtebatur. Is Curibus ſabinis agens vltro Romam vocatus ob inclytam viri religionem, ſacra plurima inſtituit, Ædem Veſtæ confecit, virgines veſtales legit. Flamines tres Dialem Martialem Quirinalem: Salios Martis ſacerdotes, Pontificem maximum creauit. Et vt ſcribit Plinius ſeptimum collegium figulorum inſtituit. *Saturnia æra*] Quæ Saturni tempore, id eſt, rudi illa ætate in ſacrorum celebratione erant in vſu. *Impulit*) Remouit, ex templis ſcilicet. *Vrnas*) Vrna proprie vas aquarium. dicta quaſi vrina ab vrinando, id eſt, ſub aqua nando. auctor eſt Varro. *Thuſcum fictile.*] Quo in ſacris prolibabatur, Plinius in ſacris quidem etiam inter has opes non myrrhinis, cryſtallinis, ſed fictilibus prolibatur ſympulis innocentius, templorum quoque faſtigia fictilibus ornabantur.

Thuſcum) Etruria auctore Plinio maxime plaſticem excoluit. Vnde Tarquinius Priſcus Tauriano à Fregellis accito, Iouis effigiem fictilem in capitolio dicandam locauit. Martialis. Lautus erat Thuſcis Porſena fictilibus.

O curuæ in terras animæ.) Acclamatio eſt cum riſu & indignatione in eos qui ex deſiderio ſuo deorum voluntatem ducunt. Curuæ in terras. Ad terrena ita inclinatæ, vt quid à vobis deus exigat non cõſideretis. Sicq; innuit, vt ſequentia docent, deum ad vota noſtra non moueri noſtris ſacrificiis, muneribuſue. ſed vt dictum eſt mente ſancta & iuſto animo. Nou ignoro à Lactantio Firmiano hoc carmen miris laudibus efferri. *Cæleſtium inanes.)* Quæ non cognoſcitis quod cæleſtibus gratum ſit, ac ſi diceret ſuperos non eiſdem moueri affectibus quibus mortales. *Noſtros immittere mores.)* Credere eadem quæ nobis grata ſunt dijs pariter placere. *Et bona dijs ex hac ſcelerata ducere pulpa.*] Idem dicit, poëtæ eſt exaggeratio. *Ducere.*] Iudicare, colligere. *Ex ſcelerata pulpa.*] Voluptate & deſiderio noſtro. Pulpa, inde fit pulpamentum. dictáque eſt auctore Donato, quod pulſetur & concidatur dum manducatur. *Hæc ſibi corrupto Caſiam.*] Oſtendit omnino deos non hominis munera, ſed puram mentem poſcere. Senſus eſt. ſi quando per veſtium aliarumue rerum luxum peccamus, ex eo tamen aliquam capimus vtilitatem. At aurum in templis nihil omnino dijs prodeſt, cum muneribus more mortalium non moueantur. *Diſſoluit.*] Diluit. Tempora ſua notat, quibus in tantum luxus in vnguenta proceſſerant, vt lini iam non ſolum, ſed & perfundi vnguentis gauderent, etiam veſtigia pedum tingerent, quidam etiam biberent, auctore Plin. *Caſiam.)* Vnguentum, Caſia enim auctore Plinio frutex eſt in Æthiopia Trogloditis connubio permixta iuxta Cinami campos naſcens. Fabuloſa tamen antiquitas princepsq́ue Herodotus narrauit Caſiam circa paludes Arabiæ colligi propugnante vnguibus diro veſpertillionum genere, aligeriſq́ue ſerpentibus, his commentis augentes rerum precio. *Oliuo.)* Quo vnguentorum odores optime ſeruantur. Plinius. Vnguenta optime ſeruantur in alabaſtris, odores in oleo. *Corrupta.)* Quia in vnguentorum odorem tranſit. Nam vnaquæque res alterius permixtione corrumpitur. Virgilius. Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui. *Coxit)* Tinxit infecit. *Vellus.)* Lanam. à vellendo. Nam ante tonſuram inuentam ex ouibus lanæ vellebantur, vnde etiam lana ſiue lanitium à laniando. *Calabrum)* Lanæ calabræ nobiliſſimæ habebantur. nam circa Tarentum oppidum Calabriæ Canuſiumque auctore Plinio ſummam nobilitatem habent. Vnde Var. ſcribit Tarentinas oues pellibus integi ne lana inquinetur, quo minus infici recte poſſit vellus vel lauari ac parari. *Murice.)* id eſt purpura. genus enim eſt conchilij, ex quo liquor elicitur tingendis

expetitus veſtibus purpuræ haudquaquam diſſimilis. Plinius: vidimus iam & bidentium vellera, purpura cocco conchilio ſeſquipedalibus libris inſecta, velut illa ſic naſci cogente luxuria. *Vitiato.)* Quia cum lanitium inficitur alienum colorem vitiat. Virgilius. Diſcet mentiri lana colores. Horatius Sed mala tollat anum vitiato melle cicuta. *Baccam.)* Id eſt margaritam. Horatius. Nec ſit marita quæ rotundioribus Onuſta baccis ambulet. Baccas proprie dicimus fructus lauri, fructus oliuæ, corni, loti quam fabam Syriacam vocant, myrti, lentiſci ſimiliumque. Acinos vero ſiue acina fructus minutiores arborum fruticumve denſius naſcentes nominamus, cum baccæ naſcantur diſperſius & rarius. Inter Acinos igitur numerantur vuæ grana, hederæ grana, ſambuci grana, ebuli grana, malpunici grana & morum, & quicquid his ſimile. Supra hæc autem poma dicuntur, duntaxat quibus veſcimur. Ceraſium & prunum & meſpilum poma, nec acini baccæ nominantur. Glans in numerum iſtorum non venit, ſyluestris enim & paſtio pecorum eſt. Caſtanea in nuces refertur. Vnde Virgilius. Caſtaneaſque nuces, ſicut pinus, corylus, ſiue à loco auellana amigdalus, iuglans, & ſi qua his ſimilia non poma dicuntur, ſed nuces. Nonnunquam tamen Acini & Baccæ indifferenter ponuntur. vt Virgilius. Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem. *Concha.)* id eſt, vnionum matris. Margaritiferæ enim conchæ origo atque genitura haud multum oſtreorum conchis differens. Has vbi genitalis anni ſtimulauerit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſido conceptu tradunt, grauidas poſtea eniti, partumq; concharum eſſe margaritas pro qualitate roris accepti. Si purus influxerit candorem conſpici, ſi vero turbidus & fœtum ſordeſcere. Indicus maxime hos mittit oceanus. Laudantur præcipue circa Arabiam in Perſico ſinu maris rubri *Raſiſſe.)* Auelliſſe, ſic enim auctore Plinio conchis adhæreſcunt vt ijs niſi lima auelli non queant. *Stringere venas feruentis maſſæ crudo de puluere iuſſit.)* Aurum vt ſcribit Plinius, tribus modis inuenitur, fluminum ramentis, nec vllum abſolutius aurum eſt, vt curſu ipſo tritu que perpolitum. Alio modo puteorum ſcrobibus effoditur, aut in ruina montium. Quod puteis foditur, canalitium vocant. Quod effoſum eſt tunditur, lauatur, vritur, molitur in farinam, quæ deinde igni excocta in maſſas redigitur. Senſus eſt. Aurum quoque ex venis terræ petitum eſſe. Hocq; inuidioſe in tempora ſua, quibus auri intantum luxuria adoleuit, vt auctore Plinio fibulæ tribunitiæ ex auro geſtarentur, mulierum quoq; pedibus ſubijceretur, atque in omnibus obſcœnis deſiderijs vſurpatum fuerit. *Stringere)* In vnum conflare, vnde auctore Plinio ſtrigiles Hiſpania vocat auri paruulas maſſas, quod ſuper omnia ſolum in maſſa auramento capitur. *Venas.)* id eſt aurum, quod per terræ ſiue marmoris venas colligitur. *Feruentis)*

Quæ dum tunditur ferueſcit. *De crude puluere.*] Qui nondum exco-ctus eſt. *Dicite pontifices in ſacris quid facit aurum.*] Oſtendit poëta ſuperuacuum eſſe aurea vaſa templis inferri, quod non ſanctitatis, ſed auaritiæ, ſit inſtrumentum. vnde infert ſatius eſſe deo, quem recte colas, inferre pro munere Compoſitum ius faſq; animi, ſanctoſque receſſus Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto. *Pontifices*] Varro ſcribit dictos eſſe à ponte ſublicio, quem ſupra tyberim primum fecerunt, & ſæpe reſtituerunt. Maximum autem dictum eſſe pontificem ſcribit Feſtus quod maximus rerum quæ ad ſacra & religionem pertinent iudex ſit, vindexque contumaciæ priuatorum magiſtratuumque. *Donata à virgine puppa*] Puellæ virginitati renunciantes puppas in templis Veneri dedicabant, quemadmodum pueri excedentes pueritia apud lares id eſt deos familiares bullam ſuſpendebant, vnde alibi Perſius: Bulláque ſuccinctis laribus donata pependit. *Puppæ.*] Imagines pullares quæ in delicijs ſunt puellarum, nomen ductum à puppa, quam antiqui puellam & puppum puerum appellabant. Varro auctore Nonio. Mammam lactis ſugentem poſcere puppum.

Quin damus id ſuperis.] Docet eorum mentem vt ſcribit Cicero pro A. Cluentio, pietate & religione & iuſtis precibus non contaminata ſuperſtitione neque ad ſcelus perficiendum cæſis hoſtijs placandam eſſe. *Quin.*] Hęc particula increpantis eſt, ſemperque indicatiuo coniungitur. Virgilius. Quin tu aliquid ſaltem potius quorum indiget vſus. Viminibus mollíque paras detexere iunco? *De magna q. d. l.*] Meſſalinum Cottam Meſſalę oratoris filium more ſatyrico per tranſitum notat, qui in luxum gulæ vt ſcribit Plinius palmas pedum ex anſeribus torrere: atque patinis cum gallinaceorum criſtis condire reperit, Senſus eſt. Superi ea re nobis placandi ſunt quam de ſe Meſſalinus præſtare non poteſt, hoc eſt non opimis victimarum ſacrificijs quæ tantum Meſſalinus vt diues dare poteſt, ſed mente pura & corde ſyncero, cum non opimas hoſtias, ſed puram hominum mentem diuina maieſtas deſideret. *De magna lance*] id eſt, diuite magni Meſſalæ oratoris qui magnificas habuit ædes, quæ cum domo Licini certabant. Martialis. Et cum rupta ſitu Meſſalę ſaxa iacebunt, Altáque cum Licini marmora puluis erunt. *Lippa propago.*] Lippi proprie dicuntur quibus oculi ſtillant. ſed à poëtis pro vitioſis ponuntur, id ad animum, quod corporis eſt transferendo. Horatius. Criſpini ſcrinia lippi. Perſius alibi. Patres infundere lippos Cum videas. *Compoſitum ius faſq;*] id eſt ita viuas: vt nihil contra leges humanas diuinaſque committatur. Iuris enim præcepta ſunt hæc, honeſte viuere, nemini iniuriam facere, quibuſcunque ſi poſſumus prodeſſe. Fas vero dicimus quicquid dij permittunt, nec cum ſit iraſcuntur. Ergo ius humanum, fas diuinum dicimus. Virgilius. Sæpe etiam feſtis quædam exercere die-

bus, Fas & iura ſinunt. *Compoſitum*] Simul vtrunque poſitum. Sicq; monet non ſatis eſſe ad bene beatéque viuendum, alterum ſine altero præſtari. C. Compoſitum ius, ego æquum, & legitimum interpretor atque etiam deſcriptum, & ſanctum, quæ omnia iuris epitheta ſunt ab autoribus vſurpata. S.
Animi ſanctoſque re. men.] Nihil turpe in animis noſtris cogitemus, per quod oſtendit à nobis facile deos placari poſſe, ſi & opere & cogitatione recte vixerimus. *Sanctos receſſus*] Puras & ſanctas ſedes mentis. *Pectus incoctum*] Perfectum. ſic enim vocabant antiqui, vt dictum eſt, aliquid longi temporis coctum quaſi perfectum, vt eſt illud Virgilianum. Solidum nodis & robore cocto. ſumptum ab his rebus quæ igni excoctæ, quod in ſe habent cruditatis deponunt, & mites & perfectæ fiunt. *Generoſo honeſto.*] Naturali honeſtate. *Hæc cedo vt admoneam templis, & farre litabo.*] Senſus eſt, ſi hæc quæ dixi præſtiteris, ſola quidem mola dij placabuntur, id eſt facile tibi obſequentur & preces tuas exaudient. Cedo verbum eſt defectiuum apud comicos celebre, id eſt da. Teren. Quin tu argentum cedo. *Farre.*] Mola, quæ ſale & farre toſto conſtabat.

NEMPE HOC ASSIDVE] Iuuentutis temporum ſuorum deſidiam, & circa virtutem negligentiam inſectatur, quæ maiorum diuitijs auctoritateque contenta bonas artes non curat. Monetque virtutibus & diſciplinis dum tenera eſt ætas vacãdum eſſe. partes ſuas ad reprehendendum perſonæ dat introductæ. Hoc aſſidue, legendum eſt cum indignatione & reprehenſione & geſtu adiuuandum eſt; ſub audi facis, vt fit, ſemper quidem ſtertis. Sequitur enim ſtertimus, *Aſſidue.*] Hinc erumpit fremitus poëtæ quod hoc aſſidue faciat.
Clarum mane.] Hoc loco mane quia nomini adiunctum eſt, nomen efficitur. Virgilius, Mane nouum. aliàs aduerbium eſt. *Deſpumare.*] Coquere, ſumptum à vino, quod per multam ſpumam coqui ſolet ad dulcedinem. Lucanus. Indomitum Meroe cogens ſpumare falernum *Indomitum*] Durum, difficile, incoctum. *Falernum*] Secundam nobilitatem falerno vino dedit Auguſtus cum Setinum vinum cunctis prætuliſſet, dictum vt tradit Silius Italicus à Falerno agricola qui primus eas vites coluiſſe dicitur. vt autem placet Plinio à Falerno agro Campaniæ, vnde Martialis: Scelus eſt iugulare Falernum, Et dare Campano toxica ſæua mero. nam Falernus ager à ponte Campano læua petentibus vrbanam Coloniam Syllanam Capuæ contributam, incipit nigri coloris eſſe. Martialis docet. Candida nigreſcant vetulo cryſtalla falerno. Idem alibi. Marmorea fundens nigra falerna manu.
Quinta dum linea tangitur vmbra.] Hic indignatur quod ea hora ſtertat qua in negocijs homines maximè exercebantur. Martialis. In quintam varios extendit Roma labores.

Vmbra quinta.) Horarum obſeruatio auctore Plinio apud Romanos varia fuit. duodecim enim tabulis ortus tantum & occaſus nominabantur. Poſt aliquot annos adiectus eſt & meridies accenſo conſulum id pronunciante, ſed hoc ſerenis tantum diebus, vſque ad primum Punicum bellum. M. Var. Romanis ſolarium horologium primum ſtatutum in publico ſecundum roſtra in columna tradit bello Punico primo. M. Valerio Meſſala conſule, Catina capta in Sicilia, deportatum inde anno vrbis quadringentiſimo ſeptimo: neccongruebant ad horas eius lineæ. Paruerunt tamen ei annis vndecentum. Nubilo tamen tempora incertæ fuere horæ vſque ad Scipionem Naſicam, qui primus aqua diuiſit horas æque noctium ac dierum. Idque horologium clepſydra appellatum eſt. Vmbrarum rationem, quam vocant gnomonicem inuenit Anaximenes Mileſius, Anaximandri & Thaletis diſcipulus: primus horologium quod appellatur Sciotericon Lacedæmone oſtendit. *En quid agis.*) Alia increpatio in deſidem. *Siccas meſſes.*) Ea hora eſt diei qua in agro ſegetes calore ſolis torrentur, & tu dormis, ſicque cum indignatione & reprehenſione legendum eſt.

Inſana Canicula.) Caniculę vt ſcribit Plinius ex ortu, ſolis vapores intenduntur, feruent maria, fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna, & canes auctore eodem toto eo ſpatio maxime in rabiem aguntur. vnde inſanam dixit, id eſt, non ſalutiferam. Caniculæ ſyderi frugibus, vt ſcribit Varro, inimico rufæ canes immolabantur, vt fruges flaueſcentes ad maturitatem perducerentur. Inter ſolſtitium & caniculam eodem auctore plerique meſſem faciunt. *Coquit.*) Maturat. *Patula pecus omne ſub vlmo.*) Circiter enim meridianos æſtus, paſtores oues dum deferueſcant ſub vmbriferas rupes & arbores patulas ſubijciunt, quo ad refrigerato aëre veſpertino, rurſus paſcant ad ſolis occaſum.

Vnus ait comitum.) Hoc cum ſuperioribus coniungitur, vt ſit ſenſus. Vnus comitum dixit quæ præceſſerunt deſidioſo.

Verumne.) Verba deſidis, ſubaudi eſt, vt ſit, Verumne eſt ita diem eſſe?

Ocius adſit huc ali.) Argute ſatiſque lepide deſidis naturam expreſſit qui repentino impetu ferri videtur cum eum ſtatim laboris tædeat.

Nemon.) Æmulatio eſt Horatij. Nemon' oleum fert ocius, & ea voce legendum qua irati inclamant. *Turgeſcit vitrea bilis.*) Verba poëtę irridentis tam ſubitum ad virtutem apparatum quem celerrime ſcit defecturum. Vitrea an inflata & tumida, vt vitrum quòd ab artifice fiſtula inflatur. vt ideo vitrea dixerit quia turgeſcit præceſſerit. An quod magis placet, lucida & clara quæ hominem omnia effundere & aperire cogitatione vnde Horatius dixit. Splendida bilis. vndeললbilioſus vomitus dicitur. *Finditur.*) Rumpitur præ nimia. indig-

natione nullum ſibi adeſſe. *Arcadia pecuaria.)* Verba poëtæ irridentis. *Arcadiæ pecuaria.)* Aſinos quos egregios progenerat Arcadia. Plinius de his ita ſcribit. Sed mularum maxime progeneratione patria etiam ſpectatur in his Arcadibus in Achaia, in Italia reatinis. De iiſdem ſic Strabo vbi loquitur de Arcadia. Fertilia autem pecori paſcua præſertim equis atque aſinis equarum ſuppoſitoribus. Varro autem ſic ſcribit. Hoc enim nomine aſini Arcadici in Græcia nobilitati, in Italia Reatini. hinc eſt illud Iuuenalis. Nil ſalit Arcadico iuueni, id eſt aſinino. *Rudere.)* Perſius primam producit. Alij vero auctores corripiunt. Virgilius. Grauiterque rudentes. Et ſera ſub nocte rudentum. Ouidius. Vt rudit à ſcabra turpis aſella mola. *Iam liber.)* Chartam Alexandri magni victoria repertam fuiſſe, auctor eſt Marcus Varro, condita in Ægypto Alexandria, antea non fuiſſe chartharum vſum. Palmarum folijs primo ſcriptitatum? deinde quarundam arborum libris. vnde libri nomen accepere. *Tunc queritur.)* Ecce quàm cito virtutem faſtidiat deſidioſus. *Nigra ſepia.)* Piſcis eſt marinus, qui vbi ſenſit ſe apprehendi, effuſo atramento quod pro ſanguine huic eſt, infuſcata aqua abſconditur. De eo ita meminit Celſus. Mouent aluum ſalſamenta, oſtrea, pelorides, echini, muſculi, & omnes teneri piſces, ſepiarum atramentum. Huius ſanguis pro atramento in vſu erat. *Vaneſcat.)* Queritur atramentum ita aqua dilutum eſſe, vt ex charta ſtatim abeat. *Fiſtula.)* Calamus quem ſupra dixit harundinem. *Guttas.)* Gutta auctore Palemone Vicentino dicitur cum ſtat, ſtilla cum cadit.

O MISER INQVE DIES MISER.) Satyrica exclamatio in deſidioſi excuſationes *Huccine rerum venimus?)* Tantane & animi & corporis mollitie ſumus, vt virtutem nullo labore partam velimus. *At cur non potius.)* Inſultat per irriſionem nimiæ mollitiei. *Similis regum pueris.)* qui delicato victu aluntur. Papare verbum tractum à voce puerorum qui cibum petentes ita dicere ſolent. Cato de liberis educandis. Cum cibum ac potionem, papas atque buas vocent & matrem mammam & patrem tatham. Papare hoc loco verbum pro nomine poſitum eſt; vt alibi. Et noſtrum iſtud viuere triſte, vt ſit papare minutum, id eſt, cibum minutum, & confractum, qualem pueri poſcunt appellantes vt diximus cibum papas & potionem buas. Nec illis aſſentio qui minutal hoc loco pro minutum legunt. Nam is cibus infantibus haud quaquam conuenit.

Iratus mammæ.) Mammæ poteſt eſſe datiui caſus, vt ſit iratus mammæ. poteſt eſſe & genitiui, vt ſic dicas, recuſas lallare mammæ, i. blanditias matris, quã mammam, vt dictum eſt, appellabant anti-

qui. Mart. Mammas atque thatas habet Afra, ſed ipſa thatarum Dici & mammarum maxima mamma poteſt. *Lallare.*] Blandimentum matris, quæ flentibus liberis ſic blandiri ſolet. *An tali ſtudeam calamo.*] Verba deſidioſi excuſantis. Hora. Culpantur fruſtra calami. *Cui verba.*] Verba poëtæ irridentis: q. d. te ipſum, non me decipis. Sicque ſubaudi das vt ſit, cui verba das. *Succinis*) Compoſitum à ſub & cano. *Tibi.*) .i. tua res agitur. ſumptum eſt à ludo in quo agitur pro eo qui pecuniam expoſuit. *Effluis amens.*) Apte fictili non cocto deſidioſum & mollem comparat. *Contemnere.*) Hora. Contemnere miſer, vitanda eſt improba Sirem deſidia. *Sonat vitium percuſſa.*) Perſtat in metaphora vaſis, per quam oſtendit, quemadmodum fictilia male cocta emptori vitium indicant ſi percuſſa fuerint, ita & deſidioſos nullius virtutis inueniri. *Maligne reſpondet.*) Deeſt &. *Fidelia*) vas fictile, dicta quod fideliter recondita ſeruet. *Vdum & mol.lu. es.*] A metaphora non diſcedit.i. rudis & ſine aliqua virtutis cognitione, & Ideo denuo reformandus, quale eſt lutum quod nondum alicuius vaſis formam accepit, ſed rudis tantum eſt maſſa. *Nunc nunc prope.*) Cum properatione formandus. *Sed rure pa. eſt ti. f. m.*) Ironia eſt poëtæ occurrentis excuſationibus deſidis. q. d. non mirum eſt ſi liberalibus ſtudijs & virtutibus non incumbis, cum maiorum diuitiis & auctoritate contentus eſſe poſſis. *Sed rure paterno.*) Ex agris paternis quæ ad victum ſunt ſatis colligis, vt iam neceſſarium non ſit te virtutem quærere. *Far. mo.*) Hinc erumpit indignatio, cum nec locuples ſit. Po. Ro. farre tantum trecentis annis vſum fuiſſe tradidit Verius auctore Plin. *Purum & ſine labe ſa.*) q.d. per ironiam, iam maiorum tuorum gloria & auctoritate contentus eſſe debes, cum tibi ſalinum & patella maiorum tuorum quibus quondam in ſacris vtebantur, relicta ſint. nam ſalino & patella vtebantur ad ſacra, vnde C. Fabritium ſcribit Valerius patellam deorum, & ſalinum habuiſſe. Æmilium quoque Papum addit cum hæreditatis nomine ea accepiſſet, religionis cauſa à ſe abalienanda non putaſſe. *Purum.*) Defecatum. nam ſalinum argenteum erat. hinc irridet hominis elationem & ſuperbiam. *Quid metuas.*) Ironicos. i. non tibi metuendum eſt etiam relicta virtute, cum & diues & nobilis ſis. *Patella ſe.*) Ironice. q. d. ad quam parandam nullam curam & laborem ſuſtinuiſti, cum eam à maioribus tuis partam acceperis. Patella à patina, quam à patulo dixerunt, teſte Var. Hoc ſatis? putas ne inde pendere nobilitatem hominis per quod monet non in aliena gloria, nec in diuitiis, ſed in propria veraque animi virtute nobilitatem conſiſtere. *Pulmonem rumpere ven.*] id eſt in ſuperbiam efferri quod ortus ſis ex ſplendida & nobili familia. Sicque docet, vt dictũ eſt, nobilitatem homini parari, non diuitiis, neque maiorum gloria,

ſed

hert pagella

tas ſola eſt atque vnica virtus. *Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis.)* Nam multi gradus & velùti rami ſunt propinquitatis in affinitate & cognatione diſpoſiti. *Stemmate Thuſco.)* A nobilitate Thuſca, nam Thuſci à Thuſco rege filio Herculis ſunt dícti,auctore Feſto nobiliſſimi propter originem habiti. nam & Lucumones reges habebant, & maximam olim Italiæ ſuperauerant partem. hinc Porſena rex & Mecœnas Auguſti temporibus, de quo Horatius. Non quia Mecœnas Lydorum quicquid Hetruſcos Incoluit fines, nemo generoſior eſt te, & alibi. Mecœnas atauis edite regibus. *Stemmate.)* Stemma Græce, Latine corona dicitur, à ϛέφω quod eſt corono, vnde à Latinis id verbum vſurpatum eſt pro ſtatuis maiorum, quæ in atrijs expreſſis, vt ſcribit Plinius, cæra vultibus diſponebantur ſingulis armarijs quæ comitarentur gentilitia funera. Semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius qui vnquam fuerat populus. Stemmata vero lineis diſcurrebant ad imagines pictas. De hoc ita meminit Suetonius in Nerone. Caſſio Longino iuriſconſulto ac luminibus orbato, quod in vetere gentili ſtemmate Caij Caſſij percuſſoris Cæſaris imaginem retinuiſſet. Idem in Galba. Imperator vero etiam ſtemma in atrio propoſuerit quo pater nam originem ad Iouem, maternam ad Paſiphaen Minois vxorem referret. *Cenſoremque tuum.)* Cenſura auctore Plutarcho maximæ omnium magiſtratuum reuerentiæ eſt, plurimæque poteſtatis cum in aliis rebus, tum maxime ad morum emendationem. nam è ſenatu remouere poteſt, equitibus auferre equos, notare infamia, cenſum agere vnde nomen, luſtrum concedere. In quinquennium ea retinebatur. Altero ex cenſoribus mortuo alterum magiſtratu ſe abdicare oportebat. *Trabeate.)* Neronem notat, ſed latenter. Nam ei conſtat, vt ſcribit Tacitus, & à nobis latius in ſatyra ſequenti recitabitur, togam virilem ante tempus decreto ſenatus maturatam, quo capeſſendæ reipublicæ habilis videretur: decretum inſuper, Claudio libenter adulationibus ſenatus cedente, vt vigeſimo ætatis anno conſulatum Nero iniret, atque interim deſignatas proconſulare imperium extra vrbem haberet, ac princeps iuuentutis appellaretur. additum nomine eius donatiuum militi, congiarium plebei: & ludicro circenſium, quod acquirendis vulgi ſtudiis edebatur Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veſte tranſuecti ſunt, vt ſpectaret populus hunc decore imperatorio, illum pueri habitu. Hinc ergo excandeſcit poeta, hinc fremit oſtendens animi generoſitate, non autem imperatoriis ornamentis nobilitatem hominis cenſeri, quibus rebus Nero populo ſe [illegible]debat. *Trabeate.)* Vocatiuum poſuit pro nominatiuo, vt ſit t[illegible]atus ſalutas. Trabeam ſatyrica aſtutia appellat veſtem triumphalem, ne in principem tam aperte inuehi videatur. Trabeis accipio, inquit Plinius, vſos fuiſſe reges, ſed augurum fuiſſe

interprete Seruio docet Virgilius. Ipſe quirinali lituo paruaque ſedebat Succinctus trabea. Augures ex primoribus præſtantioribusque vrbis eligi conſueuerunt. Vnde Cicero gloriatur in Bruto ſe à Q. Hortenſio viro clariſſimo in collegium augurum fuiſſe cooptatum. Q. quoque Mutium Sceuolam augurem fuiſſe conſtat, quem in templo Veſtæ aram ipſam amplexantem Syllani interfecerunt. Augur licet maximorum criminum conuictus, ſacerdotio nunquam mulctatur, quia non honoris nec magiſtratus, ſed ſcientiæ atque artis cuiuſdam potius nomen eſt augur, quæ non poteſt auferri, ſicut nec medico medicina, nec muſico cantandi peritia. *Salutas.*] Ad id non ſine indignatione reſpexit, quod ludicro circenſium Nero obuius Britannico nomine ſaluaretur. *Ad populum phaleras.*] Senſus ergo eſt. Hos tuos faſtus & veſtes tuas, id eſt, inſignia imperatoria quibus te oſtentas, ad populum defer. qui vt ait Horatius, famæ ſeruit ineptus, qui ſtupet in titulis & imaginibus. *Ego enim te penitus noui.*] Quaſi diceret ex hac ambitione nobilitatem hominis non pendere. *Phaleras.*] Nobilitatis oſtentationem. ſumptum ab equis qui huiuſmodi ornamentis gaudent. Iuue. Magnorum artificum frangebat pocula miles Vt phaleris gauderet equus. nam phaleræ proprie ornamenta ſunt equorum. Virg. Primus equum phaleris inſignem victor habeto. *Non pudet.*] mirus eſt ardor poëtæ. Non putas tibi turpe eſſe more Nattæ inſani hominis viuere, id eſt, nullam virtutis prorſus curam habere, ſed ſola maiorum tuorum gloria efferri. Natta nomen eſt viliſſimi hominis. de quo Horat. Vngor oliuo, non quo fraudatis immundus, Natta lucernis. *Diſcincti.*] Diſſoluti & intemperantis. Perſius alibi. Cum bene diſcincto cantauerit ocyma vernæ. *Sed ſtupet hic vitio.*) dum Nattam excuſat qui vitio naturæ peccat, oſtendit eorum excuſationem accipiendam non eſſe, qui optima mentis valetudine virtutem negligunt. *Stupet.*] Attonitus eſt, attonitos enim appellat Cornelius Celſus, quorum & corpus & mens ſtupet. fit interdum ictu fulminis, interdum morbo. *Vitio.*] Subaudi naturæ. *Fibris increuit opimum pingue.*] Nam minùs ſolertes habentur, quibus vt ſcribit Plin. venter eſt obeſus, *Summa rurſus non bullit in vnda.*] Metaphora ſumpta ab his, qui ſemel aqua immerſi, non facile emergunt: per quod docet eos, qui vitio naturæ laborent non poſſe ad ſanam mentem reuerti.

MAGNE PATER DIVVM SÆVOS.] Exclamatio eſt poëtæ in eos qui nulla virtutis via incedunt. totus tamen fremitus in Neronem fertur, qui omni libidinis genere ætatem ſuam exercuit, vt auctore Tranquillo, petulantia, libidine, luxuria, auaritia, crudelitate flagraret, ſed ne in principem inuehi videatur, generaliter omnium principum ſæuitiam inſectatur. Precatur igitur deos vt vir-

tutum contemptores nulla alia pœna afficiant, quàm vt virtutem cõtemptam cognoſcant, & ſic dolore neglectæ virtutis angantur, quæ homines ex Stoicorum ſententia beatos & felices efficit. *Libido.*] Omnis immoderata cupiditas dicitur. Cui vt Cicero in Tuſculanis ſcribit, ſubiecta ſunt, ira, excandeſcentia, odium, inimicitiæ, diſcordia, indigentia, & cætera huiuſmodi. *Mouerit ingenium.*] id eſt, cum diu omnia libidinum genera exercuerit. *Virtutem vt videant.*] Subaudi quam. *An ne magis.*) Tacitæ cuidam occurrit obiectioni oſtendens eos qui virtute contempta turpiter vixerunt, grauiori quidem pœna affici conſciẽtia vitæ turpiter actæ, quàm quos Phalaris & Dionyſius cruciarunt. *An ne magis.*] id eſt, non magis quidem. Ordo eſt æra ſiculi iuuenci gemuerunt magis, & enſis pendens laquearibus auratis terruit magis purpureas ceruices, quàm ſi ſibi dicat imus præcipites.

Aera ſiculi iuuenci.) id eſt, hi qui per æneum taurum à Phalaride Agrigentinorum tyranno ſæuiſſime cruciabantur. Huic quum crudelitate & omni ſæuitia flagraret, Perillus optimus opifex ſceleſto cupiens placere tyranno æneum taurum conſtruxit, vt incluſus reus ſubiecto igne torqueretur, & vox hominis grauiter exclamantis mugitum bouis imitaretur. Cęterum Phalaris Perillum tanti muneris artificem incluſum ipſo tauro primum graui ſupplicio mortis affecit. Eius ſic meminit Ouid. Vt munus munere penſes, Da precor ingenio munera digna meo. Dixerat, & Phalaris pœnæ mirande repertor Ipſe tuum prę́ſens imbue dixit opus. *Pendens laquearibus enſis.*) Hic cruciatum tangit Damoclis aſſentatoris Dionyſij ſyracuſani, qui cum in ſermone commemoraret copias eius, opes, maieſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaret vnquam beatiorem quenquam fuiſſe: Viſne igitur inquit tyrannus o Damocles, quoniam te hæc vita delectat, ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? Cum ſe ille cupere dixiſſet, collocari iuſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo magnificis operibus picto. abacoſque complures ornauit argento auroque cælato, tum ad menſam eximia forma pueros delectos iuſſit conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur, fortunatus ſibi Damocles videbatur. in hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti iuſſit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam. Iam ipſæ defluebant coronæ, denique exorauit tyrannum vt abire liceret, quòd iam

Ecce *auia.*) Vanam mulierum ſuperſtitionem & inania vota accuſat. *Matertera.*] Soror matris, quaſi mater altera.

Infami digito.] Medio quem Mart. impudicum appellat. Oſtendit digitum ſed impudicum Alconti. de hoc intellexit & Iuuen. Mediúmque oſtenderet vnguem. Nam oſtendere medium digitum opprobrium erat. *Luſtralibus.*] Expiabilibus. *Saliuis.*] Hominis ſaliuam magnos habere effectus docet Plinius. Nam ita deſpuimus comitiales morbos, hoc eſt contagia regerimus. Simili modo & faſcinatores repercutimus ſiniſtræ, dextræque clauditatis occurſu.

Vrentes oculos.] Id eſt, Faſcinatorios. Virgilius. Neſcio quis teneros oculus mihi faſcinat agnos. Tradit Iſigonus in Triballis, & Illyricis quaſdam familias eſſe quæ viſu effaſcinent, interimántque quos diutius intueantur iratis præcipue oculis. quod eorum malum facilius ſentiunt impuberes. *Spem macrám.*] Nihil enim aliud eſt in puero præter ſpem. vnde Virgilius. Per ſpem ſurgentis Iuli.

Nunc Licini in campos, nunc Craſſi mittit in ædes.] Id eſt, auia ſiue matertera multis votis optat, & precatur infantem fieri ædium & agrorum Licini & Craſſi hæredem. Nam Licinum diuitem fuiſſe oſtēdit Martialis. Altáque cum Licinis marmora puluis erunt. Eiuſdem meminit Iuuen. Ego poſſideo plus Pallante & Licinis. Idem alibi. Diſpoſitis prædiues hamis vigilare cohortem Seruorum noctu Licinus iubet, attonitus pro Electro ſigníſque ſuis Phrygiáque columna. Eum vnum fuiſſe ex Cæſaris Augusti libertis principis indulgentia prædiuitem placet intelligere. ſic enim ſcripſit Tranquillus. Multos libertorum in honore & vſu maximo habuit, vt Licinum, Enceladū, alióſque Craſſus, vt ſcribit Valerius & Plinius cognomento dictus eſt diues primus omnium Romanorum, poſtea decoxit. irriſione tamen occurrentium ſalutabatur diues. Qui à Parthis cæſus fuit, diues appellatus non eſt primus, ſed hic de cuius ædibus ſic Martialis. Altáque cum Licinis marmora puluis erunt. *Quamuis albata rogarit.*] Veſtibus albis ſacrificantes vtebantur. Nam vt ſcribit Cicero in legibus color albus præcipue decorus deo eſt cum in cæteris, tum maxime in textili. Horatius alios ve dierum Feſtus & albatus celebret.

Poscis *opem neruis.*] Eos irridet qui ſibi vires in corpore dari petunt, cum ad eas aſſequendas nimius epularum luxus omnino obſtet. *Eſto age.*] Concedit hoc turpe non eſſe votum, ſed epulis & crapula vires corporis impediri. *Tuceta.*] Genus eſt farciminis ex carnibus ſuillis minutim conciſis. *Rem ſtruere exoptas cæſo boue.*] Inſurgit riſu ſatyrico in eorum inſcitiam qui quotidianis ſacrificiis & pecudum mactatione ſperant greges ſuos auctum iri, cum omnino aſſiduo ſacrificiorum officio minuantur. *Struere.*) Congerere & cōaceruare. Vnde ſtruem lignorum dicimus, id eſt congeriem.

Ceſo boue.] Hinc enim vt ſcribit Plinius victimæ optimæ & laudatiſſima deorum placatio. *Mercurium.*] Deum lucri. nam à mercibus dictus eſt, hunc enim negociorum omnium affirmabant eſſe deum, auctor eſt Feſtus. *Fibra.*) Sacrificio. Nam vt Var. ſcribit antiqui fibrum dicebant extremum. vnde in ſagis fimbriæ, & & in iecore extremum, vt diximus ſupra, fibra dicitur. *Fortunare.*) Eodem verbo vſus eſt Cicero in Epiſtolis. Tibi matrimonium dij fortunent. Horatius. Tu quamcunque deus tibi fortunauerit horam.

Penates.) Macrobio dicuntur quòd per eos penitus ſpiremus. apud poetas ſæpenumero pro domo ponuntur. *Quo peſſime pacto.*) Subaudi à ſuperioribus dabitur, vt ſit quo pacto dabitur quod optas. Sícque arguit eum dementiæ qui putet gregem augeri, cum quotidie ſacrificiis minuatur. *Iunicum.*) Boues ſunt iuniores.

Omenta.) Omentum inteſtinum eſt, auctore Celſo ex interiori parte leue & ſtrictum, de ſuperiore mollius, cui adeps quoque innaſcitur, quæ ſenſu ſicut cerebrum quoque & medulla caret. Plinius Omentum membranam potius eſſe declarat, cum ait ventriculi atque inteſtina pingui ac tenui omento integuntur, præterquam oua gignentibus. *Extis.*) Dicta exta auctore Feſto, quòd ea diis proſecentur, quæ maxime extant eminéntque. *Ferto.*) genus libi dictum teſte Feſto, quod crebrius ad ſacra ferebatur, nec ſine ſtrue altero genere libi, quæ qui afferebant ſtruferarij dicebantur.

Opimo.) Pingui ab Ope quam terrã voluerunt ſignificare. eo quod omnes opes humano generi terra tribuat, vnde & opulenti terreſtribus rebus copioſi, & hoſtiæ opimæ præcipue pingues, & opima magnifica & ampla ſpolia. *Intendit.*) perſeuerat. *Iam creſcit ager, iam creſcit ouile.*) Satis lepide naturam hominis cupidi expreſſit, qui iam ob ſacrificia facta putat deorum beneficio res ſuas augeri, cum tamen potius minuantur. *Iam.*) Irriſio eſt poetæ. *Donec nummus deceptus.*) Senſus. Tot quidem ſacrificiis à diis opes petiit, vt iam arca nummis exinanita ſit, & ne nummus quidem in ea viuat, ſatíſque philoſophice oſtendit poeta, vt dictum eſt, à diis ſtulta vota non exaudiri.

Deceptus.) Eo quod nihil à diis impetrauit. *Nequicquam.*) Id eſt, non. alibi Perſius. Nequicquam extrinſecus intrat Quod neruos agitet. aliàs pro fruſtra ponitur. Virgil. Arma diu ſenior deſueta trementibus æuo Circumdat nequicquam humeris. *Suſpiret.*) Id eſt viuat, ſumpta metaphora ab animantibus. *Si tibi crateras argenti.*) Senſus eſt, tantæ quidem cæcitatis es, vt ſi qua ad te dona tulero ſtatim lætitia afficiaris, putéſque ea diis ob ſacrificia facta tibi miſſa, & ideo deorum imagines & ſimulacra inaures, vt diuini beneficii memor & gratus. *Incuſa.*) Ab eo venit, quod eſt incudo ab vltimo ſupino: Vnde incuſo & accuſo. Incuſa ergo ſculpta & ſignata.

Sudes.] Nimia lætitia. *Pectore læuo.*] Vbi ſedes eſt cordis.

Excutias.) Emittas, effundas. *Hinc.*] Ex donis acceptis.

Auro ouato.] Aut ideo dixit ouato, quòd imagines quæ inaurantur, ouo prius linuntur à pictoribus. Nec illud tamen obſtabit quod ouum primam habet longam: nam multa inueniuntur in auctoribus, quæ primitiuorum naturam non ſequuntur. vt farina. nam etſi à farre deriuatur, prima tamen corripitur. Aut ex pecunia prædacea. Nam vt ex A. Gellij Noctibus Atticis percipi licet ex pecunia quæ ex præda vendita colligebatur, quas manubias appellabant, Duces ſimulacra & deorum imagines in templis erigebant. verba ſunt A. Gellij. In faſtigiis fori Traiani ſimulacra ſunt ſita circum vndique inaurata equorum atque ſignorum militarium, ſubſcriptúmque eſt è manubiis. Huic teſtimonio eſt L. Metellus Dalmaticus qui Aſconio auctore ædem Caſtoris de manubiis extruxit. Erant enim imperatorum manubiæ, ex quibus quid vellent facerent. Auro igitur ouato intellige ex pecunia prædacea, ex qua vt dixi, ſæpe & templa & alia in honorem deorum extruebantur.

Ouatus.] Eodem modo dicitur ab ouare, vt triumphatus à triumphare. Ouantes vt ſcribit Feſtus dicti ſunt ab oo clamore. quem faciunt milites redeuntes ex pugna, geminata oo litera. quod eſt lætitiæ. Ratio ouandi & cauſa eſt, vt tradit Aulus Gellius, cum bella non rite neque cum iuſto hoſte geſta ſunt, aut hoſtium nomen humile & non idoneum, vt ſeruorum, piratarum; aut deditio ſolito citius facta, aut incruenta victoria. Ingrediebantur vrbem pedibus ſequentibus eos non militibus, ſed vniuerſo ſenatu.

Perducis facies ſacras.] Hoc inuidioſe in mores temporum ſuorum. Nam auro & argento placatiores putabant futuros deos, cum fictilibus magis propitij ſupplicantibus eſſent ita ſcribente Seneca. Exurge modo, & te quoque dignum finge deo. Finges autem non auro nec argento. non poteſt in hac materia imago dei exprimi. Quin cogita illos, cum propitij fuiſſent fictiles fuiſſe. Perduci proprie dicuntur imagines ex gypſo & marmore.

Facies ſacras.] Simulacra & deorum imagines.

Nam fratres inter ahenos, ſomnio pituita qui purgantiſſimam.] Romæ vt quidam tradunt, in porticu quadam collis palatini fuerunt effigies filiarum Danai, & contra eas ſub dio totidem equeſtres, filiorum Ægypti. Ex iis autem ſtatuis quædam dicebantur poſtulantibus per ſomnium dare reſponſa. De hac porticu Ouidius intelligere videtur cum ait. Quæque parare necem miſeris patruelibus auſæ Belides & ſtricto ſtat ferus enſe pater. & idem alibi. Heſterna vidi ſpatiantem luce puellã Illa, quæ Danai porticus agmẽ habet. Eſt igitur

ſenſus

ſenſus inter imagines æreas quinquaginta fratrum eos in primis collēdos aſſumas qui vera ſomnia hominibus dant. Et eſt ironia. *Pituita* Omnis eſt humor corpori oneroſus, dicta, vt ſcribit Ælius, quia petat vitam, cui Etymologiæ Quintilianus minime aſſentit. ea eſt maxime narium, oculorum & aurium. Cornelius Celſus ita ſcribit. Diſtillat autem humor ex capite interdum in nares, quod leue eſt, interdum fauces, quod peius eſt. interdum etiam in pulmonem quod peſſimum eſt. Si in nares diſtillat, tenuis per has pituita profluit. Idem alibi. Oculos interdum occupat inflammatio vbi cum tumore in his dolor eſt. ſequitur pituitæ curſus. nonnunquam copioſior vel acrior, nunquam vtraque parte moderatior. Et paulo inferius. Sed fere tempore interpoſito pituitę curſus acerrimus ſequitur, exulceratis vehementer oculis aciem quoque ipſam corrumpit. Et alibi. Si pituitam acidam effudit, vtique ſumere cibum, ſed aſſueto leuiorem. Plinius: contra aurium pituitas vermiculoſque ſi decoquatur ad dimidias partes cum porro nouo capitato & ſectili. Nec corporis tantum humani eſt pituita, ſed & arborum. Plin. Fungorum leuior natura & numeroſa genera & origo non niſi ex pituita arborum. *Purgatiſſima.*) Quæ veriora habentur purgato per noctem pectore. *Aurum vaſa Numæ Saturniáque impulit æra.*) Notat vt diximus tempora ſua quibus luxum remoto è templis ære & fictilibus in vſum cultus diuini vſurpatum eſt aurum, quo deos magis placari credebant, quod nunc poëta deridet ignorantiam hominum arguens, qui deos muneribus & auro delectari putant. in cuius rei inuidiam ita ſcribit Plin. Antiquior fuit plaſtice, quàm fundendi æris ars. ex ea enim dij fiebant & domus ciuium ornabantur & dij fictiles erant. eæ enim tunc deorum effigies erant laudatiſſimæ. Cicero in legibus, aurum & argentum in vrbibus & priuatum in phanis inuidioſa res eſt. *Vaſa numæ.*] Fictilia. ſ. quibus Numa Pompilius ſecundus poſt Romulum Rom. rex in ſacris vtebatur. Is Curibus ſabinis agens vltro Romam vocatus ob inclytam viri religionem, ſacra plurima inſtituit, Ædem Veſtæ confecit, virgines veſtales legit. Flamines tres Dialem Martialem Quirinalem: Salios Martis ſacerdotes, Pontificem maximum creauit. Et vt ſcribit Plinius ſeptimum collegium figulorum inſtituit. *Saturnia æra*] Quæ Saturni tempore, id eſt, rudi illa ætate in ſacrorum celebratione erant in vſu. *Impulit*) Remouit, ex templis ſcilicet. *Vrnas*) Vrna proprie vas aquarium. dicta quaſi vrina ab vrinando, id eſt, ſub aqua nando. auctor eſt Varro. *Thuſcum fictile.*] Quo in ſacris prolibabatur, Plinius in ſacris quidem etiam inter has opes non myrrhinis, cryſtallinis, ſed fictilibus prolibatur ſympulis innocentius, templorum quoque faſtigia fictilibus ornabantur.

Thuſcum) Etruria auctore Plinio maxime plaſticem excoluit. Vnde Tarquinius Priſcus Tauriano à Fregellis accito, Iouis effigiem fictilem in capitolio dicandam locauit. Martialis. Lautus erat Thuſcis Porſena fictilibus.

O curuæ in terras animæ.) Acclamatio eſt cum riſu & indignatione in eos qui ex deſiderio ſuo deorum voluntatem ducunt. Curuæ in terras. Ad terrena ita inclinatæ, vt quid à vobis deus exigat non cõſideretis. Sicq; innuit, vt ſequentia docent, deum ad vota noſtra non moueri noſtris ſacrificiis, muneribusue. ſed vt dictum eſt mente ſancta & iuſto animo. Non ignoro à Lactantio Firmiano hoc carmen miris laudibus efferri. *Cæleſtium inanes.)* Quæ non cognoſcitis quod cæleſtibus gratum ſit, ac ſi diceret ſuperos non eiſdem moueri affectibus quibus mortales. *Noſtros immittere mores.)* Credere eadem quæ nobis grata ſunt dijs pariter placere. *Et bona dijs ex hac ſcelerata ducere pulpa.*] Idem dicit, poëtæ eſt exaggeratio. *Ducere.*] Iudicare, colligere. *Ex ſcelerata pulpa.*] Voluptate & deſiderio noſtro. Pulpa, inde fit pulpamentum. dictáque eſt auctore Donato, quod pulſetur & concidatur dum manducatur. *Hæc ſibi corrupto Caſiam.*] Oſtendit omnino deos non hominis munera, ſed puram mentem poſcere. Senſus eſt. ſi quando per veſtium aliarumue rerum luxum peccamus, ex eo tamen aliquam capimus vtilitatem. At aurum in templis nihil omnino dijs prodeſt, cum muneribus more mortalium non moueantur. *Diſſoluit.*] Diluit. Tempora ſua notat, quibus in tantum luxus in vnguenta proceſſerant, vt lini iam non ſolum, ſed & perfundi vnguentis gauderent, etiam veſtigia pedum tingerent, quidam etiam biberent, auctore Plin. *Caſiam.)* Vnguentum, Caſia enim auctore Plinio frutex eſt in Æthiopia Trogloditis connubio permixta iuxta Cinami campos naſcens. Fabuloſa tamen antiquitas princepsq́ue Herodotus narrauit Caſiam circa paludes Arabiæ colligi propugnante vnguibus diro veſpertillionum genere, aligeriſq́ue ſerpentibus, his commentis augentes rerum precio. *Olino.)* Quo vnguentorum odores optime ſeruantur. Plinius. Vnguenta optime ſeruantur in alabaſtris, odores in oleo. *Corrupta.)* Quia in vnguentorum odorem tranſit. Nam vnaquæque res alterius permixtione corrumpitur. Virgilius. Nec caſia liquidi corrumpitur vſus oliui. *Coxit)* Tinxit infecit. *Vellus.)* Lanam. à vellendo. Nam ante tonſuram inuentam ex ouibus lanæ vellebantur, vnde etiam lana ſiue lanitium à laniando. *Calabrum)* Lanæ calabræ nobiliſſimæ habebantur. nam circa Tarentum oppidum Calabriæ Canuſiumque auctore Plinio ſummam nobilitatem habent. Vnde Var. ſcribit Tarentinas oues pellibus integi ne lana inquinetur, quo minus infici recte poſſit vellus vel lauari ac parari. *Murice.)* id eſt purpura. genus enim eſt conchilij, ex quo liquor elicitur tingendis

expetitus veſtibus purpuræ haudquaquam diſſimilis. Plinius: vidimus iam & bidentium vellera, purpura cocco conchilio ſeſquipedalibus libris inſecta, velut illa ſic naſci cogente luxuria. *Vitiato.)* Quia cum lanitium inficitur alienum colorem vitiat. Virgilius. Diſcet mentiri lana colores. Horatius Sed mala tollat anum vitiato melle cicuta. *Baccam.)* Id eſt margaritam. Horatius. Nec ſit marita quæ rotundioribus Onuſta baccis ambulet. Baccas proprie dicimus fructus lauri, fructus oliuæ, corni. loti quam fabam Syriacam vocant, myrti, lentiſci ſimiliumque. Acinos vero ſiue acina fructus minutiores arborum fruticumve denſius naſcentes nominamus, cum baccæ naſcantur diſperſius & rarius. Inter Acinos igitur numerantur vuæ grana, hederæ grana, ſambuci grana, ebuli grana, malpunici grana & morum, & quicquid his ſimile. Supra hæc autem poma dicuntur, duntaxat quibus veſcimur. Ceraſium & prunum & meſpilum poma, nec acini baccæ nominantur. Glans in numerum iſtorum non venit, ſylueſtris enim & paſtio pecorum eſt. Caſtanea in nuces refertur. Vnde Virgilius. Caſtaneaſque nuces, ſicut pinus, corylus, ſiue à loco auellana amigdalus, iuglans, & ſi qua his ſimilia non poma dicuntur, ſed nuces. Nonnunquam tamen Acini & Baccæ indifferenter ponuntur. vt Virgilius. Sanguineis ebuli baccis minioque rubentem. *Conchæ.)* id eſt, vnionum matris. Margaritiferæ enim conchæ origo atque genitura haud multum oſtreorum conchis differens. Has vbi genitalis anni ſtimulauerit hora, pandentes ſeſe quadam oſcitatione impleri roſido conceptu tradunt, grauidas poſtea eniti, partumq; concharum eſſe margaritas pro qualitate roris accepti. Si purus influxerit candorem conſpici, ſi vero turbidus & fœtum ſordeſcere. Indicus maxime hos mittit oceanus. Laudantur præcipue circa Arabiam in Perſico ſinu maris rubri *Raſiſſe.)* Auelliſſe, ſic enim auctore Plinio conchis adhæreſcunt vt ijs niſi lima auelli non queant. *Stringere venas feruentis maſſæ crudo de puluere iuſſit.)* Aurum vt ſcribit Plinius, tribus modis inuenitur, fluminum ramentis, nec vllum abſolutius aurum eſt, vt curſu ipſo tritúque perpolitum. Alio modo puteorum ſcrobibus effoditur, aut in ruina montium. Quod puteis foditur, canalitium vocant. Quod effoſum eſt tunditur, lauatur, vritur, molitur in farinam, quæ deinde igni excocta in maſſas redigitur. Senſus eſt. Aurum quoque ex venis terræ petitum eſſe. Hocq; inuidioſe in tempora ſua, quibus auri in tantum luxuria adoleuit, vt auctore Plinio fibulæ tribunitiæ ex auro geſtarentur, mulierum quoq; pedibus ſubijceretur, atque in omnibus obſcœnis deſiderijs vſurpatum fuerit. *Stringere)* In vnum conflare, vnde auctore Plinio ſtrigiles Hiſpania vocat auri paruulas maſſas, quod ſuper omnia ſolum in maſſa auramento capitur. *Venas.)* id eſt aurum, quod per terræ ſiue marmoris venas colligitur. *Feruentis)*

bus, Fas & iura ſinunt. *Compoſitum*] Simul vtrunque poſitum. Sicq; monet non ſatis eſſe ad bene beatéque viuendum, alterum ſine altero præſtari. C. Compoſitum ius, ego æquum, & legitimum interpretor atque etiam deſcriptum, & ſanctum, quæ omnia iuris epitheta ſunt ab autoribus vſurpata. S.

Animi ſanctoſque re. men.] Nihil turpe in animis noſtris cogitemus, per quod oſtendit à nobis facile deos placari poſſe, ſi & opere & cogitatione recte vixerimus. *Sanctos receſſus*] Puras & ſanctas ſedes mentis. *Pectus incoctum*] Perfectum. ſic enim vocabant antiqui, vt dictum eſt, aliquid longi temporis coctum quaſi perfectum, vt eſt illud Virgilianum. Solidum nodis & robore cocto. ſumptum ab his rebus quæ igni excoctæ, quod in ſe habent cruditatis deponunt, & mites & perfectæ fiunt. *Generoſo honeſto.*] Naturali honeſtate. *Hac cedo vt admoneam templis, & farre litabo.*] Senſus eſt, ſi hæc quæ dixi præſtiteris, ſola quidem mola dij placabuntur, id eſt facile tibi obſequentur & preces tuas exaudient. Cedo verbum eſt defectiuum apud comicos celebre, id eſt da. Teren. Quin tu argentum cedo. *Farre.*] Mola, quæ ſale & farre toſto conſtabat.

NEMPE HOC ASSIDVE] Iuuentutis temporum ſuorum deſidiam, & circa virtutem negligentiam inſectatur, quæ maiorum diuitijs auctoritateque contenta bonas artes non curat. Monetque virtutibus & diſciplinis dum tenera eſt ætas vacãdum eſſe. partes ſuas ad reprehendendum perſonæ dat introductæ. Hoc aſſidue, legendum eſt cum indignatione & reprehenſione & geſtu adiuuandum eſt; ſub audi facis, vt ſit, ſemper quidem ſtertis. Sequitur enim ſtertimus, *Aſſidue.*] Hinc erumpit fremitus poëtæ quod hoc aſſidue faciat. *Clarum mane.*] Hoc loco mane quia nomini adiunctum eſt, nomen efficitur. Virgilius, Mane nouum. aliàs aduerbium eſt. *Deſpumare.*] Coquere, ſumptum à vino, quod per multam ſpumam coqui ſolet ad dulcedinem. Lucanus. Indomitum Meroe cogens ſpumare falernum *Indomitum*] Durum, difficile, incoctum. *Falernum*] Secundam nobilitatem falerno vino dedit Auguſtus cum Setinum vinum cunctis prætuliſſet, dictum vt tradit Silius Italicus à Falerno agricola qui primus eas vites coluiſſe dicitur. vt autem placet Plinio à Falerno agro Campaniæ, vnde Martialis: Scelus eſt iugulare Falernum, Et dare Campano toxica ſæua mero. nam Falernus ager à ponte Campano læua petentibus vrbanam Coloniam Syllanam Capuæ contributam, incipit nigri coloris eſſe. Martialis docet. Candida nigreſcant vetulo cryſtalla falerno. Idem alibi. Marmorea fundens nigra falerna manu.

Quinta dum linea tangitur vmbra.] Hic indignatur quod ea hora ſtertat qua in negocijs homines maximè exercebantur. Martialis. In quintam varios extendit Roma labores.

Vmbra quinta.) Horarum obſeruatio auctore Plinio apud Romanos varia fuit. duodecim enim tabulis ortus tantum & occaſus nominabantur. Poſt aliquot annos adiectus eſt & meridies accenſo conſulum id pronunciante, ſed hoc ſerenis tantum diebus, vſque ad primum Punicum bellum. M. Var. Romanis ſolarium horologium primum ſtatutum in publico ſecundum roſtra in columna tradit bello Punico primo. M. Valerio Meſſala conſule, Catina capta in Sicilia, deportatum inde anno vrbis quadringentiſimo ſeptimo: nec congruebant ad horas eius lineæ. Paruerunt tamen ei annis vndecentum. Nubilo tamen tempora incertæ fuere horæ vſque ad Scipionem Naſicam, qui primus aqua diuiſit horas æque noctium ac dierum. Idque horologium clepſydra appellatum eſt. Vmbrarum rationem, quam vocant gnomonicem inuenit Anaximenes Mileſius, Anaximandri & Thaletis diſcipulus: primus horologium quod appellatur Sciotericon Lacedæmone oſtendit. *En quid agis.*) Alia increpatio in deſidem. *Siccas meſſes.*) Ea hora eſt diei qua in agro ſegetes calore ſolis torrentur, & tu dormis, ſicque cum indignatione & reprehenſione legendum eſt.

Inſana Canicula.) Caniculę vt ſcribit Plinius ex ortu, ſolis vapores intenduntur, feruent maria, fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna, & canes auctore eodem toto eo ſpatio maxime in rabiem aguntur. vnde inſanam dixit, id eſt, non ſalutiferam. Caniculæ ſyderi frugibus, vt ſcribit Varro, inimico rufæ canes immolabantur, vt fruges flaueſcentes ad maturitatem perducerentur. Inter ſolſtitium & caniculam eodem auctore plerique meſſem faciunt. *Coquit.*) Maturat. *Patula pecus omne ſub vlmo.*) Circiter enim meridianos æſtus, paſtores oues dum deferueſcant ſub vmbriferas rupes & arbores patulas ſubijciunt, quo ad refrigerato aëre veſpertino, rurſus paſcant ad ſolis occaſum.

Vnus ait comitum.) Hoc cum ſuperioribus coniungitur, vt ſit ſenſus. Vnus comitum dixit quæ præceſſerunt deſidioſo.

Verumne.) Verba deſidis, ſubaudi eſt, vt ſit, Verumne eſt ita diem eſſe?

Ocius adſit huc ali.) Argute ſatiſque lepide deſidis naturam expreſſit qui repentino impetu ferri videtur cum eum ſtatim laboris tædeat.

Nemon.) Æmulatio eſt Horatij. Nemon' oleum fert ocius, & ea voce legendum qua irati inclamant. *Turgeſcit vitrea bilis.*) Verba poëtę irridentis tam ſubitum ad virtutem apparatum quem celerrime ſcit defecturum. Vitrea an inflata & tumida, vt vitrum quod ab artifice fiſtula inflatur. vt ideo vitrea dixerit quia turgeſcit præceſſerit. An quod magis placet, lucida & clara quæ hominem omnia effundere & aperire cogitatione vnde Horatius dixit. Splendida bilis. vnde bilioſus vomitus dicitur. *Finditur.*) Rumpitur præ nimia indig-

natione nullum ſibi adeſſe. *Arcadia pecuaria.*) Verba poetæ irridentis. *Arcadiæ pecuaria.*) Aſinos quos egregios progenerat Arcadia. Plinius de his ita ſcribit. Sed mularum maxime progeneratione patria etiam ſpectatur in his Arcadibus in Achaia, in Italia reatinis. De iiſdem ſic Strabo vbi loquitur de Arcadia. Fertilia autem pecori paſcua præſertim equis atque aſinis equarum ſuppoſitoribus. Varro autem ſic ſcribit. Hoc enim nomine aſini Arcadici in Græcia nobilitati, in Italia Reatini. hinc eſt illud Iuuenalis. Nil ſalit Arcadico iuueni, id eſt aſinino. *Rudere.*) Perſius primam producit. Alij vero auctores corripiunt. Virgilius. Grauiterque rudentes. Et ſera ſub nocte rudentum. Ouidius. Vt rudit à ſcabra turpis aſella mola. *Iam liber.*) Chartam Alexandri magni victoria repertam fuiſſe, auctor eſt Marcus Varro, condita in Ægypto Alexandria, antea non fuiſſe chartharum vſum. Palmarum folijs primo ſcriptitatum? deinde quarundam arborum libris. vnde libri nomen accepere. *Tunc queritur.*) Ecce quàm cito virtutem faſtidiat deſidioſus. *Nigra ſepia.*) Piſcis eſt marinus, qui vbi ſenſit ſe apprehendi, effuſo atramento quod pro ſanguine huic eſt, infuſcata aqua abſconditur. De eo ita meminit Celſus. Mouent aluum ſalſamenta, oſtrea, peloſides, echini, muſculi, & omnes teneri piſces, ſepiarum atramentum. Huius ſanguis pro atramento in vſu erat. *Vaneſcat.*) Queritur atramentum ita aqua dilutum eſſe, vt ex charta ſtatim abeat. *Fiſtula.*) Calamus quem ſupra dixit harundinem. *Guttas.*) Gutta auctore Palemone Vicentino dicitur cum ſtat, ſtilla cum cadit.

O MISER INQVE DIES MISER.) Satyrica exclamatio in deſidioſi excuſationes *Huccine rerum venimus?*) Tantane & animi & corporis mollitie ſumus, vt virtutem nullo labore partam velimus. *At cur non potius.*) Inſultat per irriſionem nimiæ mollitiei. *Similis regum pueris.*) qui delicato victu aluntur. Papare verbum tractum à voce puerorum qui cibum petentes ita dicere ſolent. Cato de liberis educandis. Cum cibum ac potionem, papas atque buas vocent & matrem mammam & patrem tatham. Papare hoc loco verbum pro nomine poſitum eſt; vt alibi. Et noſtrum iſtud viuere triſte, vt ſit papare minutum, id eſt, cibum minutum, & confractum, qualem pueri poſcunt appellantes vt diximus cibum papas & potionem buas. Nec illis aſſentio qui minutal hoc loco pro minutum legunt. Nam is cibus infantibus haud quaquam conuenit.

Iratus mammæ.) Mammæ poteſt eſſe datiui caſus, vt ſit iratus mammæ. poteſt eſſe & genitiui, vt ſic dicas, recuſas lallare mammæ, i. blanditias matris, quā mammam, vt dictum eſt, appellabant anti-

qui. Mart. Mammas atque thatas habet Afra, ſed ipſa thatarum Dici & mammarum maxima mamma poteſt. *Lallare.*] Blandimentum matris, quæ flentibus liberis ſic blandiri ſolet. *An tali ſtudeam calamo.*] Verba deſidioſi excuſantis. Hora. Culpantur fruſtra calami. *Cui verba.*] Verba poëtæ irridentis: q. d. te ipſum, non me decipis. Sicque ſubaudi das vt ſit, cui verba das. *Succinis*) Compoſitum à ſub & cano. *Tibi.*) .i. tua res agitur. ſumptum eſt à ludo in quo agitur pro eo qui pecuniam expoſuit. *Effluis amens.*) Apte fictili non cocto deſidioſum & mollem comparat. *Contemnere.*) Hora. Contemnere miſer, vitanda eſt improba Siren deſidia. *Sonat vitium percuſſa.*) Perſtat in metaphora vaſis, per quam oſtendit, quemadmodum fictilia male cocta emptori vitium indicant ſi percuſſa fuerint, ita & deſidioſos nullius virtutis inueniri. *Maligne reſpondet.*) Deeſt &c. *Fidelia*) vas fictile, dicta quod fideliter recondita ſeruet. *Vdum & mol. lu. es.*] A metaphora non diſcedit. i. rudis & ſine aliqua virtutis cognitione, & Ideo denuo reformandus, quale eſt lutum quod nondum alicuius vaſis formam accepit, ſed rudis tantum eſt maſſa. *Nunc nunc prope.*) Cum properatione formandus. *Sed rure pa. eſt ti. f. m.*) Ironia eſt poëtæ occurrentis excuſationibus deſidis. q. d. non mirum eſt ſi liberalibus ſtudijs & virtutibus non incumbis, cum maiorum diuitiis & auctoritate contentus eſſe poſſis. *Sed rure paterno.*) Ex agris paternis quæ ad victum ſunt ſatis colligis, vt iam neceſſarium non ſit te virtutem quærere. *Far. mo.*) Hinc erumpit indignatio, cum nec locuples ſit. Po. Ro. farre tantum trecentis annis vſum fuiſſe tradidit Verius auctore Plin. *Purum & ſine labe ſa.*) q.d. per ironiam, iam maiorum tuorum gloria & auctoritate contentus eſſe debes, cum tibi ſalinum & patella maiorum tuorum quibus quondam in ſacris vtebantur, relicta ſint. nam ſalino & patella vtebantur ad ſacra, vnde C. Fabritium ſcribit Valerius patellam deorum, & ſalinum habuiſſe. Æmilium quoque Papum addit cum hæreditatis nomine ea accepiſſet, religionis cauſa à ſe abalienanda non putaſſe. *Purum.*) Defecatum. nam ſalinum argenteum erat. hinc irridet hominis elationem & ſuperbiam. *Quid metuas.*) Ironicos. i. non tibi metuendum eſt etiam relicta virtute, cum & diues & nobilis ſis. *Patella ſc.*) Ironice. q. d. ad quam parandam nullam curam & laborem ſuſtinuiſti, cum eam à maioribus tuis partam acceperis. Patella à patina, quam à patulo dixerunt, teſte Var. Hoc ſatis? putas ne inde pendere nobilitatem hominis per quod monet non in aliena gloria, nec in diuitiis, ſed in propria veraque animi virtute nobilitatem conſiſtere. *Pulmonem rumpere ven.*] id eſt in ſuperbiam efferri quod ortus ſis ex ſplendida & nobili familia. Sicque docet, vt dictũ eſt, nobilitatem homini parari, non diuitiis, neque maiorum gloria,

ſed

tas ſola eſt atque vnica virtus. *Stemmate quod Thuſco ramum milleſime ducis.*) Nam multi gradus & velùti rami ſunt propinquitatis in affinitate & cognatione diſpoſiti. *Stemmate Thuſco.*) A nobilitate Thuſca, nam Thuſci à Thuſco rege filio Herculis ſunt dicti, auctore Feſto nobiliſſimi propter originem habiti. nam & Lucumones reges habebant, & maximam olim Italiæ ſuperauerant partem. hinc Porſena rex & Mecœnas Auguſti temporibus, de quo Horatius. Non quia Mecœnas Lydorum quicquid Hetruſcos Incoluit fines, nemo generoſior eſt te, & alibi. Mecœnas atauis edite regibus. *Stemmate.*) Stemma Græce, Latine corona dicitur, à στέφω quod eſt corono, vnde à Latinis id verbum vſurpatum eſt pro ſtatuis maiorum, quæ in atrijs expreſſis, vt ſcribit Plinius, cæra vultibus diſponebantur ſingulis armarijs quæ comitarentur gentilitia funera. Semperque defuncto aliquo totus aderat familiæ eius qui vnquam fuerat populus. Stemmata vero lineis diſcurrebant ad imagines pictas. De hoc ita meminit Suetonius in Nerone. Caſſio Longino iuriſconſulto ac luminibus orbato, quod in vetere gentili ſtemmate Caij Caſſij percuſſoris Cæſaris imaginem retinuiſſet. Idem in Galba. Imperator vero etiam ſtemma in atrio propoſuerit quo pater nam originem ad Iouem, maternam ad Paſiphaen Minois vxorem referret. *Cenſoremque tuum.*) Cenſura auctore Plutarcho maximæ omnium magiſtratuum reuerentiæ eſt, plurimæque poteſtatis cum in aliis rebus, tum maxime ad morum emendationem. nam è ſenatu remouere poteſt, equitibus auferre equos, notare infamia, cenſum agere vnde nomen, luſtrum concedere. In quinquennium ea retinebatur. Altero ex cenſoribus mortuo alterum magiſtratu ſe abdicare oportebat. *Trabeate.*) Neronem notat, ſed latenter. Nam ei conſtat, vt ſcribit Tacitus, & à nobis latius in ſatyra ſequenti recitabitur, togam virilem ante tempus decreto ſenatus maturatam, quo capeſſendæ reipublicæ habilis videretur: decretum inſuper, Claudio libenter adulationibus ſenatus cedente, vt vigeſimo ætatis anno conſulatum Nero iniret, atque interim deſignatas proconſulare imperium extra vrbem haberet, ac princeps iuuentutis appellaretur. additum nomine eius donatiuum militi, congiarium plebei: & ludicro circenſium, quod acquirendis vulgi ſtudiis edebatur Britannicus in prætexta, Nero triumphalium veſte tranſuecti ſunt, vt ſpectaret populus hunc decore imperatorio, illum pueri habitu. Hinc ergo excandeſcit poëta, hinc fremit oſtendens animi generoſitate, non autem imperatoriis ornamentis nobilitatem hominis cenſeri, quibus rebus Nero populo ſc[illegible]ndebat. *Trabeate.*) Vocatiuum poſuit pro nominatiuo, vt ſit t[illegible]atus ſalutas. Trabeam ſatyricà aſtutia appellat veſtem triumphalem, ne in principem tam aperte inuehi videatur. Trabeis accipio, inquit Plinius, vſos fuiſſe reges, ſed augurum fuiſſe

interprete Seruio docet Virgilius. Ipſe quirinali lituo paruaque ſedebat Succinctus trabea. Augures ex primoribus præſtantioribusque vrbis eligi conſueuerunt. Vnde Cicero gloriatur in Bruto ſe à Q. Hortenſio viro clariſſimo in collegium augurum fuiſſe cooptatum. Q. quoque Mutium Sceuolam augurem fuiſſe conſtat, quem in templo Veſtæ aram ipſam amplexantem Syllani interficerunt. Augur licet maximorum criminum conuictus, ſacerdotio nunquam mulctatur; quia non honoris nec magiſtratus, ſed ſcientiæ atque artis cuiuſdam potius nomen eſt augur, quæ non poteſt auferri, ſicut nec medico medicina, nec muſico cantandi peritia. *Salutas.*] Ad id non ſine indignatione reſpexit, quod ludicro circenſium Nero obuius Britannico nomine ſaluaretur. *Ad populum phaleras.*] Senſus ergo eſt. Hos tuos faſtus & veſtes tuas, id eſt, inſignia imperatoria quibus te oſtentas, ad populum defer. qui vt ait Horatius, famæ ſeruit ineptus, qui ſtupet in titulis & imaginibus. *Ego enim te penitus noui.*] Quaſi diceret ex hac ambitione nobilitatem hominis non pendere. *Phaleras.*] Nobilitatis oſtentationem. ſumptum ab equis qui huiuſmodi ornamentis gaudent. Iuue. Magnorum artificum frangebat pocula miles Vt phaleris gauderet equus. nam phaleræ proprie ornamenta ſunt equorum. Virg. Primus equum phaleris inſignem victor habeto. *Non pudet.*] mirus eſt ardor poëtæ. Non putas tibi turpe eſſe more Nattæ inſani hominis viuere, id eſt, nullam virtutis prorſus curam habere, ſed ſola maiorum tuorum gloria efferri. Natta nomen eſt viliſſimi hominis. de quo Horat. Vngor oliuo, non quo fraudatis immundus, Natta lucernis. *Diſcincti.*] Diſſoluti & intemperantis. Perſius alibi. Cum bene diſcincto cantauerit ocyma vernæ. *Sed ſtupet hic vitio.*) dum Nattam excuſat qui vitio naturæ peccat, oſtendit eorum excuſationem accipiendam non eſſe, qui optima mentis valetudine virtutem negligunt. *Stupet.*] Attonitus eſt, attonitos enim appellat Cornelius Celſus, quorum & corpus & mens ſtupet. fit interdum ictu fulminis, interdum morbo. *Vitio.*] Subaudi naturæ. *Fibris increuit opimum pingue.*] Nam minus ſolertes habentur, quibus vt ſcribit Plin. venter eſt obeſus, *Summa rurſus non bullit in vnda.*] Metaphora ſumpta ab his, qui ſemel aqua immerſi, non facile emergunt: per quod docet eos, qui vitio naturæ laborent non poſſe ad ſanam mentem reuerti.

MAGNE PATER DIVVM SÆVOS.] Exclamatio eſt poëtæ in eos qui nulla virtutis via incedunt. totus tamen fremitus in Neronem fertur, qui omni libidinis genere ætatem ſuam exercuit, vt auctore Tranquillo, petulantia, libidine, luxuria, auaritia, crudelitate flagraret, ſed ne in principem inuehi videatur, generaliter omnium principum ſæuitiam inſectatur. Precatur igitur deos vt vir-

tutum contemptores nulla alia pœna afficiant, quàm vt virtutem cõtemptam cognoſcant, & ſic dolore neglectæ virtutis angantur, quæ homines ex Stoicorum ſententia beatos & felices efficit. *Libido.*] Omnis immoderata cupiditas dicitur. Cui vt Cicero in Tuſculanis ſcribit, ſubiecta ſunt, ira, excandeſcentia, odium, inimicitiæ, diſcordia, indigentia, & cætera huiuſmodi. *Mouerit ingenium.*] id eſt, cum diu omnia libidinum genera exercuerit. *Virtutem vt videant.*] Subaudi quam. *An ne magis.*) Tacitæ cuidam occurrit obiectioni oſtendens eos qui virtute contempta turpiter vixerunt, grauiori quidem pœna affici conſciẽtia vitæ turpiter actæ, quàm quos Phalaris & Dionyſius cruciarunt. *An ne magis.*] id eſt, non magis quidem. Ordo eſt æra ſiculi iuuenci gemuerunt magis, & enſis pendens laquearibus auratis terruit magis purpureas ceruices, quàm ſi ſibi dicat imus præcipites.

Aera ſiculi iuuenci.) id eſt, hi qui per æneum taurum à Phalaride Agrigentinorum tyranno ſæuiſſime cruciabantur. Huic quum crudelitate & omni ſæuitia flagraret, Perillus optimus opifex ſceleſto cupiens placere tyranno æneum taurum conſtruxit, vt incluſus reus ſubiecto igne torqueretur, & vox hominis grauiter exclamantis mugitum bouis imitaretur. Cęterum Phalaris Perillum tanti muneris artificem incluſum ipſo tauro primum graui ſupplicio mortis affecit. Eius ſic meminit Ouid. Vt munus munere penſes, Da precor ingenio munera digna meo. Dixerat, & Phalaris pœnæ mirande repertor Ipſe tuum pręſens imbue dixit opus. *Pendens laquearibus enſis.*) Hic cruciatum tangit Damoclis aſſentatoris Dionyſij ſyracuſani, qui cum in ſermone commemoraret copias eius, opes, maieſtatem, dominatus, rerum abundantiam, magnificentiam ædium regiarum, negaret vnquam beatiorem quenquam fuiſſe: Viſne igitur inquit tyrannus o Damocles, quoniam te hæc vita delectat, ipſe eandem deguſtare, & fortunam experiri meam? Cum ſe ille cupere dixiſſet, collocari iuſſit hominem in aureo lecto, ſtrato pulcherrimo, textili ſtragulo magnificis operibus picto. abacoſque complures ornauit argento auroque cælato, tum ad menſam eximia forma pueros delectos iuſſit conſiſtere, eoſque ad nutum illius intuentis diligenter miniſtrare. aderant vnguenta, coronæ, incendebantur odores, menſæ conquiſitiſſimis epulis extruebantur, fortunatus ſibi Damocles videbatur. in hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti iuſſit, vt impenderet illius beati ceruicibus. Itaque nec pulchros illos adminiſtratores aſpiciebat, nec plenum artis argentum, nec manum porrigebat in menſam. Iam ipſæ defluebant coronæ, denique exorauit tyrannum vt abire liceret, quòd iam

beatus nollet eſſe. *Ceruices purpureas.*) id eſt, Damoclis cultu regio ornati. *Imus imus præcipites quam ſibi dicat.*) Nunc oſtendit cruciatum animi quo affliguntur ex virtute neglecta. Ita enim dicere ſolent dolentes. Imus imus præcipites, id eſt, omni prorſus ſpe ſalutis deſtituti ferimur: Sicque docet longe grauiora eſſe mentis vulnera quàm corporis. Vnde illud Ouidij. Mens eſt quæ ſentiat ictus. *Quod proxima neſciat vxor.*) Tanto dolore conficitur & pudore impeditur ob omiſſam virtutem, vt iam cum vxore communicare non audeat, ſed intus tantum rumpatur.

SAEPE OCVLOS.) Occurrit excuſationi deſidioſi, probans illum per ætatem non peccare, quod virtutibus non inuigilet, ſed per deſidiam potius & negligentiam, quod dicit ſibi eueniſſe, dum puer eſſet. Senſus ergo eſt. Ne ſe ad rhetores conferret ſępe cóſueuiſſe oculos oleo linire, vt vitio oculorum laborare videretur. *Tingebam.*) Vngebam. *Grandia ſi nollem.*) id eſt, ſi rhetoricen diſcere nollem, ex cuius præceptione diſcebam declamare. Nam in ſcholis rhetorum talis declamatio proponebatur. Catoni longe melius fuiſſe mortem ſibi conciſcere, quàm in manus Cæſaris peruenire. Nam cum in Africa duce Scipione partes Pompeianæ à Cæſare ſuperatæ deletæque eſſent, Cato qui tunc Vticæ cum parte exercitus ſe continebat accepto cladis nuncio, omnibus rebus diligentiſſime conſtitutis, liberis ſuis L. Cæſari, qui tunc ei pro quęſtore fuerat, commendatis, & ſine ſuſpitione, vultu atque ſermone, quo ſuperiore tempore vſus fuerat, cum dormitum iſſet, ferrum intro clam in cubiculum tulit, atque ita ſe traiecit. Quem poſtea Vticenſes ſepulchro ſplendide mandauerunt, vnde ſibi poſt mortem Vticenſis cognomen adinuenit. de hoc multa Plutarchus; Cæſar, ſiue alius pro eo in Commentarijs; Apianus & Lucanus. *Grandia verba.*) Quæ erant de nece Catonis viri tam grauis & ſeueri. quod autem hoc ad librum Platonis referas, quem ante necem, vt ſcribit Apianus, legit, non placet. Quid enim ad puerorum exercitationem ea conferebant, ſed ad declamationes, quibus ingenia adoleſcentium exercebantur. *Catonis morituri.*) Quem ſuadebant mori debere. Hæc enim erat ratio ſuaſionis in declamatione. *Diſcere ab inſano multum laudanda magiſtro.*) Ordo eſt. Si nollem diſcere verba grandia morituri Catonis multum laudanda ab inſano magiſtro. *Laudanda.*) Magiſtri enim diſcipulorum declamationes laudabant vt eorum ingenia excitarentur. *Inſano.*) Valde docto: nam in particula modo auctiua eſt. *Quæ pater adductis.*) Nam patres gaudio affecti amicos domum ducebant, vt filios declamantes audirent. Iuuenalis. Quantum vis ſtipulare, & protinus accipe quod do, Vt totiens illum pater audiat. *Sudans.*) Præ letitia. *Iure & enim ſummum.*) id præcipuum & potiſſimum erat in voto & deſiderio meo.

Iure.) Quaſi diceret legitima quidem ratione ludos ſectabar puerorũ cum puer eſſem, vt non ſim accuſendus, cum ætati imbecilli obſequerer. *Dexter ſenio.*) Apud antiquos ludus erat talorum & teſſerarum. Teſſera quatuor laterum erat. Talus ſex, in quibus puncta erant denominata, alia à dijs, alia ab heroibus, alia à claris hominibus aut à meretricibus, nonnulla verò à quibuſdam nunc in laudem, nunc in vituperationem accidentibus nomen accipiebant. & vt Pollux ſcribit Punctum fuit, quod octo ſignificabat, idque Steſichorium dicebatur quoniam Steſichori ſepulcrum, quod erat in Himera vrbe Siciliæ, octo angulorum fuit. Erat & aliud punctum, quod Euripidium dixerunt, quod quadraginta ſignificaret, quoniam videtur Euripides vnus fuiſſe quadraginta præfectorum poſt triginta tyrannos Athenis eiectos. Teſſeras præterea cubos dici Græce ſcribunt, & Gellius ex Varronis ſententia, & Macrobius quod Feſtus quoque affirmat. Aſtragalos vero, Latine talos vocari. Iulius tamen Pollux diligentiſſimus apud Græcos, oſtendit aſtragalum teſſeram eſſe, cum ait duo latera deeſſe in aſtragalo, hoc eſt duo puncta & quinque, quæ in hoc vt ſcribit non ſunt vt in cubis. Teſſeram autem talo inferiorem eſſe declarat Martialis. Non mea magnanimo depugnat teſſera talo. Et alibi. Non ſum talorum numero par teſſera: vt omnino aſtragalus teſſera Latine dici debeat non talus. *Dexter ſenio.*) Propitius & vtilis. Nam in talis ſenio & venus lucrum afferebant. Canis vero damnum & iacturam, vnde Tranquillus in Auguſto. talis iactatis vt quiſque canem aut ſenionem miſerat in ſingulos talos ſingulos denarios conferebat in medium. quos tollebat vniuerſos qui Venerem iecerat. Horatius. Quẽ damnoſa Venus, quem præceps alea nudat. C. *Senio.*) ἑξίτης dicitur à Græcis, ab Ariſtotele Cous, libro ſecundo de Cœlo. vbi male legitur chios. S. *Damnoſa Canicula.*) Quæ iacturam afferebat. Propertius. Semper damnoſi ſubſiluere canes. C. *Canicula.*) κύων Græce dicitur, & monada, quod vno notaretur puncto. S. *Raderet.*) Auferret. *Anguſtæ orcæ.*) In quam humi defixam pueri nuces iaciebant. Orca genus vaſis terrei. *Buxum.*] Hoc eſt turbinem ex buxo, quo ludo pueri exercentur. Tibullus. Nanque agor vt per plana citus ſola verbere turbo, Quem celer aſſueta verſat ab arte puer. Virgilius. Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo, Quem pueri magno in gyro vacua atria circum Intenti ludo exercent. Eſt enim turbo in modum pilæ ligneæ, qui ab anguſto incipiẽs ſursũ verſus in latitudinem migrat, vnde forma turbinata nominatur. Dicitur autẽ & hęc buxus & hoc buxum. Virg. Tympana vos buxuſque vocãt Berecynthia matris Idææ & alibi. Et torno raſile buxum. *Flagello.*] Crebra enim ſcuticæ percuſſione in gyrum vertitur. *Haud tibi inexpertum.*] Indignatur in deſidem, dicens illum excuſari non poſſe quando iam ea ſit ætate vt

cognoſcat quæ mala ſint, & ea omnia quæ à philoſophos diſputentur. *Inexpertum.)* Incognitum. *Deprendere.)* Cognoſcere. *Curuos mores.)* Vitia. Perſius alibi: Appoſita intortos extendit regula mores. Econtrario rectos mores dicimus .i. virtutem. *Quaque docet ſapiens porticus.)* .i. philoſophi Stoici, qui à Stoa .i. porticu ſunt appellati. Nam Athenis porticus erat, quæ piſianactia vocabatur, referta varia & multæ ſcientiæ pictura Polygnoti Thaſij, in qua cum diuerſis temporibus iam mille quadringenti tringinta ciues interfecti fuiſſent voluit Zeno locum illum ſtabilem atque inuiolabilem reddere. Quare cœpit in illa docere, ad quem eo audiendum diſcipuli confluentes qui antea Zenonij dicebantur, poſtea ab ipſa porticu Stoici ſunt vocati. Hæc Laërtius. *Braccatis.)* Braccas ſcribit Diodorus veſtes eſſe, quas Galli ad terrorem intonſas & varij coloris ferunt, eaſdem Græci eodem auctore Anaxiridas vocant. Diodoro adſtipulatur Cornelius Tacitus ita ſcribens. At Cecinna velut relicta poſt alpes ſæuitia ac licentia modeſto agmine per Italiam inceſſit. Ornatum ipſius municipia & coloniæ in ſuperbiam trahebant, quòd verſicolori ſagulo, braccas, barbarum tegmen indutus togatos alloqueretur. Braccas item veſtes eſſe docet Suetonius in Cæſare cum ait, Gallos Cæſar in triumphum ducit. ijdem in curia Galli braccas depoſuerunt, latum clauum ſumpſerunt. *Illita.)* Picta. nam in ea porticu picta erat pugna Athenienſium quam commiſerant duce Xerxe cum Perſis dicente Plinio. Pinxit Polygnotus & Athenis porticum, quæ pœcile vocatur, gratuito, cũ pater eius Mycon mercede pingeret. Paneus quoque frater Phidiæ etiam prælium Athenienſium aduerſus Perſas apud Marathonem factum pinxit. Adeo iam colorum vſus increbuerat, adeo ars perfecta erat, vt in eo prælio ironicos duces pinxiſſe tradatur, Athenienſium, Miltiadem, Callimachum, Cynegyrũ; Barbarorum, Darium, Thyſſaphernem. *Medis.]* Medorum talis eſt ſitus. nam habent Parthos & Caſpos ab ortu, à meridie Sittacenem & Suſianem ac Perſida, ab occaſu Adiabenem, à ſeptentrione Armeniam. Dicti autem Medi à Medo filio Medeæ, qui vt ſcribit Diodorus ibi regnauit. *Indetonſa.)* id eſt, non tonſa more veterum. Virgilius. Ora puer prima ſignans intonſa iuuenta. *Siliquis.)* Siliqua ſpecies eſt arboris quę vt ſcribit Plinius naſcitur in Syria, Ioniáque & circa Gnidum, atque in Rhodo ſemper comantibus folijs, flore candido, cum vehementia odoris. ea à Ionibus ceraunia vocatur, trunco fertilis, ſed pomo ſiliquæ. Ob id quidam Ægyptiam ficum dixerunt errore manifeſto cum in Ægypto auctore Plinio non naſcatur Hic vero poëta ſiliquas poſuit pro leguminibus. Hę enim generaliter ſignificant tegumenta & folliculos leguminum & cæterarum frugum. Vnde Plinius piperis ſiliquas appellat. Virgilius in geor. Grandior vt fœtus ſiliquis fallacibus eſſet. Et

quamuis igni exiguo properata maderent. Hoc autem dicit ex Pythagoræ ſententia, qui cum ſentiret animos hominum poſt mortem migrare in noua corpora vel hominum vel brutorum, à carnibus abſtinendum eſſe ſuaſit, ne ſcilicet edendo in animos humanos ſæuirent? ſed hortenſibus tantum veſcendum dicebat. vnde Iuuenalis. Viue bidentis amans, & culti villicus horti: Vnde epulum poſſis centum dare pythagoræis. & inde alibi. Vel quo non fugeret, ſi nunc hæc monſtra videret Pythagoras, cunctis animalibus abſtinuit qui Tanquam homine, & venti indulſit non omne legumen? *Grandi.)* Abundanti. *Polenta.)* Pluribus modis fieri polentam docet ſic Plinius. Græci perfuſum aqua hordeum ſiccant nocte vna ac poſtero die frigunt. deinde molis frangunt. Sunt qui vehementius toſtum rurſus exigua aqua aſpergunt, ſiccentque prius quàm molant. alij vero virentibus ſpicis decuſſum hordeum recens purgant, madidumque in pila tundunt, & in corbibus eluunt, ac ſiccatum ſole rurſus tundunt & purgatum molunt. Quocunq; autem genere præparato vicenis ordei libris ternas ſeminis lini & coriādri ſelibras, ſaliſq; acetabulo torrentes ante omnia miſcent in mola. Qui diutius volunt ſeruare cũ polline ac furfuribus ſuis condunt nouis fictilibus. Italia ſine perfuſione toſtum in ſubtilem farinā molit, ijſdē additis & milio. *Et tibi quæ ſamios diduxit littera ramos.)* Pythag. per y literā quæ in duas partes diuiditur ſignificauit nobis duas eſſe propoſitas vias, quarũ dextra ardua & anguſta nos ad virtutē inuitaret: ſiniſtra vero lata & ampla vitijs pateret. Nā biuiũ y literæ ab anguſto incipiēs, iuuētutis ſpeciē præfert, quo tēpore homines incerti ſunt vitia ne .i. partē ſiniſtrā, an virtutē .i. dexterā ſequantur. De qua litera Virg. ſic, Littera Pythag. diſcrimine ſecta bicorni. Humanæ vitæ ſpeciē præferre videtur. Nā via virtutis dextrũ petit ardua callē, Difficilēq; aditũ primũ ſpectātibus offert. Eam literā aliqui Philoſtrati auctoritate nixi Palamedē inueniſſe crediderũt, quod cũ olim in cōcione Achiui vt Philoſtr. ſcribit, forēt atq; ex cōſueto grues volarent Vlyſſes Palamedē reſpiciēs ait: Grues Achiuis teſtibus inuentionē ſibi literæ vindicāt. Cui Palamedes ego ſane inquit literas nō inueni ſed ab auibus inuētas fateor. Nā is (vt tradit Corn. Tacitus) tēporibus Troianis ſexdecim literarũ formas inuenit. Ad quod Mart. reſpexit de gruibus loquēs. Turbabis verſus, nec littera tota volabit, Vnā perdideris ſi Palamedis auē. & Lucanus. Et turbata perit diſperſis littera pēnis. Sed y literā Palamedē à gruibus inueniſſe nec Philoſtr. nec Corn. tradunt. Ego vero à Simonide melico y literā inuentā credidero: nā vt Plinius ſcribit literas inuenit Simonides, ypſilō, zita, cappa, O mega id quod tradit Corn. præcipuũ Simonidē poſt Palamedē cæteras reperiſſe. *Et tibi quæ Samios diduxit littera ramos.)* Ordo eſt & litera quæ diduxit ſamios ramos mōſtr. tibi callē ſurgētē dextro limite. *Samios)* .i. Pyth.

qui auctore Trogo Pompeio Sami Demarato locuplete negociatore patre natus eſt vir omni doctrinarum genere excellẽtiſſimus. mortuus eſt Metaponti, quod oppidum eſt quo tertia Italia regio finitur, tanta omnium admiratione, vt ex domo eius templum facerent, eumq; pro deo colerent. obijt autem eo anno, vt ſcribit Euſeb. quo Volſci Coriolum perdiderunt. *Stertis adhuc.*] Cum ætate tam grandi ſis, nondum ad virtutem excitaris. *Laxumque caput.*] Diſſolutum. *Compage ſoluta.*] Bene deſidioſi hominis mores expreſſit. dicimus cõpagem & compaginem à compingendo. *Oſcitat.*] Quod heri bibit & comedit, cum animi ſecuritate vt negligens concoquit. Oſcitatio enim ex animi ocio & ſecuritate prouenit. oſci tantes igitur ſecuri & nihil prouidentes. Terentius. Amoto metu inter oſcitantes opprimi.

EST ALIQVID QVO TENDIS.] Per ironiam interrogat an aliquem ſpectet finem quo vita ſua ſit directa. nam cum in rebus humanis plures ſint fines, is omnium ſecundum philoſophos potiſſimus habetur, ad quem reliqui tendunt. Quicquid enim faciunt ho mines ſeu nauigent ſeu ædificent, ſiue alia quæuis gerant, ob id faciunt vt ad vltimum finem perueniant, ad vitam .ſ. beatam. Dicit ergo poëta eſt ne tibi finis quiſquam propoſitus q. d. Ex nulla quidem ratione vita tua dependet. *In quo dirigis arcum.*] id eſt, mentem tuam metaphora eſt ſumpta à ſagittarijs. *An paſſim ſequeris coruos.*] Tanquam nihil prouidens, & nihil de futuro cogitans. ſumptum à pueris, qui ſine vlla præmeditatione aues plerunque ita ſtulte inſequuntur, vt in foueas ferantur præcipites. per quod oſtendit eos quorum vita nulla ratione & conſilio regitur in magnas miſerias deuenire. *Securus.*] Quia nihil conſideret. Horat. Si veluti merulis intentus decidit auceps In puteum foueamque. *Ex tempore viuis.*] id eſt, vt ſeſe dant tempora, nihil omnino penſi habens quid futurum ſit. *Helleborum fruſtra.*] Monet homines ætate iuuenili ſummo ſtudio bonis artibus & diſciplinis inuigilandum eſſe, cauendumque ne vitia in nobis inueteraſcant, quæ vt in corporibus inueterati morbi ægrius depelluntur. Helleborum herba eſt, quæ veratrum Latinis vocatur, qua cerebrum & bilis purgantur, & vt diximus hominis inſania emendatur.

Cutis ægra tumebit.] In hydropiſim incideris, quo morbo cutis inflatur. *Et quid opus Cratero.*] Craterus nobilis medicus, de quo Horatius. Nõ eſt cardiacus, Craterum dixiſſe putato, Hic æger. Eiuſdem nominis fuit & magni Alexandri dux. *Magnos montes.*] id eſt, magnos theſauros. hoc de prouerbio tractum eſt. Terentius. Modo non auri mõtes pollicens. hic ſenſus eſt. Si in adoleſcentia & in annis florentibus non didiceris, non eſt vt ſperes multa pollicendo magiſtris & philoſophis qui diſcentium medici dici poſſunt, erudiri poſſe ſuperuenien-

te ſe-

te ſenectute. *Diſcite miſeri.*) Satyrica eſt exclamatio miſerationis plena, per quam hortatur homines ad philoſophiam, & cætera bonarum artium ſtudia, relinquantque alijs opes & diuitias. quando melius nihil ſit quàm ingenij viribus gloriam quærere. *Cauſas cognoſcite rerum*] Hoc eſt philoſophiam naturalem, quæ circa rerum cognitionem verſatur. *Quid ſumus.*) Hoc pertinet ad philoſophiam moralem, quaſi diceret, nos omnes diſciplinas & ſtudia ſequi debere. Aliquit ita interpretantur, quàm fragiles ſumus. ac ſi dicat. cum vita ipſa qua fruimur breuis ſit, debere nos iuxta illud Salluſtij quàm maxime longam efficere virtutis ſplendore: quæ cum omnia breui elabantur ipſa clara æternáque habetur. Virgilius. Breue & irreparabile tempus Omnibus eſt vitæ, ſed famam extendere factis, Hoc virtutis opus. alius eſt ſenſus & melior. nos reminiſci debere nos natos eſſe homines rationis capaces, & à brutis ratione diſcerni quam ſequi nos deceat. Ergò diſcite quid ſumus, id eſt, ſcitote nobis à natura datam eſſe rationem ex qua vita noſtra pendeat: & ita cum ſuperioribus coniungatur, vt intelligamus ideo deſidioſos virtutis curam non habere, quia eorum vita ratione non gubernetur. *Aut quidnam victuri gignimur.*) Vt honeſta & recta ſequamur nati ſumus. *Ordo quis datus.*) Quo ordine excolenda ſit vita noſtra. qui quidem talis nobis præſcribitur, vt nemini iniuriam faciamus. Vnicuique quod ſuum eſt reddamus. De omnibus bene mereamur. Hic ordo eſt & regula qua nobis viuendum eſt. *Aut metæ quàm mollis flexus.*) Quàm cito & molliter, id eſt, ſine ſtrepitu hæc ætas noſtra decidat, quæ ex floreſcente in ſenectutem quàm mox declinat. vnde Iuue. Obrepit non intellecta ſenectus. & ita monet, quando vt diximus vita noſtra breuis eam nos quàm maxime virtute longam efficere debere. Sumpta eſt tranſlatio ab equis qui circa metas in circo currebant. *Metæ*] id eſt, finis & termini vitæ. Virgilius. Metaſq; dati peruenit ad æui. *Et vnde.*] Subauditur incipit, vt ſit ſenſus, ſcire noſtram originem duci à mortalibus, & ideo nos eſſe mortales, vt omnino nobis recte viuendum ſit. *Quis modus argento.*] Ac ſi dicat auaritiam fugiendam eſſe, & ea tantum quæ ſatis ſint ad victum comparanda. quæ omnia ex philoſophia morali habentur. *Quid fas optare.*] Quid optandum ſit. vt intelligamus nihil à dijs peti debere niſi vt aiebat Socrates, tribuant bona. vnde emergit illud Iuue. Nil ergo optabunt homines? ſi conſilium vis, Permittes ipſis expendere numinibus, quid Conueniat nobis, rebuſque ſit vtile noſtris. Hoc ideo dicit poëta quia ſtulti contraria optant, & pauci ſunt qui quid optandum ſit cognoſcant. vnde Iuue. Quid enim ratione timemus Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, vt te Conatus non pœniteat votique peracti? *Quid aſper Vtile nummus habet.*] Pecunia ob id inuenta eſt, vt non iam in terram defodiatur, ſed vt egentibus

ſubueniamus. ad eam igitur vtilitatem parari debet, vt partim nobis, partim alijs prodeſſe poſſimus. *Aſper.*] Propter ſculpturam, quod Plinius oſtendit loquens de poculis, ea erant exciſa in aſperitatem. Virgilius. Cymbiaque argento perfecta atque aſpera ſignis. *Patriæ chariſque propinquis.*) Patriæ enim charitati nihil denegandum eſt, & propinqui eadem ratione adiuuandi. *Quem te deus eſſe.*) Fac, inquit memineris deum velle te bonum eſſe & iuſtum. *Humana qua parte locatus es in re.*) Quaſi diceret, cum in rebus humanis varia ſint animalium genera, te hominem eſſe ſcito, cui ſoli rerum adminiſtrandarum ratio conceſſa eſt. & ideo non feritatem, ſed humanitatem exercendũ eſſe. *Nec inuideas quod multa fidelia putet*) Hinc docet auaris diuitias eſſe relinquendas,& præ virtute omnia paruifaciẽda eſſe.Hoc eſt quod præcipit philoſophia moralis. *Fidelia.*)Genus vaſis in quo optime ſeruantur ſalſamenta. *Penu.*] Appellatione penus intelligimus auctore Gellio,omnia eſculenta & poculenta in vſum totius anni. Terentius. Cum in cellulam patris omne penum congerebam. Horatius: portet frumenta penuſque.hic autem poſuit penum pro reconditorio rerum. *Locuplete.*) Locupletem A. Gellius dici putat quaſi loca pleraque tenentem. *Vmbris.*) Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur, vt quos Vmbrios à Græcis putent dictos quod inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent. Tercenta eorum oppida Thuſci debellaſſe reperiuntur. *Pinguibus.*) Ob generoſum oleæ liquorem. Nam auctore Plinio, hoc certamen humanæ voluptatis tenuere. *Piper.*) Apud Indos, pręcipuéque in fronte Caucaſi ſolibus oppoſita gignitur. arbore autem quæ piper gignit iuniperis noſtris ſimilis eſt, piper quod candidum dicitur in precio eſt, idque cibarijs addebatur. Horatius.Primus & inueni piper album cum ſale nigro. *Perna.*) Eam partem in ſue acceperunt antiqui, quę cruribus coniuncta eſſet. ita enim ſcribit Cato. Cum pernas emeris vngulas earum præcidito. Plinius tamen pro cruribus accepit, cum ait. Caſtrantur fœminæ ſuſpenſæ pernis prioribus. *Marſi.*) Populi Apuliæ, Abellinates antea appelati. *Clientes.*) Clientes dicuntur qui magnos viros ſequuntur quaſi colentes. Nam Romulus auctore Feſto cum plebem tutam eſſe vellet, eam inter patres diſtribuit, vt eorum opibus defenderetur. vnde tunc primum & patrocinia & clientelæ inſtitutæ ſunt. Monumẽta dicuntur, quæcunque relinquuntur ad memoriam. Clientes ergo, vt beneficij accepti memores eſſe videantur aliquid donant, quod ſui ſit memoriam conſeruaturum. *Menâque.*) Piſcis eſt marinus, qui colorem, vt ſcribit Plinius, mutat: nam hyeme candidus, æſtate fit nigrior.

Hic *aliquis de gente hircoſa centurionum.*) Mira vrbanitate dum rationes aſpernantis recitat, eos percutit, qui & virtutes & viros

virtuoſos contemnunt. *Hic.*) Pro tunc. *gente hircoſa.*) Hiſpida, hirſuta quæ tantum laborib. & militiæ ſit apta: nam fruticantibus pilis ſub alis hircoſi dicuntur à fœtore hircino, iique ad militiam putabantur idonei. Iuue. Sed caput intactum buxo nareſque piloſas Adnotet, & grandes miretur Lælius alas. *Centurionum.*) id eſt militum, vt alibi. Dixeris hæc inter varicoſos centuriones. Centuriones dicti quòd centurijs præſint, quarum centenarius eſt numerus. *Quod ſatis eſt ſapio mihi.*) Rationes contemnentis philoſophiam. *Arceſilas.*) Pitaneus fuit academiæ nihil affirmantis clariſſimus antiſtes, Crantoris diſcipulus, qui cum in dicendo grauiſſimus eſſet & in ſcribendo ſatis exercitatus, poëticæ quoque operam dedit. Et ille eſt qui, vt refert Plutarchus auctore Gellio, cum vidiſſet quendam diuitem nimis delicatum, qui incorruptus tamen & caſtus dicebatur: nihil, inquit, intereſt quibus membris cinædi ſitis: poſterioribus an prioribus. Hic ab alijs Arceſilaus dictus eſt. Obijt, teſte Hermippo, cum vinum immodice bibiſſet. *Aerumnoſique Solones.*) Septem ſapientes Græciæ quorum vnus fuit Solon, Execeſtidæ filius patria Salaminius, qui regnante Tarquinio Priſco Romę Athenis claruit. Is teſte Ariſtotele, leges dedit Athenienſibus tanto cum temperamento, vt parem gratiam, teſte Iuſtino à ſenatu & plebe contraheret, quanquam plebs & ſenatus in ſumma prius eſſent diſſenſione. Quibus ſi Athenienſes perpetuo vti voluiſſent, ſempiternum, vt ait Valerius, habituri fuiſſent imperium. Idem oraculi iudicio ſapientiſſimus habitus eſt. In Cypro cum Piſiſtrati tyrannidem fugiſſet, mortuus eſt anno ætatis octogeſimo. *Aerumnoſi.*) Qui ſemper in laboribus & miſeriis verſantur: nam ærumna auctore Cicerone eſt ægritudo laborioſa. *Obſtipo capite.*) Obliquo. Horatius. Stes capite obſtipo multum ſimilis metuenti. Columella loquens de ſuibus. Febricitantium, inquit, hæc ſigna ſunt, cum obſtipæ ſues tranſuerſa capita ferant. Tranquillus in Tybe. Incedebat ceruice rigida & obſtipa. *Rabioſa ſilentia.*) Tractum à canibus qui in rabiem verſi neſcio quid ſecum frendunt. *Trutinantur.*) Penſitant quaſi trutina. *Aegroti veteris medit. ſo.*) Appellat aſpernator virtutis, quæ philoſophi diſputant & diſſerunt tanquam ſomnia valetudinarii hominis. *Meditantes.*) Æmulatio eſt Hora. Neſcio quid meditans nugarum totus in illis. *Gigni de nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reuerti.*) Fuit communis opinio apud philoſophos, quam inter cæteros auctore Laërtio maxime probauere Epicurus, Diogenes Themidis filius, & Democritus, cum de mundi & rerum creatione loquerentur, nihil ex eo quod non ſit fieri, neque in id quod haud quaquam ſit corrũpi. Quæ nunc vt ſubtilia & otioſa irridet aſpernator virtutis contẽnens philoſophos, qui talia inueſtigent. *Hoc eſt cur pales.*) Verba irridentis philoſophos quos per irriſionem ex eo palleſcere dicit, quod nimis ſtudeãt. *Cur quis non prandeat.*) Liberaliũ enim artiũ ſcriptores

parce viuunt, vnde Iuue. Tunc vtile multis Pallere, & toto vinum neſcire Decembri. *His populus ridet.)* Philoſophi à vulgo derideri ſolēt, vt Perſius alibi docet. Nec qui abaco numeros & ſecto in puluere metas Scit riſiſſe vafer multum gaudere paratus, Si cynico barbam petulans nonaria vellat. *Toroſa.)* Carnoſa & pulpoſa, quo vocabulo vtimur & in rebus inanimatis, vt ſæpe eſt apud Plinium. *Cachinnos.)* Riſus immoderatos.

INSPICE, NESCIO QVID TREPIDAT MIHI PECTVS.) Inſurgit poëta in eos qui tanta ſunt intemperantia, vt quamvis valetudinarij ſint, cupiditatum tamen vitia ſuperare non poſſint, ſed ijs ita inſeruiant, vt grauiori contracto morbo moriantur. Hos igitur poëta ridendo percutit, oſtendens quàm turpe, quanque miſerum ſit hominem cupiditati & corporis voluptatibus ſuccumbere. *Inſpice.]* Verba ſunt ægrotantis. *Trepidat.]* Palpitat. *Grauis halitus* Difficilis & olens. *Faucibus.]* Phyſicum eſt laborantem ſtomachi cruditate graueolentiam emittere. Fauces auctore Plin. vocantur ſummũ gulæ, eæque numero tantum plurali. *Qui dicit medico.]* Ordo eſt. qui dicit medico quæ ſupra dicta ſunt, iuſſus requieſcere, rogauit ſibi loturo ſurrētina lenia de maiore domo, poſtquã tertia nox vidit venas cõpoſitas, currere. Venas cõpoſitas pulſum arteriarũ quietũ. *De maiore domo.)* .i. diuitis. *Lagœna.]* Genus vaſis. *Modice ſit.]* Parum capaci. *Surrentina.]* Auctore Plinio conualeſcentibus maxime probata erant propter tenuitatem, ſalubritatemque. Tiberius tamen Cæſar dicebat conſenſiſſe medicos, vt nobilitatem ſurrentino darent, alioquin eſſe generoſum acetum. C. Cæſar qui ſucceſſit illi, dixit nobilem vappam. Surrentina dicta ſunt à ſurrentinis montibus Campaniæ. *Lenia.]* tenuia. Tria enim ſunt vini genera, auſterum, dulce, & lene. *Sibi loturo.)* id eſt, qui balnea ingreſſurus eſt. *Heus bone, tu palles.]* Verba medici bene conſulentis. *Nil eſt.]* Verba ægroti aſpernantis monitiones medici. *Videas tamen iſtud.]* Verba medici bene conſulentis. *Surgit tacite tibi lutea pellis.]* Subaudi nam. Lutea coloris croci, quod in infirmo peſſimum eſt ſignum. *At tu deterius palles.)* Tantum abeſt vt capiat conſilium medici, vt vltro etiam irrideat. *Ne ſis mihi tutor.)* Curator qualis pupillis adhiberi ſolet. Hora. Siue ego praue, Seu recte hoc volui, ne ſis patruus mihi. *Iampridem hunc ſepeli.)* q.d. eum à quo regendus erat non ſeipſum bene rexiſſe, quandoquidem ante ſe mortuus ſit, quare infert, tu reſtas quem antea ſepeliam quam moriar. Æmulatio eſt Horatij. Omnes compoſui felices, nunc ego reſto, Confice. *Perge tacebo.)* Medici ſunt verba irati & diſcedentis. *Atque albo ventre l.)* Nam ante cœnam Romani, auctore Celſo, exercebantur: poſt eam exercitationem balnea ingrediebantur. Quod & Appianus Alexandrinus indicat, loquens de Catone Vticenſi. Circa veſperam à

balneo ad cœnam tranſit. Idque etiam ab antiquis obſeruatum oſtendit Verg. cum ait. Littore ahena locant alij flammaſque miniſtrant: Tum victu reuocant vires. Nam, auctore Seruio grammatico, ahena parata erant à Troianis, vt ſe ante lauarent quam cœnarent, cum heroicis temporibus carne elixa non veſcerentur. *Albo ventre.*) Pallido. Horat. Vides vt pallidus omnis Cœna deſurgat dubia. *Mephites ſulphureas.*) Halitus graues & olentes. Mephitis aũt odor eſt naſcens ex terris ſulphuratis. Virg. Sæuamque exhalat opaca mephitim. *Sed tremor inter vina ſubit.*) Ex nimia repletione & cruditate ſtomachi in conuiuijs obrepunt tremores, & repente moriuntur. Iuue. Hinc ſubitæ mortes atque inteſtata ſenectus. Hinc erumpit indignatio poëtæ. *Calidumque trientem.*) Genus eſt vaſis potorij. Mar. Cum potes amethiſtinos trientes, Et nigro madeas opimiano. Item genus nummi. Iuue. Quem porrigat ore trientem. *Pulmentaria.*) Pulmentariorum appellatione omnia ciborum genera minutiſſima intelligamus, à pulte denominata, vt ſcribit Plin. Horat. Tu pulmentaria quære ſudando. Seruius quoque in Bucolicis dicit Theſtilem eſſe nomen mulieris ruſticæ, quæ meſſoribus æſtu fatigatis diuerſa genera herbarum contundens pulmentarium ijs parat. *Hinc tuba.*] Conſuetudo fuit maioris ætatis, vt funera ad tubam efferrentur. Verg. It cœlo clamorq; virum, clangorque tubarum, minoris vero ad tibias. vt Statius de Archemoro. Tibia cui teneros ſolitum deducere manes. Id quoque ſeruatum fuiſſe in funere eius corui, qui Tiberium, deinde Germanicum, & Druſum Cæſares nominatim ſalutabat Plin. oſtendit cum ait Conſtratum lectum ſuper Æthiopum duorum humeros præcedente tibicine, & coronis omnium generum ad rogum vſque. *Beatulus.*) qui beatus exiſtimatur & diues. *Alto lecto.*) Nobili & diuiti. Inuidioſe hoc dicit. nam in lectis funera deferebantur. Sueto. loquens de funere Cæſaris. Lectum pro roſtris in forum magiſtratus & honoribus functi detulerunt. *Lutatis.*) Perfuſus à luto deriuatum. *Craſſis amomis.*) In inuidiam temporum ſuorum hoc dicit, quibus corpora mortuorum aromatibus peruncta ſepeliebantur. Perſius. Vrnæ Oſſa inodora dabit. Plin. loquens de vnguentis ſic ait. Honoſque is ad defunctos pertinere cœpit. *Amomis.*) Vnguentis ex amomo. Nam inter vnguenta acutiora fiunt coſto amomo, quæ maximæ nares feriant. Craſſiora myrrha, ſuauioraque. Medicinæ autem vtiliora croco, acerrima per ſe amomo, hoc eſt quod capitis dolores facit. Amomum, genus fruticis palmi altitudine, cuius vua in vſu eſt indica. Laudatur quam maxime punici mali folijs ſimile, nec rugoſis, colore ruffo. Naſcitur in Armeniæ parte, quæ vocatur Ocene, & in Media, & in Ponto. *In portam rigidos calces extendit.*) Funera enim pedibus præcedentibus efferuntur. *Heſterni quirites.*) Liberti, qui pridie per mor-

tē domini libertatem accepere. Quirites Romani. Cures enim vrbs quondam fuit Sabinorum inſignis, nunc autem (vt ſcribit Strabo) viculus, ex qua acciti, T. Tatius, & Numa Pomp. Romæ quandoq; regnantes. Hinc quirites appellare ſolent Romanos, qui orationem habent ad populum. *Capite induto.*) Accepto pileo, quod raſo capite induebantur cum liberi fierent. Nam ſerui cum mannumittebantur in templo Feroniæ, quæ libertorum dea perhibebatur, raſo capite pileum accipiebant. Cuius rei Plautus in Amphitryone mentionem facit. Quod vtinam ille faxit Iuppiter, & ego hodie raſo capite caluus capiam pileum. Plinius loquens de Cornelio Cinna, pileum libertatis eſſe ſignū indicauit dicens. Vocatiſque ad pileū ſeruis aduerſarios vicit.

TANGE *miſer venas.*] Inuehitur in eos qui ocio & deſidiæ conſulentes languorem præ ſe ferunt, & tamen ſuperantibus animi cupiditatibus ratione contineri non poſſunt quin ita ferantur vt ijs nihil inſanius habeatur. Tales igitur poëta deridet docens nihil homini miſerius quàm animi vitijs laborare. itaque inducit hominem ægrotum qui medicum de valetudine conſulat. *Miſer.*] Nominatiuus eſt .i. ipſe æger miſer ſubaudi ait. *Nil calet hic.*] Pronunciatiue legendum eſt. verba ſunt medici negantis eum calere. *Non frigent.*] Verba medici oſtendentis nullum prorſus eſſe ſignum ægritudinis. *Viſa pecunia.*] Hic oſtendit hominis auaritiam .i. ſi aliqua ſpes oſtenta fuerit pecuniæ vel puellæ habendæ tibi qui infirmitatem fateris, ſtatim in eam prorumperes lætitiam, vt non æger, ſed ſanus agnoſcare. *Subriſit molle.*] Pro molliter. tanquam tibi obſecutura. *Puella vicini.*] Hinc ardorem libidinis demonſtrat. hæc dicuntur ex perſona poëtæ ſubſannantis. *Cor tibi rite ſalit.*] Scilicet præ nimia lætitia. verba poëtæ irridentis. *Poſitum eſt algente catino.*] Deeſt ſi, vt ſit ſenſus. ſi huic qui iam morbo liberatus videtur cibos populares appoſueris, rurſus morbo teneri ſe dicet. Per quod oſtenditur quam turpe ſit hominem eſſe tantæ vecordiæ vt rationes imperium fugiat, & appetitui obtemperet. *Durum holus.*] Holera dicuntur quæ in horto naſcuntur, ab holendo. inter holera Celſus connumerat etiam rapas. *Catino.*] Vas eſt eſcarium. *Cribro.*] Inſtrumentum eſt quo farina decutitur & purgatur. ex ſetis equinis fieri conſueuit. id etiam apud nationes orientales ex ſerico conficitur. *Populi.*] q. d. quo vtuntur plebei & pauperes. *Tentemus f.*] Subaudi ſi medicus dicet. *Tenero latet bulcus in ore*] Verba ægroti, poſſunt etiam eſſe poëtæ irridentis eius amentiam qui ita animi affectibus obtemperat, vt modo ſanitatem modo valitudinem corporis præ ſe ferat. *Radere.*] Tangere. *Plebea.*] Qua pauperes veſcuntur. *Agles.*] Legendum eſt in ſecunda perſona non in tertia quod indicant ſequentia, Diciſq; faciſq;. *Alges.*] Febricitas quidem, vt ſit ſenſus. morbo quidem acri vexaberis, ſed rationis oblitus ita in

iram oblata leui occaſione effunderis, vt delirus eſſe videare.

Tremor albe.) Febris, ab eo quod præcedit id quod ſequitur Nam febrem ſequitur tremor. *Albus.*) Pallidus vt ſupra. atq; albo ventre lauatur. *Ariſtas.*) Metaphoricos pilos. Nã ariſtæ proprie sũt aculei ſpicarum dictæ quod cito areſcãt. *Face ſup.*) Materia iracũdiæ. *Scintillant oculi.*) Expreſſio irati. *Diciſque faciſque quod ipſe non ſani e. h. n. ſ. i. o.*) Ordo eſt, dicis & facis quod ipſe Oreſtes nõ ſanus iuret eſſe hominis non ſani. *Ipſe.*) Emphaſis. i. qui ratione prorſus caret. Oreſtes Agamemnonis Mycenarum regis filius fuit & Clytẽneſtræ, qua cũ patrẽ à bello iliaco reuerſum, ab Ægiſto adultero & Clytenneſtræ, interfectũ cognouiſſet, ſeque ab eiſdẽ in mortẽ vocari, capta opportunitate Ægiſtũ & matrem necauit. Cuius parricidij Areopagitarum iudiciũ ſubire coactus, variatis (vt ſcribit Cicero in oratione pro Milone) ſententijs abſolutus fuit. Cęterũ conſcientia geſtorũ exagitatus in inſaniã & furias verſus videre ſibi videbatur matrẽ ſe ardẽtib. facib. & ſerpentib. atris inſequentẽ. vnde Virg. Armatã facibus matrem & ſerpentibus atris. Cum fugit, vltricéſq; ſedent in limine diræ. Pacuuius Oreſtem inducit monitu Pyladis vt furias vitaret Apollinis templum ingreſſum, & cum inde exire vellet ei furias occurriſſe. ad quod reſpexit Virg. Vltriceſque ſedent in limine diræ. nota eſt hiſtoria.

IN SAT. IIII.

REM *populi tractas.*) Reprehenſurus hac ſatyra eos qui aliena vitia ſolerti diligẽtia perſpiciũt & notãt, DOMITIJ Neronis perditiſſimis offenſus moribus eũ imprimis acerbitate ſatyrica inſectatur, quod vix dũ pueritiã egreſſus, decepto per Agrippinæ matris ſcelus Britannico poſt mortẽ Claudii imperiũ occupauit, cũ per ætatẽ & rerũ imperitiã quid agendũ, quidue dicendũ eſſet ignoraret. ſed omnia ſibi alterius cõſilio adminiſtrãda eſſent. Nã vt ſcribit Corn. illud in vrbe iactabatur. quemadmodũ princeps vix decẽ & ſeptẽ annos egreſſus ſuſcipere eam molẽ, aut propulſare poſſet? quod ſubſidiũ in eo qui à fœmina regeretur? Nã matri ſummã omniũ rerũ auctore Trãquillo publicarũ priuatarũq; permiſit, vnde prælia quoq; & oppugnationes vrbium, & cætera per belli magiſtros adminiſtrari poſſent, alii inquirebant. hinc igitur exclamat, hinc excãdeſcit. Et ne in principẽ cuius tẽporibus floruit poëta, ferri videatur; Socratẽ inducit qui Alcibiadẽ Athen. diſcipulũ ſuũ reprehendat. Hoc ego excogitaui quod quidẽ vero verius eſt. Alii vero aſtutiã poëtæ & tempora quibus floruit non conſiderantes, hunc locum generaliter errore manifeſto accipiunt. *Rem pop. tractas.*) Imperium Romanum ſuſcipis regendum? cum interrogatione leged. *Barbatum hoc crede magiſtrum.*) Hæc ſtatim poëta ſubiecit ne ſuſpectus eſſet Neroni tãquã eũ notaret. Senſus eſt igitur. Alcibiade quæ dicũtur.

in correctione morum tuorum à Socrate dici credito. *Barbatum magiſtrum.*] Socratem quo magiſtro vſus eſt Alcibiades, à quo etiam dilectus, ſed ita tamen vt Plato ſcribit in Sympoſio ſuo, Alcibiadem commemorantem ſe pernoctaſſe cum Socrate, nec aliter ab eo ſurrexiſſe ac filius à parente debuerit. hic prima ætate ab Athenienſibus dux electus cum Nicia & Lamacho aduerſus Siculos bellum geſſit, ſed ad reatum vocatus quod ſacra Cereris nullo magis quàm ſilentio ſolennia enunciaſſet, ſiue conſcientiam ſiue indignationem rei non ferens tacitus in exilium profectus eſt. De hoc Æmilius, Plutarchus, & Trogus. *Cicuta.*) Cicuta venenum eſt publica Athenienſium pœna inuiſa. Semen habet noxium, ei & folijs refrigeratoria vis eſt, quę ſi enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. Remedium eſt prius quàm perueniat ad vitalia vini natura excalefactoria, ſed in vino pota irremediabilis exiſtimatur. *Tollit.*) Perimit. Socrates Atheniẽſis philoſophus clariſſimus filius Sophroniſci marmorarij, & Phanaretæ obſtetricis, primus fuit qui philoſophiam mortalem vt ait Cicero euocauit è cœlo coegitque de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quærere, cùm ante illum philoſophi omnes rebus phyſicis perſcrutandis operam tantummodo impenderent. Sed cum hic nonnunquam Anytum Athenienſem virum locupletem & factioſum rideret ob eius ineptias, Ariſtophanes comicus doctus quidem, ſed homo parum probus accepta grandi pecunia ab Anyto, contra Socratem comœdiam ſcripſit, cuius titulus eſt Nephelæ, id eſt nebulæ, qui quidem inter cæteras criminationes illud confinxit, ab eo nebulas coli, & Athenienſium religiones detrectari, & præter hæc iuuenum mentes ſic imbuere, vt parentibus manus inferre pie & officioſe poſſent. quæ res accuſantibus Anyto Lycone & Melyto, vt Plato in apologia pro Socrate ſcribit, cum vniuerſum populum in Socratem concitaſſet, furore quodam & ira morte damnatus eſt. De hoc diuus Auguſtinus, Valerius, Solinus, Laertius, Diogenes. Horatius. Pythagoran, Anytique reum doctumque Platonem. *Quo fretus.*) Quare, qua virtute confiſus. Illud reſpexit, quia Agrippinæ matris Senecæ & Burri cõſilijs omnia primis imperij rebus adminiſtraſſet. *Dic hoc magni pupille Pericli.*) Interrogatio eſt contumeliæ & reprehenſionis plena. Pupille Pericli. Alcibiades Athenienſis Cliniæ filius fuit, quo vt Probus Æmilius eſt auctor, nihil excellentius fuit, vel in vitijs vel in virtutibus. Imperator fuit ſummus & mari & terra: diſertus, vt nemo ei dicendo reſiſtere poſſet. Eius poſt interitum patris Periclem & Ariphonem tutores relictos ſcribit Plutarchus viros ea tempeſtate præclaros, & magna cum Clinia propinquitate coniunctos. Periclem autem Alcibiadis patruum fuiſſe ſcribit Trogus Pompeius. Æmilius vero vitricum.

Magni

Magni Pericli.] Nouies enim hoſtes ſuperauit. Inter cætera egregia opera nono menſe Samios Ionum primos & potentiſſimos deuicit. vrbis mœnia deiecit. Hinc ortus eſt Pythagoras non autem ex Samo quæ Zacyntho & Dulichio proxima eſt. *Pupille*] Alluſit ad hiſtoriam. nam Neronem Popea, vt ſcribit Tacitus, cum ſibi matrimonium & diſſidium Octauiæ incolumi Agrippina haud ſperaret, crebris criminationibus aliquando per facetias incuſabat principem, & pupillum vocabat, qui iuſſis alienis obnoxius non modo imperij ſed libertatis etiam indigeret. Hoc me inueniſſe glorior, vt multa alia in toto opere. *Scilicet ingenium*] Hæc decem carmina ſequentia cum ironia legenda ſunt. Scilicet cum ironia dicitur, vt alibi. Scilicet hæc populo. Terentius. Id populus curat ſcilicet. *Velox*] Quia ante legitimum tempus imperium occupauit. *Ante pilos*] Ante pubertatem. Nam vt recitauimus ex ſententia Taciti, vix ſeptemdecim natus annos Nero imperium occupauit. *Ergò vbi commota*] Senſus eſt. Ergo cum ea prudentia ſis, non mirum eſt ſi plebem in ſeditionem concitatam grauitate manu coercere ſcis. q. d. principi non ſatis eſſe poſſe imperare, niſi cum comitetur ſapientia. *Feruet.*] Æſtuat ſeditionibus. *Fert animus.*] id eſt dat. C. *Fert animus.*] Impellit, vrget, hortatur vt illud Ouidij Metam. lib. j. In noua, fert animus, mutatas dicere formas corpora. S. *Maieſtate.*] Grauitate. Nam manu ſæpe ſilentium indicitur à ſuperioribus. *Quid deinde loquere.*] Illud docet denique neceſſarium eſſe principem eſſe ſapientem & rerum peritum. Vnde Plato ſolebat appellare eas reſpublicas felices, quibus contigiſſet habere principes ſapientes. Reſpexit autem poeta ad id quod in vrbe à ſenioribus dicebatur, Neronem primum ex his qui rerum potiti eſſent alienæ facundiæ eguiſſe, Nam ei Seneca orationes componebat, cum alij imperatores ante Neronem ſumma fuiſſent facundia & eloquentia. *Quirites.*] Hinc innuit poeta quod nos iam diximus Neronem à ſe reprehendi, cum iam ſatyrico more Athenienſibus omiſſis ad Romanos conuertatur. *Hoc iuſtum puto, non illud male.*] Oratorie agit, ea parte generis deliberatiui vtitur quæ ſuaſio dicitur. *Rectius illud.*] Magnæ prudentiæ eſt ex multis quæ iuſta & recta eſſe videntur, quod optimum cognoſcere. *Scis etenim iuſtum. g. ſ. l.*] Perſeuerat in ironia. Senſus enim eſt. Non mirum quidem eſt ſi bonum à malo diſcernere noris, cum ea quæ ambigui iudicij ſunt, ita penſitare & tecum recognoſcere didiceris, vt nihil te decipere poſſit. Metaphora ſumpta ab libripende, qui ponderoſiſſima quæque examine bilancis cognoſcit. *Ancipitis libræ.*] Ambiguæ vt neſcias in quam partem magis decurrat, ex quo libripendis ſolertia deprehenditur, cum ex re ambigua & incerta rectum iudiciũ ſumat. *Rectum diſcernis vbi inter curua ſubit.*] Cognoſcis, inquit, quid rectum ſit, & quid contrarium. perſtat in metaphora, æmulatio eſt Hora-

tiana. Scilicet vt poſſem curuo dignoſcere rectum. Curua opponuntur rectis. *Regula.*] id eſt, Haſta libræ. *Pede varo.*] Lingua flexa & recurua. Lingua enim ſiue examen bilancis tanquam pes eſt in libra, quo fit plerunque vt cum lingua bilancis torta ſit & eam ſequamur, in rerum penſatione decipiamur. Per quod oſtendit Perſius eum magni ingenij & prudentiæ eſſe, qui talia admixta veris nouit diſcernere. *Et potis es n. u. p. th.*] id eſt, Tantæ prudentiæ es & conſilij, vt recto iudicio poſſis noxios pro meritis damnare. *Vitio.*] Homini vitioſo. C. Metonymia eſt, res enim pro perſona poſita eſt. Vide Cic. De orat. lib. iij. vbi de Tropis quos Latini modos vocant, agit. S. *Thita nigrum.*] Hoc eſt mortiferum. nam mortis erat ſignum thita, per quod ſignificatur thanatos, id eſt, mors. Cum enim iudices de alicuius capite ſententiam laturi eſſent, vniuerſi in ciſtam tabulas ſimul conijciebant ſuas, eáſque inſculptas literas habentes abſolutionis, condemnationis, & ampliationis. thita condemnationis ſignum erat, quod oſtendit Mar. Noſti mortiferum prætoris caſtrice ſignum, Eſt operæprecium diſcere thita nouum. Abſolutionis auctore Aſconio capa litera, per quam literam aliqui interpretantur calon. id eſt, bonum. C. Error eſt. nam apud Aſc. Pedianum, in tertiæ Verrinæ commentarijs, ita legitur. Nam cum condemnandi nota eſſet c. litera, abſoluendi a, ampliandi ſignum nl. dabant quo ſignificabant non liquere, vnde ampliatio naſcebatur. S. Ampliationis n. l. quod ſignificat non liquere. *Quin tu igitur ſumma.*] Attende fremitum & indignationem poetæ. Senſus eſt. cur igitur tu qui per ætatem immaturam & rerum imperitiam ignoras quid agendum quidue dicendum ſit, ſummam imperij Romani non deponis? *Quin.*] Vox eſt increpantis, vt Virgilius. Quin tu aliquid ſaltem potius quorum indiget vſus, coniungitúrque ſemper cum indicatiuo. *Summa pelle decorus.*] Specioſus veſte triumphali. ad hiſtoriam reſpexit. nam vt Cornelius Tacitus ſcribit, decretum fuit Claudio Cæſare adulationibus ſenatus cedente, vt vigeſimo ætatis anno conſulatum Nero iniret, atque interim deſignatus proconſulare imperium extra vrbem haberet, ac princeps iuuentutis appellaretur. Itaque ludicro Circenſium quod acquirendis vulgi ſtudiis edebatur, Britannicus in prætexta, Nero triumphali in veſte tranſuecti ſunt: vt ſpectaret populus hunc decore imperatorio, illum pueri habitu. Occupato igitur imperio apud ſenatum hoc celebratum eſt in aſſentationem Neronis, vt ei ſupplicationes decernerentur, & diebus ſupplicationum triumphali veſte indutus per vrbem veheretur. Ergo ſumma pelle, id eſt, veſte triumphali & decore imperatorio. æmulatio eſt Horatij, Introrſum turpem ſpecioſum pelle decora.

Nequicquam.]Fruſtra. Virgilius. Sed quid ego hæc autem nequicquam ingrata reuoluo? alias autem non. vt alibi Perſius. Nequicquam fundo ſuſpiret nummus in imo. *Ante diem.*] Ante tempus & ætatem maturam. *Iactare caudam.*] Oſtentatione decoris imperatorij fauorem & gratiam populi quærere tractum eſt à canibus qui blandientes caudam mouent. *Anticyras.*] Helleborum quo hominis inſania & mali humores emendantur, & ad ingenium acuendum valet vt ſupra diximus. ſumebatur autem tutiſſime in Anticyra, quo vt ſcribit Plinius, Liuius Druſus nauigauit cum comitiali morbo laboraret, ſumptóque helleboro liberatus eſt. Horatius. Neſcio an Anticyram ratio illis deſtinet omnem. Anticyra autem inſula eſt quæ olim Cypariſſus dicebatur vt ſcribit Pauſanias. ſed mutato nomine Anticyra ab Anticyro Herculis ſocio appellata eſt. *Meracas.*] Simplices & puras, nullo temperamento admixtas, à mero quod antiqui ſolum dixerunt. imitatio eſt Horatij. Expulit helleboro morbum bilémque meraco. *Quo tibi ſumma boni?*] Eum tantum abeſſe oſtendit à vera virtutum cognitione, & recta rerum publicarum adminiſtratione, vt interrogatus quod ſummum in humanis putet bonum, voluptatem reſpondeat. *Quo tibi ſumma boni.*] Quod eſt ſummum bonum tibi, in quo putas ſummum bonum conſiſtere? Quæſtio ſubtilis & à philoſophis multum diſputata. *Vncta vixiſſe patella.*] Reſponſio eum indignum eſſe arguit qui publica negocia curet, cum prætermiſſa virtutis mentione laute viuere ſummum bonum appellet, quæ ſententia Epicureis probatur. *Vncta patella.*] Cibis luxurioſis & delicatis. *Semper.*] Continuationem ſignificat.

Aſſiduo curata cuticula ſole.] Suorum temporum mores notat. Nam antiqui & præcipue imbecilles ſtomacho ante cibum exercebantur. eam exercitationem, vt Celſus ſcribit, recte ſequebatur modo vnctio vel in ſole vel ad ignem, modo balneum. Deſcendebant enim in ſolium, tum multo oleo vngebantur leniterq; perfricabantur. vnde Horat. Vngor oliuo. & Perſius infra: At ſi vnctus ceſſes & figas in cute ſolem. Iuuenalis. Veſtra bibat vernum contracta cuticula ſolem. *Curata.*] Molliciem muliebrem notat in viris. *Expecta.*] Diſtingue, vt ſit ſenſus, certe ſi volueris expectare & anum audire, inuenies eam non aliter interrogatam reſpondere. ex quo oſtendit eum non minus inſanum eſſe, quam anum decrepitam: anuum enim eſt delirare. *Hac anus.*] Satis lepide fingit poeta anum tranſire.

I nunc.] Cum indignatione & irriſione pronuncianda. Senſus eſt, gloriare nunc te virum eſſe nobilem & prudentem, cum in voluptate ſummum bonum conferas. Sicque Philoſophice poeta declarat, generis nobilitatem homini ſapientiam non ingerere.

20 *Dinomaches ego ſum.*] Callide poeta reprehenſionem conuertit in Alcibiadem, ne in principem inuehi videatur. Nam ad hiſtoriam alludit. Alcibiades enim genus paternum (vt ſcribit Plutarchus) ab Aiace, maternum vero ab Almeonide, quem ex Dinomacha genitum aiunt, originem traxiſſe ferunt. ait igitur poeta. Dic nunc te eſſe nobilem; quia inter maiores tuos Dinomacha connumeratur. Dinomachus autem interpretatur fortis in pugna. Dinos enim Græce, fortis Latine. Machi vero pugna. Sicque ſubſannat Neronem eius amentiam arguens, qui in maiorum nobilitate efferebatur, quum a Cæſaribus genus ſuum duceret. *Suffla.*] Gloriare, intumeſce, effer te tua nobilitate & animi præſtantia. *Sum candidus.*] Sum pulcher. hoc ad animum retulit, id eſt, ſapientis ſum animi. hoc enim gloriatur. *Eſto.*] Concedo quidem te nobilem & prudentem eſſe. ſed ita vt Baucis ſapientia te non ſit inferior, cum ita reſpondeas. *Pannutia.*] Proprium eſt anibus pannutias eſſe. Vnde Terentius in Andria. Suffarcinatam Cantharam. *Baucis.*] Ad eam alluſit, de qua Ouidius in Metamorphoſi. *Cum bene diſcincto cantauerit ocyma vernæ.*] Vetulæ pauperes inopia coactæ ad res viles vendendas ſe conferunt, vt eo quæſtu viuant. Baucis ergo inducitur pro omni vetula vendente herbas odoratas in foro holitorio. *Cum bene cantauerit.*] id eſt, elata voce vendiderit. nam cantare eſt alta voce loqui. vt alibi. Men moueat quippe & cantet ſi naufragus. *Ocyma.*] Ocymum herba eſt odorata hortenſis, dicta ab ocys quod eſt cito. nam celeriter creſcit. id grauiter Chryſippus increpuit inutile eſſe dicens ſtomacho, vrinæ, oculorum quoque claritati. Præterea inſaniam facere, & letargicos & iocinoris vitia. ideóque capras id aſpernari. quidam adijciunt tritum ſi operiatur lapide ſcorpionem gignere, commanducatum & in ſole poſitum vermes efferre. alij vero ſi eo die feriatur quiſpiam à ſcorpione, quo ederit ocymum, & ſanari non poſſe. Ocymum etiam genus pabuli ſimiliter à Græco verbo ocys, quod valet cito. Hoc amplius ſcribit Varro, dictum ocymum quod citat aluum bubus. & ideo ijs datur vt purgentur. *Verna.*] Appellarunt antiqui vernas ex ancillis Romanorum ciuium vere natos, quod tempus anni maxime naturalis fœturæ eſt. *Diſcincto.*] Intemperanti, diſſoluto: alibi Perſius. Non pudet ad morem diſcincti viuere Nattæ. Martialis. vernaculorum dicta. Horatius. Vernaſque procaces Poſco libatis dapibus.

Vt nemo in ſeſe tentet deſcendere, n.] Hactenus in Neronem inuectus eſt. Nunc vero eos ſatyrica indignatione inſectatur, qui in alios dicere, & aliena vitia cognoſcere gaudent, cum de ſeipſis nihil quærant. in eos ita inſurgit Horatius. Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis, Cur in amicorum vitiis tam cernis acutū, Quàm aut aquila, aut ſerpens epidaurius? *Vt nemo.*] Eclipſis, ſubauditur, di-

gnum ne putas. Vel vnde eſt aut aliquid tale. non interrogantis eſt, ſed iraſcentis & admirantis.

In ſeſe tentat deſcendere.] Ad vitia ſua pernoſcenda. *Sed praecedenti ſpectatur mantica tergo.*] Hoc autem ſumptum eſt auctore Acrone ex Æſopo fabulatore, qui vnumquemque ſcribit duos ſacculos plenos vitiis ſecum ferre, & in eo qui ante pectus pendet aliena vitia eſſe. in eo vero qui à tergo, noſtra. Ex quo euenit, vt noſtra nō videamus, ſed quid ſequatur cōſpiciamus. vnde Horat. Dixerit inſanū qui me, totidē audiet. atq. Reſpicere ignoto diſcet pendentia tergo. Hinc igitur indignatur Poeta neminē eſſe qui vitia ſua cognoſcat, ſed aliena ſemper. *Mantica.*] Sacculus ſcorteus ad ſarcinulas ferendas accommodatus. Lucilius. Mantica canterij coſtas grauitate premebat. Horatius. Mantica cui lumbos onere hulceret, atque eques armos. *Quæſieris noſtin, &c.*] Malitiam hominum exprimit, quibus ſumma ſemper eſt voluptas alienos mores notare. *Quæſieris.*] Secundam perſonam pro tertia poſuit, id eſt, aliquis quæſierit forte. *Noſtin.*] Pro noſti ne.

Vectidi prædia.] Vectidium poſuit pro viro diuite. *Cuius.*] Interrogatio interrogati. *Diues arat Curibus.*] Subaudi illius qui. verba ſunt interrogantis. *Curibus.*] Cures vrbs quondam Sabinorum inſignis, nunc autem viculus. Hinc quirites vt diximus appellantur.

Oberret.] Volando circumeat. Ob enim aliàs ponitur pro circum. vt cum dicimus vrbem obſideri, obuallari, obſignari. alias in vicem præpoſitionis quæ eſt propter, vt ob merita, ob ſuperatos hoſtes. vnde obſides pro obſides, qui ob patriæ præſtandam fidem dantur. aliàs pro ad, vt Ennius, ob Romam noctu legiones ducere cœpit. hoc imitatus eſt Iuuenalis, Tot miluos intra tua paſcua laſſos. *Hunc ais.*] Interrogatio interrogati. *Hunc.*] Verbum interrogantis, qui more prauitatis humanæ ad aliena vitia notanda fertur. *Diis iratis.*] Aduerſis, quia auare & perpauce viuat. *Genioque ſiniſtro.*] Is ſiniſtro genio viuere dicitur qui naturam ſuam duriter viuendo defraudat. vnde contra, is dicitur genio indulgere qui voluptati operam dat. vt alibi. Indulge genio. Vir. Et genialis hyems, id eſt, voluptuoſa. *Qui quandoque iugum pertuſa ad compita figit.*] Senſus eſt. hic quidem cum feſta compitalium venerint, quibus maxime ruſtici lautioribus cibis vti ſolent, non audet vinum quod iam diu ſeruauit attingere. ſed acetum tantum bibit, & cæpas comedit. Ordo eſt. Hunc dico qui diis iratis & genio ſiniſtro ingemit metuens deradere limum veteris ſeriolæ quando figit iugum ad compita pertuſa. *Quandoque.*] quæ vacat. vt ſit quotiens figit ad compita. Ruſtici finitis ſationibus, in compitis aratris ſuſpenſis ſacrificia celebrabant magna animorum relaxatione. eos ludos magiſtri vicorum, vt ſcribit Aſconius, facere conſueuerunt. his autem dies annalis non ſtatus, erat attributus. vt Varro tradit, laribus quotannis

quotannis is dies præcipiebatur. compita autem dicta, quòd vbi viæ competunt, tunc in compitis ſacrificatur. *Pertuſa.*] Trita & conculcata. *Figit.*] Suſpendit. *Seriola.*] Diminutiuum eſt à ſeria. genus eſt vaſis terrei. Terentius. Serias omnes releui. *Deradere limum.*] Aut picem, aut gypſum quo vaſa vinaria obturabantur. *Ingemit.*] Ob auaritiam. *Hoc bene ſit.*] Prouerbium apud antiquos. ſicut & dij bene vertant: ſic enim dicunt, qui veluti rem magnam & inuſitatam aggreſſuri ſunt, ergo & auarus veluti rem magni ſumptus cœnaturus hoc dicit. *Et farratam olam.*] id eſt, pultem ex farre. Primus enim auctore Plinio fuit antiquis in Latio cibus. nam pulte & non pane longo tempore Romanos vixiſſe manifeſtum eſt, quoniam inde & pulmentaria hodie quoque dicuntur. & Ennius antiquiſſimus vates obſidionis famem deſcribens, offam eripuiſſe plorantibus liberis patres commemorat, & ſacra priſca atque natalium pulte fritilla conficiuntur. *Pueris.*] Aut filijs, aut ſeruis. *Plaudentibus.*] Hinc hominis auaritiam oſtendit, cum farre tantum & cæpis & aceto pueri contenti ſint, ex quo apparet aliàs auarius viuere. *Morientis aceti.*] Languidi, non mordacis. *At ſi vnctus ceſſes.*] Perſeuerat exprimere iniquitatem hominum vitia aliena culpantium. ſenſus eſt. Si inquit aliquis oleo vngatur ſtans ad ſolem, non deeſt qui ſtatim illum ſubſannans cubito tangat. *Si ceſſes.*] Ocioſus fueris, pro ſiquis ceſſet. vt ſupra quæſieris pro quæſierit. *Et figas in cute ſolem.*] Antiqui, vt diximus, ante cibum exercebantur, eam exercitationem auctore Celſo recte ſequebatur modo vnctio vel in ſole, vel ad ignem: modo balneum. Deſcendebant enim in ſolium. Tum multo oleo vngebantur, leniterque perfricabantur. *Eſt prope te ignotus cubito qui tangat.*] Hic apparet homines ad aliena vitia cognoſcenda vale promptos eſſe, æmulatio eſt Horatiana. Nonne vides aliquis cubito ſtantem prope tangens inquit. *Tangat cubito.*] Modus eſt latenter oſtendentis quem probet peccare. *Et acre deſpuat in mores.*] Tanquam in contemptum rei turpis, tractum ab his qui ex olfactu rei putidæ expuunt. Tibullus: Hunc puer, hunc iuuenis turba circumterit arcta, Deſpuit in molles & ſibi quiſque ſinus. *Penémque.*] Satyrica vrbanitate dum eos reprehendit, qui aliena vitia ſubſannant, ſuorum temporum mores notat, illos percutiens, qui obſcœne turpiſſiméque viuunt. *In mores.*] In vitia. *Penémque.*] Hæc cum ſuperioribus coniunguntur, vt ſit ſenſus. Si tibi ex inguinib. euulſeris pilos, aderit qui te contemnat. repetitur igitur, eſt qui deſpuat, vt ſit ordo. eſt qui deſpuat in runcantem penem & arcana lumbi. *Runcantem.*] Metaphora ſumpta ab agris, qui runcari dicuntur. hoc etiam Martialis vitium notat. Cum depilatos Chreſtecoleos portes, Et vulturino mentulam parem collo, Et proſtitutis læuius caput culis. Iuuenalis. Si tenerum attritus catinenſi pumice lumbum, Squallen-

tes traducis auos. *Penem.*] Penis à pendendo dicitur. Nam penem auctore Feſto caudam vocabant. vnde offam porcinam cum cauda offam penitam dicebant. *Arcanáque lumbi.*] id eſt, pudibundas corporis partes. *Populo marcentes pandere vuluas.*] Cinædos & molles deſcribit, qui muliebria patiuntur. *Pandere.*] Aut verbum pro participio eſt, id eſt, pandentem. aut ſic intellige. *Runcantem pandere vuluas.*] id eſt, runcantem & depilantem podicem, vt eum pandat & præbeat multitudini. & hæc melior eſt expoſitio. *Vuluas marcentes.*] id eſt, podicem in quo ea fiunt quæ in vuluis. vulua à poetis crebro pro genitali parte muliebri vſurpatur, cum proprie vulua illud ſit in vtero mulieris, quo infantes geſtantur. Cornelij Celſi verba ſubſcribere placuit. *Si* infans in vulua deceſſit quo facilius eijciatur. Cui ita adſtipulatur Plinius: boues grauidas negant, præterquàm dextero vuluæ ſinu ferre, etiam cum geminos ferant. Vulua etiam pro ea parte accipitur à Martiale, quæ circa vbera porcæ eſt, quæ eſt optimi ſaporis. Te fortaſſe magis capiet de virgine porca: Me materna graui de ſue vulua capit. ea vt ſcribit Plinius enecto partu melior eſt quàm edito. Eiectitia vocatur illa, hæc porcaria. primiparæ ſuis optima, eadem etiam ſumen appellatur. *Tu cum maxillis, &c.*] Hæc verba ſunt eorum qui aliena vitia notantes ita dicunt. qua ratione femora, & partes pudendas tonderi iubes, cum barbam prolixam & vnguento delibutam geſtes & nutrias? Sícque poeta obſcœnos ſui temporis mores carpit.

Gauſape.] Pro barba poſuit. Imitatio eſt Virgilij, qui veſtem barbam dixit. Aurea cæſaries ollis atque aurea veſtis. vnde contra inueſtes imberbes dicimus. Virgilius. Tum mihi prima genas veſtibat flore iuuentus. Gauſape genus eſſe ſtramenti villoſi indicat Plinius, quo in caſtris vtebantur. Sic enim ſcribit. Antiquis torus è ſtramento erat, qualiter eſſet nunc in caſtris gauſape. & mox ſubdit: nam tunica laticlaui in modum gauſape texi nunc primum incipit. Ouidius in Arte amandi veſtem craſſiorẽ oſtendit eſſe, cum ait. Gauſapa ſi ſumpſit, gauſapa ſumpta proba. de ijs autem ſic ſcribit Strabo. Loci autem Mutinenſes, & Scutannæ adiacentes fluuio mollia & longe aliis omnibus præſtantiora ferunt vellera, Ligures autem, & Inſubres aſpera, è quibus magna Italiæ pars domeſticis indumenta conficit, mediocria vero Patauini, è quibus precioſi tapetes & gauſapa texuntur, & hæc ſtragula veſtis gemina vtrinque villos eminentes habens, vel vna tantum è ſuperficie. bene igitur barbæ rem villoſam comparauit.

Balanatum.] Vnguento balanino perunctum. nam vt ſcribit Plinius myrobalanus arbor eſt vnguentis aptam ferens glandem. ídque Troglodytis & Thebaidi & Arabiæ, quæ Iudæam ab Ægypto diſterminat, commune eſt, naſcens vnguento vt ipſo nomine

apparet. Nam myros ſignificat vnguentum, balanos glandem. quæ in Arabia naſcitur & ſyriaca appellatur & eſt candida. quæ in Thebaide nigra. Præfertur illa bonitate olei quod exprimitur, ſed copia Thebaica. Inter hæc Troglodytica viliſſima eſt. Vnguentarij autem tantum cortices premunt. medici nucleos tundunt affuſa eis paulatim calida aqua. Vnguentorum expeditiſſimum fuit primúmque è Brio & Balanino oleo. Horatius, Et preſſa tuis balanus capillis. *Curgulio.*] Pro pene poſuit. ſumpta tranſlatione à curgulione qui in gulam creſcit & inflatur auctore Seruio. Eſt autem beſtiola frumentis inimica. *Detonſus.*] id eſt, valde tonſus: nam de hoc loco auget. *Quinque palaſtritæ.*] Irriſio amaritudinis plena, per quam & dementiam & turpitudinem oſtendit eorum qui partes obſcœnas corporis glabras tentant reddere cum à natura datum ſit vt euulſi pili renaſcantur. *Palaſtritæ.*] In palæſtra exercitati, quaſi qui fortiori ſint corpore aſſidua exercitatione. Nam palæſtra dici poteſt luctatio à paleo, id eſt, luctor. Plutarchus loquens de Alcibiade, qualis eſſet ludus declarat his verbis: cum aliquando in palæſtra cum puero quodam luctaretur, iámque aduerſarius eum ad terram deprimeret, volens Alcibiades ignominiam vitare, manum illius dentibus apprehendit. Virgilius. Pars in gramineis exercent membra palæſtris. Et alibi. Corporáque agreſti nudant prædura palæſtra. Capitur etiam pro loco vbi exercebantur. ſic enim ſcribit Varro. Nec putant ſe habere villam, ſi non multis vocabulis retineant Græcis quin vocent particulatim loca, Proceconam, Palæſtram, Apodyterion, Periſtylion, Ornithona, Periſtereona, Oporothecen.

Plantaria.] Pilos & bene. Nam plantaria ea dicuntur, quæ ex ſeminibus nata cum radicibus & terra propria transferuntur. Virgilius. Viua ſua plantaria terra. plantæ vero ſunt raptæ ex arboribus. Virgilius.
40 Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum. *Labefactent.*] Metaphora ab arbore, quæ multis ſucciſa ictibus tandem ad terram propellitur. *Forcipe.*] Dicuntur forcipes quod his forua, id eſt, calida capiuntur. nam foruum calidum veteres dixerunt. vnde Cato ait de quodam ædificio, æſtate frigido, hyeme foruo. *Iſta.*] cum contemptu dictum eſt. *Filix.*] Pulchra variatio. nam cum pilos plantaria appellauerit, nunc vero filices nominat. filix autem herba eſt agris maxime inimica.

Cadimus inque vicem præbemus crura ſagittis.] Commune vitium hominum eſſe oſtendit vt alter alterum notet. *Cædimus.*] Ferimus, percutimus. ab eo eſt præteritum cecidi, & ſupinum cæſum. Inque vicem præbemus crura ſagittis, Horatius. At tibi contra Euenit, inquirant vitia vt tua rurſus & illi. ſumpta eſt tranſlatio à ſagittariis.

Viuitur hoc pacto.] Vt per ſuperiora oſtenſum eſt, id eſt, vt notemus & notemur. & cum indignatione pronunciandum. *Sic nouimus.*] id

eſt ita

eſt, ita viuere didicimus. *Ilia ſubter Cæcum vulnus habes.*] Hactenus in aliena vitia cernentes inuectus eſt, nunc vero ſtultitiam glorioſi hominis irridet, qui tam petulanti oſtentatione fertur, vt ſibi attribui gaudeat, quæ ſua non ſunt, eum monet fugere debere hominum blandas aſſentationes. Ilia ſubter Cæcum vulnus habes, ſed lato baltheus auro Protegit. metaphora ſumpta à gladiatore, qui acceptum vulnus plerumque diſſimulat & ſpectatores fallit, tamen ſeipſum decipere non poteſt, cum vulneris ſentiat dolorem. hoc ergo dicit poeta. nos quoque noſtra vitia aliquo dignitatis aut potentiæ velamento cælare, ita vt alijs minime nota ſint, ſed nos tamen non latere, cum eorum omnino conſcij ſimus. *Cæcum vulnus habes.*] id eſt, occultum non omnibus notum. *Sed lato baltheus auro protegit.*] Ratio eſt vitij latentis. quod videlicet id potentia & nobilitate tegatur. nam per baltheum dignitatem militarem deſignat. Eſt enim baltheus cingulum militare. Iuuenalis. Aſt illis quos arma tegunt, & baltheus ambit. Sicque poeta vt dictum eſt eos derideret, qui prætextu potentiæ confidunt malitiam ſuam poſſe latere, & gaudent diſſimulata prauitate haberi boni viri. *Lato auro.*] pro lati auri. *Et decipe neruos Si potes.*] Qui vulnus diſſimulat aliorum aſpectus decipere poteſt. ſed viribus ſuis dare verba non poteſt, cum vitij ſui conſcius ſcit. hoc ergo dicit. alios decipere facile potes occultando vitium tuum, ſed conſcientiam tuam fallere non licet. *Egregium cum me vicinia dicat, non. c.*] Verba glorioſi hominis. nõ debeo inquit credere & putare me virum bonum & frugalem, cum populus ita me exiſtimet; quaſi dicat etiam ſi non ſim. Ex quo ſtultitia hominis oſtenditur. Tales reprehendit Horatius. Sed vereor ne cui de te pluſquam tibi credas. Neu ſi te populus ſanum recteque valentem Dictitet, occultam febrem ſub tempus edendi Diſſimules, donec manibus tremor incidat vnctis, & alibi. Si quis bella tibi terra pugnata marique Dicat, & his verbis vacuas permulceat aures. Te ne magis ſaluum populus velit an populum tu, Seruet in ambiguo qui conſulit & tibi & vrbi Iuppiter. Auguſti laudes cognoſcere poſſis. Egregium dicimus, qui è grege electus ſit. *Non credam?*] Cum interrogatione & eo vultu pronuncianda quo ſolemus ingrato admonitori reſpondere. *Viſo ſi palles improbe nummo.*] Si auaritia laboras. cinædus ſi es, ſi grauis fœnerator es debitoribus, cur gaudes te virum bonum & egregium appellari. hoc ita imitatur Iuuenalis. Cur Allobrogicis & magna gaudeat ara Natus in herculeo Fabius lare, cupidus, ſi Vanus & euganea quantumuis mollior agna. Si tenerũ attritus catinenſi pumice lumbũ, Squallentes traducit auos. *Si facis in penem quicquid tibi vænit amarum.*] id eſt, ſi te cinædum & pathicum præbes. Nam qui facit quicquid ſibi venditur in penem, ſine dubio ſe proſtituere dicitur. Vænit venditur. ab eo quod eſt væneo. *Amarum.*] Quia ſæpenumero coï-

tum ſequitur pœnitentia. Vnde illud fertur dictum Demoſthenis de Laide nobiliſſimo ſcorto. Tanti non emo pœnitere. *Si puteal multa cautus vibice flagellas.*] Si debitoribus grauis es fœnerator. Puteal locus (vt ſcribit Acron) Romæ ad quem conueniebant fœneratores. Porphyrio vero dicit fuiſſe ſedem prætoris prope arcum fabianum quod Libonis dicebatur, quia à Libone illic primum tribunal & ſubſellia collocata ſunt. vnde Horatius in Epiſtolis. Forum putealque Libonis mandabo ſiccis, Idem alibi. Roſcius orabat ſibi adeſſes ad puteal cras. Ouid. Si puteal Ianúmq; times, celeréſq. calēdas. *Flagellas.*] Grauis es & moleſtus debitoribus dū vſuras exigis. Ita enim flagellari dicūtur obærati. vnde Martialis. Et libertinas arca flagellat opes. *Puteal.*] id eſt debitores, nam locū pro perſona poſuit. *Multa vibice.*] Multa & graui vſura, in metaphora permanſit, vt vibice dixerit, quia flagellis præmiſerat. Vibix ſignum eſt quod relinquit ſcutica, dicta quod vi fiat. *Nequicquam populo bibulas donaueris aures.*] Senſus eſt, fruſtra cum turpiter viuas, aliorum laudibus delectaberis. *Nequicquam.*] Fruſtra. *Donaueris.*] Accommodaueris. *Bibulas.*] Quæ aſſentationibus valde delectantur. *Reſpue quod non es.*] Reprehenſio eſt cum indignatione & acri vultu pronuncianda. Monet vnicuique fugiendam eſſe oſtentationem, nec aſſentationibus credendum. *Tollat ſua munera cerdo.*] Auferat inquit adulator & vulgus laudes & adulationes ſuas. Cerdo dicitur quicunque quærit lucrum ex aliqua vili arte. cerdos enim Græce lucrum Latine. cerdonem poſuit pro turba plebeia quæ nulla ratione ad aliquem laudandum ducitur. *Tecum habita.*] Noli committere vt alienæ laudes te auferant; ſed tu teipſum cognoſce, & conſcientiam tuam interroga bonus ne ſis an malus. *Vt noris quàm ſit tibi curta ſupellex.*] id eſt, multa tibi deeſſe, vt ſis vir egregius. ſumptum eſt à rei familiaris tenuitate. Aureus eſt verſus ille vulgaris. Plus aliis de te, quàm tu tibi credere noli.

Vatibus hic mos eſt.] Ex Stoicorum ſententia oſtenſurus poeta homines aliquo vitio laborantes inſanos eſſe, nec ſui poteſtatem habere, ita ſatyram orditur vt Cornutum, quo ad philoſophiam diſcendam vſus eſt magiſtro alloquatur, optatque ſibi dari eas vires in carmine, quibus amorem ſuum in Cornutum, quem ſibi reſpondentem introducit, enarrare valeat. *Centum voces.*] Vergilius. Non mihi ſi linguæ centū ſint, oraq; centū, Ferrea vox, &c. *Fabula ſeu mœſto.*] Senſus eſt. poetæ ſiue carmen tragicū, ſi heroicum ſcripturi, centū ora & centum voces ſibi dari poſtulant. *Ponatur.*] Scribatur. vt alibi. Nec ponere lucos Artifices. *Hianda.*] Magno ſpiritu pronuncianda. Illud reſpexit, quod tragœdia altiloquo conſtat ſtylo. *Mœſto.*] Tragœdiarum materiam expreſſit, ijs enim res mœſtæ ſcribuntur. *Tragœdo.*] Tragœdi actores dicuntur tragœdiarum, tragici vero ſcriptores. *Vulnera ſeu*

Parthi.] id eſt, carmen heroicum, quo bella maxime decantari ſolent. *Vulnera Parthi*] Aut quæ ipſe accepit, vt ſit æmulatio Horatiana. Aut labentis equo deſcribit vulnera Parthi: aut quæ alijs intulit.

Ducentis.] Extrahentis ab inguine percuſſo, aut expreſſio eſt percutientis. *Quorſum hæc.*] Subaudi dicis, verba Cornuti introducti admirantis cui poeta cum ſatyram poëma quidem humile ſcribat, oportet ſibi dari tot linguas. *Quantas offas.*] Quantum globum, & carminum coaceruationem. Nam offa appellatur omnis res quæ in tumorem creſcit, à verbo tu ophelin, id eſt, à tumeſcendo. Vnde & fruſta carnis offas dicimus. Feſtus Pompeius. Offam porcinam cum cauda, offam penitam dicebant. Iuuenalis. Et patruo ſimiles effunderet offas. Plinius item res in vnum conuolutas, & in modum pilæ collectas, offas appellat, vt eſt illud. Amygdalinum oleum quod aliqui vocant neptum, arefactis & in offam contuſis exprimitur. *Ingeris.*] Paras, aggregas. *Vt par ſit.*] Conueniens & æquum ſit. *Niti.*] Adiuuari.

Grande locuturi nebulas Helicone le.] Ab ijs inquit ſinito muſas inuocari, qui tragœdias & res magnas ſcripturi ſunt.

Grande.] Vt tragœdias, quæ res grandes continent. Ouidius in Triſtibus. Et dedimus tragicis ſcriptum regale cothurnis: Quæque grauis debet verba cothurnus habet. *Nebulas.*] Hoc verbo latenter eos poeta irridet, qui Muſarum inuocatione putant in carmine ſcribendo adiuuari, oſtendens illic, Nec fonte labra, virtutem hominis parari labore & induſtria, non autem hauſtu fontium ſacrorum & Muſarum inuocatione, cum huiuſmodi omnia ſint prorſus vana. Per nebulam igitur Muſas intelligit quaſi rem inanem, & quæ parum proſit. Helicon mons eſt Bœotiæ, Muſis vt diximus conſecratus à Thracibus. *Legunto.*] Colligant, quærant.

Olla Prognes.] Tragœdia Prognes, quæ in vltionem Philomenæ ſororis ſuæ à Tereo marito ſtupratæ Ithin filium comedendum appoſuit. Eundem Itylum appellat Catullus. Qualia ſub denſis ramorum concinit vmbris Daulias, aſſumpti fata gemens Ityli. nota eſt fabula *Olla Thyeſta.*] Tragœdia, cui nomen eſt Thyeſtes. Eam auctore Fabio Varius magna laude ſcripſit, cui Cornelius adſtipulando ita ſcribit. Nec vllus Aſinij aut Meſſalæ liber tam illuſtris eſt, quàm Medea Ouidij, aut Varij Thyeſtes. Eandem tragœdiam ſcripſerunt Seneca & Caſſius Etruſcus Parmenſis, cuius meminit Horatius. Etruſci Quale fuit Caſſi rapido feruentior amni Ingenium, cuius argumentum tale. Atreus, & Thieſtes Pelopis & Hippodamiæ filij, eo inter ſe impietatis venere, vt Thyeſtes cum Europa fratris vxore concumberet, in cuius ſceleris vltionem Atreus Tantalum eius filium appoſuit epulandum, quod dolens Thyeſtes conſulto oraculo de vindicta, accepit poſſe alio ſcelere eius facinoris

vltorem naſci, ſi cum Pelopeia filia concumberet. quod cum feciſſet, natus eſt Ægiſtus, à quo & Atreus, & Agamemnon è bello Troiano reuerſus interempti fuerunt. *Olla Thyeſtæ.*] Quæ ei appoſita fuit ab Atreo. *Feruebit.*] Scribetur. reſpexit hoc verbo feruebit ad fabulam. Nam appoſiti ſunt filij parentibus in cœnis. *Cœnanda.*] Agenda, recitanda in ſcenis. *Glyconi.*] Nomen eſt tragœdi. vt gladiatoris apud Horatium. Et quia deſperes inuicti membra Glyconis. *Tu neque anhelanti coquitur dum maſſa camino, Folle premis ventos.*] Cornuti verba ſunt. Tu Perſi multa cogitando inflatum & turgidum carmen non meditaris. imitatio eſt Horatij At tu concluſas hircinis follibus auras, Vſque laborantes dum ferrum molliat ignis, Vt mauis imitare. *Premis.*] Concipis, cogitas. *Ventos.* Carmen inflatum & ſuperbum.

Folle.] id eſt, animo. *Coquitur dum maſſa.*] Dum ferrum igni mollitur, id eſt, dum tecum multa reuoluis & conſideras. *Camino.*] Fornace, id eſt, pectore tuo. *Nec clauſo murmure raucus.*] Morem altiora meditantium expreſſit, vt alibi, Murmura cum ſecum & rabioſa ſilentia rodunt: Atque exporrecto trutinantur verba labello. *Cornicaris.*] Tractum à cornicibus, quæ veluti ſtrangulatam vocem emittunt, vt ſecum garrire videantur. *Inepte.*] Aduerbium eſt: nam ſi vocatiuus eſſet, contumelia afficeret, quem ſequentibus verſibus laudat. *Intendis.*] Proponis, tractum à ſagittarijs, qui arcum intendere dicuntur. *Scloppo.*] Fictum verbum à ſono & ſtridore vocis. *Buccas.*] Bucca pars eſt oris quæ inflari ſolet. Horatius. Quin Iuppiter ambas Iratus buccas inflet. Ab eo fit buccula, quæ pars eſt galeæ, qua tegitur pars anterior oris. Iuuenalis. Et buccula pendens. Et curtum temone iugum. *Verba togæ ſequeris.*] Non bella ſcribis, vt tibi opus ſit centum linguas expoſcere, ſed materiam quidem humilem, qualis eſt ſatyra. *Verba togæ.*] id eſt, paci conuenientia. Nam toga armis opponitur. Martialis. Clarum militiæ Fronto togæque decus. Cicero. Cedant arma togæ. Aſconius eam communem habitum marium & fœminarum fuiſſe ſcribit. *Callidus.*] Acutus. *Iunctura acri.*] Compoſitione verſuum apta & venuſta. *Teris.*] Scribis. ſumptum eſt à fabris, qui limantur & metalla. *Ore modico.*] Non ſuperbo & turgido. Illuc denique ſpectat Perſium non materiam tam ſuperbam tractare, vt conueniat tot voces ſibi optare. *Pallentes radere mores Doctus, & ingenuo culpam defigere ludo.*] Hinc argumentum ſatyræ oſtenditur, quæ ad hominum vitia carpenda emerſit. Hic ergo ſenſus eſt. Didiciſti quidem Perſi vitia hominum inſectari. *Radere.*] Tangere & mordere, tractum à medicis qui cultro radere & reſecare vulnera ſolent. Perſius alibi. Sed quid opus teneras mordaci radere vero Auriculas? *Mores.*] Vitia. *Pallentes.*] Quod homines conſcientia vitiorum expalleant. *Defigere.*] Notare. *Ingenuo ludo.*] Liberali carmine, & ſaty-

ra quadam digna libero homine non petulanti. Ingenuus dicitur, qui ſtatim vt natus eſt liber eſt, ſiue ex duobus ingenuis matrimonio conſtante editus eſt, ſiue ex libertinis duobus, ſiue ex altero libertino & altero ingenuo. De hoc lege Iuſtinianum. *Culpam.*] Crimen, vitium. *Hinc trahe quæ dicas.*] Ex ludo l. id eſt, liberali ſatyra, vt ſit ſenſus. Si ſcripturus aliquid es, ſatyram rem quidem humilem, & non tragœdiam opus ſuperbum, ſcribe. *Menſam.*] Tragœdiam intellige, quæ filios parentibus appoſitos ſcribit. *Mycenis.*] Ciuitas eſt Laconiæ, Agamemnonis patria, vbi Atreus Thyeſtæ fratri filium appoſuit epulandum. *Plebeiáque prandia noris.*] id eſt, materias humiles, & non altiloquas & regales, quales in tragœdijs ſcribuntur. vt Ouidius docet. Et dedimus tragicis ſcriptum regale cothurnis. *Prandia.*] Ideo quia in tragœdijs apponi filios epulandos in prandijs conſtat.

Non equidem hoc ſtudeo bul. vt mi. nu. &c.] Cornuto introducto reſpondet Perſius, docens tot voces tótque linguas optare non vt materiam altiloquam ſcribat, ſed vt amorem quo ipſum proſequitur oſtendat. *Bullatis.*] Inflatis & turgidis, dictum à bulla, quæ in modum pilæ in aquis tumeſcit. Ouidius. Intumuit ſicut fuluo perlucida cælo Surgere bulla ſolet. Varro in Re ruſtica. Homo bulla eſt. Mar. Craſſior offenſæ bulla tumeſcit aquæ. Bulla item vt dicetur infra, ornamentum eſt pueri ingenui. *Nugis.*] Extenuat poeta vires ſuas vt Martialis. Mercari noſtras ſi te piget Vrbice nugas. Et alibi. Tu ne potes dulces ingrate relinquere nugas. *Pagina.*] Paginæ dictæ, quòd in libris ſuam quæque obtineant regionem vt pagi, vel à pangendo, quòd in illis verſus panguntur, id eſt, figuntur. *Dare pondus idonea fumo.*] Quaſi diceret. Ego res quidem tumidas non ſcribo, vt alij, quorum ſcripta incendio digna adiudicantur, cum ſuperba & loquacitatis plena ſint. Vnde Mart. Materia eſt mihi crede tuis aptiſſima chartis Deucalion, vel ſi non placet hic, Phaëton. *Idonea.*] Coniunge cum pagina. *Pondus.*] Fomentum & materiam. Sic enim fumus amplior fit & ponderoſior, vt ideo pondus fumo, quia charta combuſta à fumo extolli ſolet, ex quo additur pondus fumo. *Secreti loquimur.*] Separati loquimur. q. d. res noſtræ dignæ non ſunt, quæ in theatrum perferantur recitandæ, nec in propatulo ſed ſeorſum potius habendæ ſunt: ſicque à modeſtia ſua beneuolentiam ſibi conciliat, cum ſcripta domi contineat, nec laudis cupiditate oſtentet. *Camœnæ.*] Muſa. nam Camœnæ à carminibus ſunt dictæ, vel quod canant antiquorum laudes, vel quod ſint caſtæ mentis præſides. Auctor eſt Feſtus. *Excutienda.*] Explicanda, examinanda. Sumpta eſt Metaphora à veſtibus ex quibus puluis excuti ſolet. Præcordia vocamus, auctore Plinio vno nomine exta in homine, cui Cato in Re ruſt. adſtipulatur, loquens de braſica. Et ſi lienes turgent & cor dolet, & iecora aut pul-

mones, aut præcordia vno verbo, omnia ſana facit. Ex quo apparet pręcordia dici hic proprie. *Cornute.*] Philoſophus fuit vt diximus, ſectæ Stoicæ, magiſter Perſij, quem Nero, auctore Euſebio, in exilium miſit anno iiij. poſt mortem Perſij. *Pars animæ noſtræ.*] Amicus dimidiũ eſt animæ noſtræ. Horatius, de Vergilio, ad nauem littore ſoluentem. Et ſerues animæ dimidium meæ. *Pulſa.*] Explora, & quære. Metaphora eſt ab ijs ſumpta, qui pulſando fictilia explorant, quorum ſonus ſurdus eſt ſi rimoſa ſunt, ſi vero ſolida, acutus. *Solidum.*] Res ſolida .i. integra.

Quid crepet.] Quem ſonum faciat. Teſtoria & non plectoria legendũ eſt. Tranſlatio ſumpta à parietibus, qui & ſi veteres ſunt tectorio inducto, noui tamen videntur. Tectorium enim eſt incruſtatio, quæ calce parietib. fieri ſolet. Plin. Nulla in Apellis tectoriis pictura erat, nondum libebat parietes totos pingere. Nomen accepit a tegendo. Vnde ſcribit Var. Parietes & ſolum opere tectorio marmorato loricandi ſunt .i. armandi & tegendi. *Ergo tectoria.*] .i. tegumenta, cum homines aliud corde tegant, aliud lingua oſtẽdant. *Linguæ picta.*] Adulatricis. *Hinc ego centenas.*] Senſus eſt. Ad hoc mihi centum voces optaui, vt quanta te beneuolentia complectar, oſtendere tibi poſſim. *Traham.*] Educam, promam, ſumptum à nentibus. *Voce pura.*] Sincera & fideli, non mendaci, non adulatoria. *Verba reſignent.*] Aperiant. Inde dicimus literas reſignatas, id eſt, apertas. qua ſignificatione Plinius vſus eſt cum ait. Fabius Pictor in Annalibus ſuis ſcribit matronam, quod loculos in quibus erant claues vinariæ cellæ reſignauiſſet, à ſuis inedia mori coactam.

Totumque hoc verba.] Ordo eſt. Verba reſignent hoc totum quod lateat arcana fibra non enarrabile. *Arcana fibra.*] Pectore intimo. Arcanum ſcribit Feſtus trahi ſiue ab arce, quæ tutiſſima pars eſt vrbis: ſiue à genere ſacrificij quod in arce fit ab auguribus, adeo remotum à notitia vulgari vt ne literis quidem mandetur, ſed per memoriam ſucceſſorũ celebretur: ſiue ab arca in qua quæ clauſa ſunt tuta manẽt, cuius ipſius origo ab arcẽdo depẽdet. *Non enarrabile.*] Magnitudinẽ amoris exprimit. *Quum primũ pauido cuſtos mihi purpura ceſſit.*] Deſcribit tẽpus quo ſe inſtituendum Cornuto tradidit. Senſus eſt, vbi ex pueritia, quæ ætas bulla & prætexta vtebatur, exceſſi, à te erudiri volui. Ordo eſt. Suppoſui me tibi, cum primum purpura cuſtos ceſſit mihi. *Purpura.*] Hoc eſt prætexta, cui prætexebatur (vt ſcribit Macrobius) purpura. veſtis erat qua pueri ante xiiij. annum vtebantur. Mart. puerilem amicitiam prætextatam dixit. Tu mihi ſimplicibus Manni dilectus ab annis, Et prætextata cultus amicitia. Eam etiã magiſtratuum fuiſſe oſtendit Tranquillus ſic ſcribens de Cæſare. omiſſis lictoribus, abiecta prætexta domum clam refugit. *Cuſtos.*] Ideo dicit, quia pueri ſub cuſtodia ſunt, aut præceptoris aut pædagogi. *Mihi ceſſit.*] A me depoſita eſt. Bulla aurea erat inſigne puerorum prætextatorum, quæ dependebat in pectore, vt ſignificaretur eam ætatem alterius regendam con-

ſilio. Dicta eſt autem bulla à buli, quod eſt conſilium, aut quia eam partem corporis bulla contingat, id eſt, pectus in quo naturale manet conſilium, aut vt ſcribit Pedianus, quaſi bullientis ſinus communiens pectúſque puerile. Eius vſum vt ætas puerilis vſurparet, primus omnium Tarquinius inſtituiſſe traditur. Qui filium cum in prætexte annis occidiſſet hoſtem, bulla aurea donauit. Vnde mos bullæ durauit, vt eorum qui equo meruiſſent filij id inſigne haberent, cæteri lorū. Cum prætexta magiſtratuum, bulla vero geſtamen eſſet triumphantium in ſpeciem cordis vt ſcribit Macrobius, remediis quibuſdam incluſis aduerſus inuidiam. *Donata pependit.*] Generoſi enim pueri pueritiæ annos egreſſi apud lares familiares bullam ſuſpendebant, quemadmodum puellæ virginitati renunciantes Veneri puppas donabant, vt Perſius. Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ. Ad quod reſpexit Ora cum irridendo ait. Donaſſet iam ne cathenam Ex voto laribus. *Laribus.*] Quos proprie auctore Plutarcho præſides vocant: his canis aſſiſtit, & ipſi caninis pellibus veſtiuntur. Cuius rei duplex redditur ratio. Nam cum præſides ſint qui præſunt, hos domus cuſtodes eſſe oportet & alienis formidoloſos, ſicut canes videmus. Mites vero ac lenes manſuetóſque domeſticis. Vel quod dæmonia quædam mala, vt ſenſit Chryſippus, & Romani credidere, circum errent, quibus dij quaſi carnificibus, & ſcelerum vltoribus aduerſus iniuſtos & impios vtuntur. Sic lares furiales quidam exiſtimati ſunt, & pœnarum exactores, & vitæ & operationum ſpeculatores. Quare fit vt caninis pellibus induantur, quibus & canis ideo aſſidet, quod ad inueſtiganda ſcelera & vlciſcendos improbos ſagaces ſint. Compitalibus igitur (nam is dies Laribus attributus erat) ſuſpendebantur in compitis (vt ſcribit Feſtus) pilæ & effigies viriles & muliebres ex lana, quod eſſe deorum inferorum quos vocant lares putarent, quibus tot pilæ quot capita ſeruorum, tot effigies quot eſſent liberi ponebantur, vt viuis parcerent, & eſſent his pilis & ſimulacris contenti. *Succinctis Laribus.*] Quia pellibus caninis induti colerentur. *Cum blandi comites.*] Pædagogi & ſerui, qui cum antea dominū coërcerent nunc blandirentur. *Tota Suburra.*] Ablatiuus eſt caſus. Suburra regio vrbis celebratiſſima, viæ ſacræ proxima, quam putauit Iunius auctore Varrone ab eo dictam, quod fuerit ſub antiqua vrbe, cui teſtimonio poteſt eſſe, quod ſubeſt ei loco qui terreus murus vocatur. Vel à pago potius ſuccuſano dicta, vt mutatione literæ ſuburra pro ſuccuſa dicta ſit, quod ſuccurrit carinis. In ea meretrices habitant. Martialis. Ergo ſuburranæ tyronem trade magiſtræ: Illa virum faciet, non bene virgo docet. Virgilius in Priapea. Nota ſuburranas inter Telethuſa puellas, Quæ puto de quæſtu libera facta ſuo.

Impune.] Sine ſupplicio, id eſt, omni amoto metu. Nam antea ſub cuſtodia erat pædagogi & patris, à quo prohibebatur libere viuere.

Candidus vmbo.] id eſt, toga virilis, quæ poſt quartumdecimum annum, quo tempore pueritia deſinit ſumebatur. Eam metaphorice vmbonem appellauit, quia vt ſcuto armati aduerſus hoſtem audacius inſurgimus, & omnia pericula ſubimus: ita pueritiam egreſſi ſumptáque toga virili licentius liberiúſque omnia facimus. vnde Terentius. Poſtquam exceſſit ex ephebis, viuendi liberior fuit poteſtas. *Candidus.*] Antiquorum conſuetudinem reſpexit, apud quos virorum fortium picta erant ſcuta, vt Virgilius. Et picti ſcuta Labici. Contra inertium & tyronum pura erant, vt idem alibi: Parmáque inglorius alba. Per candidum igitur vmbonem ſe veluti nouum militem & tyronem oſtendit, quippe qui nuper ingreſſus eſſe adoleſcentiam. *Cumque iter ambiguum eſt.*] Nam ineunti adoleſcentiæ nihil difficilius eſt, quàm quos & quales eſſe velimus deliberare, quod imbecillitate conſilij accidere Cicero docet. *Vitæ neſcius error.*] Ordo eſt. Error neſcius vitæ, vt intelligamus adoleſcentiam errare, quia veræ vitæ cognitionem non habeat. *Ramoſa in compita.*] In varias deliberationes. Alludit ad literam y, per quam Pythagoras, vt diximus vitam humanam diuiſit, ita vt ab anguſto incipiens, biuium literæ iuuentutis ſpeciem præferat quæ ſemper incerta eſt vtram viam ſequatur: vitiane, id eſt, partem ſiniſtram: an virtutem, id eſt, partem dextram. *Compita.*] Quadriuia appellantur, ab eo quod multæ viæ in vnum confluant, à competendo vt ſcribit Varro. *Mentes.*] Mens dicta à metiendo, quòd ea cuncta metimur & penſitamus. *Me tibi ſuppoſui.*] Hoc ſane ſuppoſui ſummam erga magiſtrum venerationem oſtendit. *Teneros annos.*] Ineuntem adoleſcentiam. *Socratico ſinu.*] id eſt, philoſophia morali, quā Socrates primus omnium inuenit. Nam cum antea philoſophi, vt diximus, circa rerum cognitionem verſarentur, is (vt Cicero eſt auctor) è cælo philoſophiam moralem euocauit. *Tum.*] ſ. cū me ſuſcepiſti. *Regula.*] Moderatio & doctrina, à regendo dicta. Metaphora ſumpta eſt à fabris, qui regula hoc eſt linea recta vtuntur ad ligna recte ſecanda & polienda, quæ alio nomine appellatur amuſſis. *Extendit.*] Euoluit. explicat & emendat. *Mores intortos.*] .i. prauitatem vitæ meæ. In modo particula eſt auctiua. permanſit in Metaphora. intortos enim dixit quia extendit, præcedit. *Fallere ſolers.*] Solertis & periti magiſtri morem expreſſit: quem oportet, vt ſcribit Fabius, pueros blanditijs plerunq; ad literas allicere. vt Horat. Olim dant cruſtula blandi Doctores, elementa velint vt dicere prima. Fallere igitur dicit, quod eū veluti quibuſdā fraudibus ad virtutē induxerit, ita vt plerunq, eius cupiditatib. aſſentire videretur. *Solers.*] In omni re prudens. Deductū à ſollon oſcè, quod nos totū vocamus. auctor eſt Feſtus. *Et premitur.*] Regitur. i. animus meus patiebatur & gaudebat ratione gubernari. quod in omnibus laudabile eſt, vt rationi pareat appetitus, quæ omnia ex philoſophia morali colliguntur.

Vincique

Vincique laborat.] Hinc oſtendit non ſine labore à cupiditatibus auocatum eſſe. *Artificem.*] Antiptoſis eſt, pro artifice.

Ducit ſub pollice v.] Metaphora ſumpta ab his qui imagines cæreas formant. Iuue. vt mores teneros, ceu pollice ducat, Vt ſi quis cæra vultum facit. *Ducit.*] Sumit. *Soles.*) Dies. Virgil. Tris adeo incertos cæca caligine ſoles. *Primus noctes.*] id eſt, primas partes noctis.

Laxamus.] Ducimus aperimus. *Seria.*] Res graues. Et per hoc oſtendit poeta nihil impudicum in menſa tractandum eſſe.

Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo Conſentire dies & ab vno ſidere duci.] Tantam inter ſe concordiam, & morum ſimilitudinem eſſe dicit, vt credibile ſit amborum vitam ab eodem ſidere pendere. Et hoc ex diſciplina Ægypti, in qua plurimum Petoſiris & Necepſos elaborauere. Nam perſuaſum eſt, ex aſtrorum motu futura cognoſci, & naſcentibus hominibus malitiam vel bonitatem, felicitatem vel infelicitatem portendi. vnde illud eſt Iuuenalis. Diſtat enim quæ Sidera te excipiant modo primos incipientem Edere vagitus.

Amborum fœdere certo conſentire dies.] Ordo eſt, dies amborum cõſentire conuenire. *Fœdere.*] Lege. *Noſtra vel æquali ſuſpendit tempora libra Parca tenax veri, ſeu nata fidelibus hora.*] Senſus eſt. ſiue inquit ſub Libra, ſiue ſub Geminis & quocunque alio ſidere nati ſumus, hoc vnum conſtat, nos cuiuſdam ſideris beneficio pari morum qualitate coniungi, & eiuſdem eſſe voluntas. Ordo eſt, neſcio quod certe eſt ſidus, quod me tibi temperat. vel Parca tenax veri ſuſpendit noſtra tẽpora æquali libra, ſeu hora nata fidelibus diuidit f. c. d.

Parca tenax veri.] Parcæ tres dicuntur eſſe ſorores, Clotho, Lacheſis, & Atropos, quarum arbitrio hominum vita diſponitur. Vnde Sappho. Siue ita naſcenti legem dixere ſorores, Et data ſunt vitæ fila ſeuera meæ. Summa concordia omnia dirigunt. Virgilius. Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ. pro fatis ab Homero accipiuntur, vt hic à Perſio. Ait ergo fata horam natalem diſpenſaſſe, vt ſua vtriuſque vita ab eodem ſidere pendeat. *Tenax veri.*] Non mendax, ſed quod ſemel promiſit haud dubie præſtans. *Suſpendit tempora noſtra.*] Nobis contribuit & diſpenſat. perſtat in tranſlatione libræ, qua res penduntur. *Aequali libra.*] Epitheton eſt Libræ, Nam ſole in Libra exiſtente æquinoctium eſt autumnale, id eſt, nox æqua diei. vnde Virgilius. Libra die ſomnique pares vbi fecerit horas.

Seu nata fidelibus hora Diuidit in geminos c. f. d.] Geminos complures aſtrologi, Caſtorem & Pollucem eſſe dixerunt, quos demonſtrant omnium fratrum inter ſe amantiſſimos fuiſſe, quod neque de principatu contenderunt, neque vllam rem ſine communi conſilio geſſerunt, pro quibus officiis eorum Iupiter inter notiſſima ſidera eos cõſtituiſſe exiſtimatur. Alij dixerunt Herculem & Apollinem eſſe.

Nonnulli Triptolemum & Iaſium, à Cerere dilectos & ad ſidera perlatos. Oſtendit igitur poeta eos qui ſub geminis naſcuntur ſumma ſemper fide & gratia inter ſe viuere, quemadmodum vixiſſe feruntur Caſtor & Pollux. *Hora nata fidelibus.*] id eſt, quæ hoc præſtat vt qui tunc naſcantur inter ſe fideles ſint & amici. Geminorum enim ſidus benignum eſt & ſalutare, eos in mari deos nautæ inuocant.

Diuidit in geminos concordia fata duorum.] id eſt, digerit, & diſpartitur in geminos concordia fata duorum, id eſt, vitam noſtram quæ dependet ex fatis. diuidit autem in geminos, vt quamuis diuerſis temporibus, ſub eodem tamen ſidere vtrique nati ſumus. *Concordia.*] Hoc dicit propter ſideris virtutem, cuius eſt proprium homines in amicitiam & mutuam charitatem coniungere. *Saturnumque grauem noſtro Ioue frangimus vna.*] Saturni ſidus gelidæ & rigentis eſt naturæ, & quibus in ortu affulſerit maleficium & infelicitatem portendens. Vnde Ouidius in Ibim. Te fera nequicquam placidum ſpondentia Martis Sidera preſſerunt falciferique ſenis, id eſt, Saturni. Contra Iouis ſydus eſt benignum & temperatum. Nimio enim ardore Martis & rigore Saturni, inter quæ duo ſidera eſt interiectus, ex vtroque temperatur, & ſtella fit ſalutaris. Ouidius. Natus es infelix, ita dij voluere. nec vlla Commoda naſcenti ſtella leuiſque fuit. Non Venus affulſit, non vlla Iuppiter hora. Ait ergo Perſius. Si quid mali nobis naſcentibus ſidus Saturni illaturum erat, id totum benignitate ſtellæ Iouis depulſum eſt, cum ea nobis in ortu affulſerit.

Mille hominum ſpecies.) Vide quàm apte ad hominum vitia notanda deſcendat. quid enim aptius quàm cũ de vtriuſque morum ſimilitudine & pari ſtudio vitæ dixerit, alios ita non eſſe oſtendere. docet igitur quaſi arguens varia eſſe hominum ſtudia & voluntates diuerſas, illud inferens, cum variæ ſint hominum voluntates nihil melius eſſe quàm Cornuti propoſitum tenere & ſequi, qui philoſophiæ & virtuti penitus inhæſit? vnde ſubdit. Petite hic iuueneſque ſeneſque.

Mille hominum ſpecies.) Horatius. Quot capitum viuunt, tot ſtudiorum millia. Terentius. Quot capita tot ſententiæ. C.

Mille hominum ſpecies.) Mille formæ, figuræ, & facies hominum ſunt: nam id vult Satyricus, tam multiplicem, & variam eſſe ingeniorum ſtudiorumque naturam, quàm eſt formarum. Eſt enim illud exploratum, duos vix inueniri, qui oris figura & ſpecie prorſus ſimiles ſint. Id probarem, ſi egeret teſtimoniis, ſiue obſcurum eſſet. S.

Rerum diſcolor vſus.) Ordo eſt, vſus rerum diſcolor. *Diſcolor.*] Varius diuerſus cum varij variis rebus in vita exerceantur.

Velle ſuum quique eſt.] Virgilius. Trahit ſua quemque voluptas.

Velle.) Verbum pro nomine poſuit, vt alibi. noſtrum iſtud viuere triſte. *Nec voto viuitur vno.*) Vno deſiderio & pari voluntate.

Mercibus hic italis.] Horatiana eſt æmulatio. Hic mutat merces ſurgente à ſole ad eum quo Veſpertina tepet regio. *Mutat.*) Antiquorum conſuetudinem reſpexit. Nam omne mercimonium in permutatione conſtabat. Virgil. Mileſia magno Vellera mutentur.

Sole retenti.] id eſt, oriente ſole, recens orto, vt Virgil. in Geor. ait.

Rugoſum piper.] Apud Indos præcipueque in fronte Caucaſi ſolibus oppoſita piper gignitur. Arbor autem quæ piper gignit, iuniperis noſtris ſimilis eſt. *Rugoſum.*) Quia piperis ſiliquæ prius quam dehiſcant decerptæ toſtæque ſole, faciunt quod vocatur piper longum: paulatim vero dehiſcentes per maturitatem oſtendunt candidum piper, quod deinde toſtum ſolibus calore rugiſque mutatur. *Cymini palentis.*] Cyminum auctore Plinio tritum, & cum pane ſumptum vel potum ex aqua vinoque, tormina inteſtinorum dolores diſcutit, veruntamen omne pallorem bibentibus gignit. Hora. Quod ſi pallerent biberent exangue cyminum. *Hic.*] id eſt, alius.

Turgeſcere.] Deſidia langueſcere & pingueſcere. naturale enim eſt eos pingues fieri, qui cibo vacent & ſomno. *Irriguo.*] Nam ſomno corpora ſaturata pingueſcunt. tractum ab agris, qui cum irrigantur fiunt pingues. & improprie locutus eſt. Nam irriguum appellamus quod irrigantur: non autem quod irrigat. Hora. Irriguo nihil eſt elutius horto. & idem alibi. Irrigumque mero ſub noctem corpus habento. Varro in Re ruſtica. Si prata irrigua habebis. *Hic campo indulget.*] An agriculturæ & rei ruſticæ, an campo Martio dignitates & honores quærens. *Hunc alea decoquit.*] Conficit, angit, dum nimia lucrandi cupiditate tenetur. Sic enim homines coqui dicuntur. Vnde eſt illud Ennianum quod à Cicer. eſt repetitũ. O Tite ſi quid ego adiuto curamue leuaſſo, Quæ modo te coquit. i. cruciat & angit.

Ille in venerem eſt putris.] .i. ita rei venereæ intentus, vt eneruetur & aſſidua libidinẽ reſoluatur. *Putris.*] Reſolubilis. Hor. Omnes in Damaſum putres Deponent oculos. *Sed cum lapidoſa chiragra.* Horat. Poſtquam illi iuſta chiragra Contudit articulos. Senſus eſt, cum ad ſenectutem peruentum eſt, eos qui vitam inhoneſte egerunt tunc demũ ingemiſcere, vitæ anteactæ conſcios. *Lapidoſa.*] Quod membra contrahantur. nam morbus eſt quo manus corripiuntur, à chir quod eſt manus, & agra dolor ſiue aſperitas. *Ramalia.*] Pedes & brachia quæ metaphoricos rami dicuntur corporis, *Veteris fagi.*] Perſtat in translatione. id eſt veteris & multorum annorum corporis. *Craſſos dies.*] Per intemperantiam .ſ. vitam paluſtrem, vitam cœnoſam & veluti nubilo inuolutam, cum ſine aliquo virtutum commercio vixerunt.

Iam ſeri.) Hoc dictum eſt cum irriſione, quaſi qui oſtendat parum prodeſſe ſeram vitiorum emendationem. *Vitam ingemuere relictam.*] Quod ſupereſt vitæ defleuerunt. quia tales ſenectute excipiantur.

Atte nocturnis.] Cornutum diſſimilem ſuperioribus ſtudiis oſtendit. *Impalleſcere.*] Incumbere, nimio enim ſtudio pallor contrahitur, vt alibi. En pallor ſeniumque. Iuue. Tunc vtile multis Pallere & toto vinum neſcire Decembri. *Inſeris.*] Reples, imbuis. tractum ab arboribus quæ inſeruntur. *Aures purgatas.*] Vitiis. ſ. exhauſtas.

Fruge Cleantea.] .i. philoſophia Cleantis. Hic enim philoſophus fuit Aſius Stoicus Phanij filius, qui Zenonis Citienſis ſcholæ ſucceſſit, quam poſtea auctore Strabone Chryſippo Solenſi reliquit. Memoriæ proditum eſt ipſum laborioſiſſimum fuiſſe, adeo vt inopia cogente noctu ex puteis ad irrigandos hortos Athenienſium aquã hauriret, qua mercede interdiu ſtudiis liberalibus operam daret vt & Phreantles, id eſt, hauriens puteos appellaretur. Nam phrear Græce puteum ſignificat Latine. & antlao, id eſt, haurio. De hoc Iuue. Et iubet archetypos pluteum ſeruare Cleantes. *Petite.*] Suadet virtutibus & ſtudiis liberalibus incumbendum eſſe, quaſi diceret. Imitamini Cornuti propoſita, qui philoſophiæ deditus eſt, vt eo modo rectam vitam diſcatis, quæ tota pendet ex philoſohia. *Hinc.*] Ex philoſophia. *Finem animo certum.*] Monet ex philoſophia diſci cupiditatibus noſtris modum ponendum eſſe. Horatius. Certum voto pete finem, id eſt, modum & terminum quem haud prætergrediare.

Certum.] Fixum, ſtabilẽ. Vnde contrà incertum inſtabilem dicimus. Virgil. Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus. *Viatica.*] id eſt, virtutem ipſam qua nullum eſt firmius ſenectuti præſidium. Hoc autem ſumptũ eſt ex dicto Biantis, qui filio in Ægyptũ proficiſcenti, rogantique patrem, quidnam agendo, maxime ſibi gratum faceret, ſi viaticum inquit ad ſenectutem comparaueris, Virtutem nimirum intelligens. Nam vt auctor eſt Cice. Apertiſſima ſunt arma ſenectutis artes, exercitationeſque virtutum, quæ in omni ætate cultæ cum diu multumque vixeris mirificos afferunt fructus: non ſolum quia nunquam deſerunt, ne extremo quidem tempora ætatis, verum etiam, quia conſcientia bene actæ vitæ multorumque benefactorum recordatio iocundiſſima eſt. Viaticum enim proprie appellatur quicquid in itinere gratia victus comportatur. Et bene via tica vt ſignificaret hanc vitam eſſe tanquam quandam peregrinationem.

Cras hoc fiet.] Verba deſidis. Illud vide quam occulte quamque pulchre doceat: ideo homines virtutem non amplecti, quia in poteſtate ſua non ſint, quippe qui vitiis, vt auaritiæ, libidini, ambitioni, & id genus malis obnoxij ſint. Vnde ſequitur, libertate opus eſt. *Idem cras fiet.*] Perſius.i. Idẽ certe dices, cum craſtinus dies venerit. Sicque inertis hominis mores oſtẽdit riſu quodã ſatyrico ſubſannans. *Quid quaſi magnum. Nem.d. d.*] Verba inertis. *Sed cum lux alteraue.*] Perſ. monet tacite tempora dilabi, & ideo intermiſſionem ſtudiorum

habendam non eſſe cum tempus irreparabile ſit. Eſt ergo ſenſus, cum ille dies præteriit, ocioſus quem petiiſti, ſcito te iam vnum diem amiſiſſe, cum in eo nihil egeris. *Cras heſternum.*] Sciendum eſt, vt ſupra diximus nomen & aduerbium plerunque in ſe tranſire. Nomen in aduerbium. vt Toruúmque repente clamat, id eſt, torue. Item aduerbium in nomen vt Perſi. iam clarum mane feneſtras intrat.

Ecce aliud c.] Oſtendit deſidem nullo die omnino ad virtutes erigi. ſed ita de futuro multa pollicentem atterere tempus.

Egerit.] Emittit ab egero venit, non ab ago. *Et ſemper paulum e. u.*] Senſus eſt. Illud cras quod amiſimus, quod præceſſit, nunquam recuperari poterit. quia ſemper erit paulúm vltra, id eſt, paulum ante. Nec vnquam aſſequi poterimus. quod per currum oſtenditur, vt ſequentia indicant. in quo rotæ poſteriores nunquam anteriores aſſequuntur, licet pari volubilitate agantur. *Nam quamuis prope te.*] Ordo eſt. Nam ſectabere fruſtra canthum vertentem ſeſe.

Quamuis prope te.] Quamuis temone ſub vno. Temo enim dictus eſt à tenendo, is enim continet iugum & plauſtrum.

Canthum.] Canthus ferrum eſt, auctore Fabio, quo rotæ vinciũtur.

LIBERTATE *opus eſt.*] Hinc poſtea oſtendit ideo homines quos ad virtutem hortatus eſt ſapientiam aſſequi non poſſe, quod liberi non ſint cum vitiis ſint obuoluti. Sic ex Stoicorum ſententia docet ſolum liberum ſapientem. *Libertate opus eſt n. h.* Senſus eſt. Non ea eſt opus libertate, quam vt quiſque per manumiſſionem accepit ciuis Romanus fit, & accepto Publij prænomine in tribus diſtributus, frumentum publice datum accipit, ſed ea quæ nos à vitiis vindicat. i. animi libertate. *Qua vt quiſque v. p. e.*] Hæc particula, vt omnino verſui inſerenda eſt, aliter ſenſus non procederet. Eſt enim ordo & ſenſus. Non opus eſt ea libertate qua, id eſt, per quam quiſq. Publius poſſidet far teſſera, vt emeruit. i. ſimul ac ſeruitutem exuit, & deſtitit eſſe ſeruus, & prænomen Publij eſt aſſecutus, quo ciuis Romanus oſtendebatur. Nam emeriti dicuntur qui honeſta cauſa à munere militiæ remittuntur. Vnde Iuuen. Emerita quæ ceſſat acu. i. quæ iam officio ſuo & munere functa eſt. & Tranq. ſic ſcribit in Calig. Cæterorum increpita cupiditate, commoda emeritæ militiæ ad ſexcentorum militum ſummam reſcidit. Papinius in Syluis. Cæſar ab emerito iubeat diſcedere bello. Velina tribus dicta eſt à Velia colle vrbis, vt Varroni placet, quod ibi paſtores paulatim ex ouibus ante tonſuram inuentam vellere lanam ſoliti, ex quo vellera dicuntur. In ea enim cum Publius Valerius Publicola ædes ædificaſſet, ne ſuſpectus haberetur regni affectati, diruiſſe traditur, non modo (vt Liuius ſcri.) plano ædes, ſed colli ſubiiciens. *Publius.*] Prænomina erant Pub. Quintus, Caius, Cneus, Lucius, Marcus & huiuſmodi.

Horat. Quinte puta aut Pub. gaudent prænomine molles Auriculæ. Moris etiam erat, vt cum aliquis ciuis Romanus oſtendendus eſſet ſignificaretur aut prænomine ſuo aut agnomine, aut à cognomine, aut à tribu in qua cenſeretur à curia, aut cenſura. auctor eſt Pedianus.

Scabioſum far.] Ciuibus Rom. frumentum publice per teſſeras gratis dabatur in ſingulos modios, P. Clodij beneficio, cum antea vt ſcribit Aſcon. ſemis æris in ſingulos modios daretur. *Far.*] Farris ideo meminit, quia eo, vt ſcrib. Verius, vixerunt Romani tercentum annis.

Scabioſum.] Aſperum ob glumam eius quæ granum ſemper comitatur. *Teſſerula.*] Signo quo frumentum accipiebant. Eius teſſeræ ſæpe commeminit Tranq. vt in Domitiano. Et quia pars maior rerum intra popularia deciderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos equeſtris ac ſenatorij ordinis pronunciauit. *Heu ſter. v.*] Ignari veritatis, qui putatis vos ſtatim per manumiſſionem factos liberos, quaſi alij domini non præſint & imperent vobis. *Vertigo.*] à vertendo. Seruus enim dum manumittebatur à domino, impoſita eius capiti manu vertebatur, quod ſignificaſſe videtur eum ita liberum eſſe, vt in quancunque partem migrare liceret. *Hic Dama eſt n.t.a.*] Cum interrogatione. hoc eſt, putabis ne eum qui manumiſſus ſit ſtatim liberum eſſe, & non ſeruum nequiſſimum? vt oſtendat manumiſſionem eam non eſſe quæ libertatem donet, ſed eam animi magnitudine cenſeri. Per Damam intelligit ſeruum nequiſſimum & hominem fœdum, alludens ad illum Horatianum Damam, quem abiectiſſimum oſtendit in Satyris ſuis. Tum cum proiectis inſignibus anulo equeſtri, Romanóque habitu prodis ex iudice Dama Turpis, odoratum caput obſcurante lucerna. Non es quod ſimulas. Eſt ergo ſenſus. Hic Dama, hic ſeruus fœdus & turpis qualis fuit Dama, erit ne ſtatim liber & ciuis Romanus, quia manumiſſus ſit & non agaſo. q. d. erit quidem agaſo. i. viliſſimus ſeruus, neque erit Marcus. i. ciuis Romanus, qui per prænomen vt diximus oſtendebatur. *Momento temporis exit* M. D. Putas tu tam breuis temporis articulo Damam, hoc eſt ſeruum factum eſſe Marcum. i. ciuem Romanum, qui per prænomen à ſeruis diſtinguebatur. Nam ſeruis prænomine vti non licebat. *Treſſis*] Trium aſſium. Agaſo ille dicitur, qui non ſolum aſinorum, ſed omnium iumentorum alendorum curam agit. Plin. Et in vna tabella, qua maxime inclaruit, agaſonem cum equo pinxit. Seruius quoque vbi illud in 12. Æneid. interpretatur, Circunſtant properi aurigæ, manibúſq. laceſſunt Pectora plauſa cauis: declarat aurigas poſitos eſſe pro agaſonibus. Loquitur enim de equis non de aſinis. Acron item: agaſo proprie ſeruus qui iumenta curat. *Mendax.*) Qui mendaciis vtitur ſui iuris non eſt. *Tenui f.*) Minima re ob paruam vtilitatem.

Farragine.] Inter pabularia connumerantur farrago ocyum, viſia,

fœnum. Farrago ex recrementis farris vt ſcribit Plin. prædenſa ſeritur admixta aliquando in Africa fit ex ordeo, ea à farre denominata eſt. ipſum autem far, vt teſtatur Varro, aut quid ferro ſit cæſum, aut quod in farratia ſegete ſeri ſit cœptum. *Verterit hunc d.*] Permiſſio eſt. i. Eſto vt à domino Dama manumittatur, ſtatim ne liber erit, & ciuis Romanus? *Papæ.*] Interiectio eſt admirantis per ironiam.

Credere.] Aliis. ſ. *Hæc mera l.*) Hanc inquit cenſes veram eſſe & puram libertatem, quæ per manumiſſionem paratur. q. d. eam non eſſe.

Pilea.) Serui cum manumittebantur, in templo Feroniæ, quæ libertorum dea perhibebatur, raſo capite pileum accipiebant, cuius rei Plautus in Amphytrio. mentionem facit. Quod vtinam ille faxit Iupiter, vt ego hodie raſo capite caluus capiam pileum. Plin. loquens de Cornelio Cinna ita ait. Vocatíſque ad pileum ſeruis, aduerſarios vicit. De hoc & Perſius ſupra meminit. At illum Heſterni capite induto ſubiere quirites. Legitur & in annalibus veterum Quintum Terent. Culeonem Africani ſuperioris currum triumphantis, quia captus à Carthaginenſibus ab eo fuerat recuperatus, pileum gerentem ſecutum eſſe, vt auctori libertatis ſuæ tanquam patrono accepti beneficij confeſſionem redderet. *An quiſquam a. l.*) Omnes ſyllogiſmi partes complexus eſt, qui conſtat ex propoſitione, aſſumptione, & concluſione. Hæc ergo eſt propoſitio, quam ſequitur aſſumptio cum ait, licet vt volo viuere. Hic aperte oſtendit homines etſi ſibi liberi eſſe videntur, tamen ſeruos eſſe cum eorum animus prauis cupiditatibus obſideatur. *Liberior Bruto.*) Concluſio eſt. Nam ſi licet viuere vt vult, reſtat igitur vt liber ſit. Brutus adeo libertatis ſtudioſus fuit, vt expulſo Tarquinio ſuperbo propter Lucretiæ ſtuprum, filios ſuos quod cum Aquiliis & Vitelliis coniuraſſent de reducendo rege, virgis cæſos ſecuri percuſſerit. *Mendoſe colligis inquit Stoicus.*) Bene Stoicus. Is enim eſt qui dicit neminem præter ſapientem liberum eſſe.

Mendoſe col.) Falſe argumentaris. Hic enim falſum probatur vbi dicit, licet vt volo viuere: neque illi licet viuere vt vult qui vitiis ſubiectus eſt. *Aurem mordaci lotus aceto.*) Synecdoche eſt. i. aurem habens lotam. Verg. Nodóque ſinus collecta fluentis. *Hic.*) i. hoc argumento. *Mordaci aceto.*) Id eſt, acri & vrgenti dicto, vt ſic intelligas Stoici aures quidem argumento & dicto offenſas eſſe. Horat. At Græcus poſtquam eſt Italo perfuſus aceto. *Licet vt volo viuere, tolle.*) Hic probat eum liberum non eſſe, quia ei non liceat facere quæ vult. At tibi non licet viuere vt vis, ergo ſeruus es.

Vindicta poſtquam meus à prætore receſſi.) Laborat rurſus oſtendere ſe, quandoquidem libertate donatus ſit à prætore, omnia libere facere poſſe quæ libeat, & ideo ſe liberum eſſe.

Cur mihi non liceat.] Subaudi facere. *Receſſi meus.*] Id eſt, mei iuris & liber qui aliis non ſeruiam. *Vindicta.*] Virga qua ſerui in manumiſſione à prætore tangebantur. idque manauit à Vindicio, qui poſt detectam coniurationem filiorum Bruti de reducendo Tarquinio ſuperbo primum vindicta liberatus eſt. à quo nomen vindictæ tractũ auctore Liuio quidam putant: nam poſt illum obſeruatum eſt, vt qui ita liberati eſſent, in ciuitatem accepti viderentur. *Maſuri.*] Maſurius eques Romanus temporibus Tyberij Cæſaris iuriſconſultus fuit, qui primus publice ſcripſit. Eius frequenter meminit Gellius in Noctibus Atticis. *Rubrica.*] Titulus legis. Nam legum capita minio notantur. Iuuen. Perlege rubras Maiorum leges. Ouidius. Nec titulus minio, cedro chartaue notetur. De rubrica dictum eſt ſuperius in prima Satyra.

Disce, *ſed ira cadat naſo.*] Oſtenſurus poeta eum male ſentire, qui à prætore manumiſſus ſe liberum putat, monet, ne dum id doceat indignetur. *Ira cadat naſo.*] Ironicos tractum à canibus qui naribus in rugam contractis iram demonſtrant. *Sanna.*] Diſtortio eſt oris, quæ fieri ſolet in deriſum alicuius rei, vt alibi. Poſticæ occurrite ſannæ. inde fit ſubſannare, id eſt irridere.

Veteres auias.] Hoc eſt deliramenta diu fouiſti, dum credis eum liberum eſſe qui ſub imperio alicuius non ſit. *Auias.*] Ideo auias, quod vetulæ quæuis deſipere ſoleant. *Non pra. e.*] Probat liberum non eſſe qui ſit manumiſſus à prætore. ſenſus eſt, prætor libertate quemlibet donare poteſt, at eiſdem ſapientiam quæ vera eſt libertas ingerere non poteſt. Ex quo apparet etſi manumiſſus ab vno ſit, in ſeruitutem tamen alterius trahi poſſe. *Tenuia officia.*] Id eſt rerum ſubtilium adminiſtrationes. *Vſum rapidæ permittere vitæ.*] Id eſt dare vt vita quæ celeris eſt vtantur ſuo arbitratu, quia vitiis ita inſeruiunt, vt liberam vitam agere non poſſint. *Sambucam citius caloni.)* Citius inquit fieri poterit, vt vir ruſticus & rudis inſtrumenta muſica pulſare diſcat, quàm vt prætor ſtultum hominem poſſit ad virtutes formare, cúmque abſterrere quo minus vitiis obnoxius ſit.

Sambuca.) Organi genus à quo Sambuciſtriæ dicuntur: machina quoque qua vrbes expugnantur, ſimiliter vocatur. Nam vt in organo chordæ, ſic in machina intenduntur funes. hæc Feſtus. barbarum eſt vocabulum ſambuca, nabla, barbitóſque & magades, auctor eſt Strabo. *Caloni.*] Calones ſerui dicebantur qui dominos in prælium ſequentes vallum ferebant. Nam auctore Seruio, moris fuit vt miles arma ipſe ſibi portaret, & ſeruus vallum. Vallum enim dicebant calam. Vt Luci. Scinde calam vt caleas, id eſt, o puer frange fuſtes, & focum fac. inde calones & claſſem dictam volunt. vel quia, vt Porphyrio auctor eſt, frequenter ad miniſterium aduocetur à domino, dicitur

dicitur calo à calo Græce, quod eſt voco Latine. vel vt nõnulli putãt à Calendis quod ea die cibaria accipiebant. Calonem igitur poſuit pro quocunque rudi & imperito homine. *Stat contra ratio.*] id eſt, parata eſt tibi tanquam aduerſaria ratio, quæ tibi clam oſtendit, tibi non licere id facere quod dum fit vitiatur. Vult oſtendere vnumquemque qui ſe liberum dicit, tum ſe facile poſſe cognoſcere ſeruum, quod dum peruerſe aliquid, rationis flagello ſemper caſtigatur: quia cum ſemper conſcientia ſollicitat vt quamuis in turpi opere ratio monet te ſeruum eſſe, cum ait te vetita haud quaquam facere debere. *Gannit.*) Legitur gannit & garrit. *Agendo.*) Dum agit, actiuæ enim eſt ſignificationis. Nam gerundiis in actiua & paſſiua ſignificatione licenter vti poſſumus. vt Virg. in actiua ibi, cantando tu illum? In paſſiua vero. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Publica lex hominum naturaque c. h. f.) Hoc quidem natura dat quod & leges publicæ permittunt, vt qui ſtultus ſit ſtulte agat. *Continet hoc fas.* Hoc licitum eſſe patitur. *Inſcitia debilis.* Quæ ratione non regitur. *Actus vetitos.*) id eſt Prohibita. *Diluis.*) Probat per exempla eum qui ſtultus ſit omnia ſtulte agere, nec è ſtulto ſapientem fieri poſſe. Pronũciatiue legenda ſunt. *Diluis.*) Diſtemperas. *Neſcius compeſcere.*) id eſt coercere, temperare in rebus penſandis. *Puncto.*) Vnciarum .ſ. *Natura medendi.*) id eſt, ars & ratio medicinæ. *Nauim ſi poſcat. ſ. p. a.*) Aliud exemplum profert quo oſtendat oportere ſtultum omnia ſtulte adminiſtrare. Si velit inquit vir ruſticus nauem gubernare, qui nec ſiderum rationem nec maria cognoſcit, exclamet Melicerta nullum eſſe in rebus humanis pudorem. *Peronatus.*] Pero genus calceamenti ex crudo corio, quo & in bello vtebantur. Virg. Crudus tegit altera pero. Iuue. Vix vetitum feciſſe volet, quem non pudet alto Per glaciem perone tegi. Rudis coniunge cum arator, non cum luciferi. vt ſit arator rudis. *Melicerta.*) Deus marinus. hic filius fuit Athamantis & Inonis, qui patris iram fugiens, à quo per inſaniam Learcus alter filius occiſus fuerat, ſe cum matre in mare præcipitauit, Qui Neptuni beneficio conſeruati in deos recepti ſunt marinos. Ino vero Leucotoe appellata eſt. Melicertam Palemonem Græce, Latine Portunum appellauere. à nautis inuocabatur. Virg. Votaque ſeruati ſoluent in littore nautæ Glaucoque & Panopeæ & Inoo Melicertæ. Ino vero Matuta appellata eſt. *Frontem.*] id eſt, pudorem cuius ſedes eſt in fronte. Vnde illud extat dictum apud antiquos, perfricuit frontem. i. depoſuit pudorẽ. Quintil. Perfrica frontem & dic te digniorem qui prætor fieres. Iuue. Eiectum ſemel attrita de fronte ruborem. *Tibi recto viuere talo Ars dedit.*] Irriſio eſt in eũ quem docet & ſapientia & libertate carere. Vnum enim pendet ex altero. Nã in quo ſapiẽtia non eſt, is ex Stoici ſentẽtia ſeruus eſt. Sẽſus eſt

igitur. Cum alij ſtulte viuant quod omnino eſt ſerui, ipſa ratio tibi recte viuendi viam demonſtrauit. ſicque per ironiam pronunciauit.

Recto talo.) Non claudo, ſed recto itinere & via, ſumptum ab his qui obtortis talis pedum non recte incedunt *Ars.*) Ratio. *Calles.*) Noſti. & tunc duplici ſcribitur l *Speciem.*) Apparentiam, deriuatum eſt à ſpecio. quod in ſimplicitate non inuenitur. C. *Veri ſpeciem.*) Formam, naturam, & quaſi faciem, ſicut dixit Cicero, honeſti faciem vides M.T. lib. de Off. i. S. *Ne qua ſub arato m. t. a.*) Ea es prudentia, vt æs auro coopertum etiam ſonitu dignoſcas, vt ſolent menſarij. Allegoricos hoc dicit, cum vitia velamento quodam virtutis obuoluta cognoſcere. hocque ſapientis eſt, qui vera libertate fruitur.

Nequa.) Subaudi ſpecies. *Tinniat.*) id eſt, tinnitu ſuo oſtendat. Tinnitus enim eſt proprium metallorum. *Mendoſum.*) Falſum. *Auro ſuba.*) id eſt, auro ſub ſe æs habente. Sequenda in paſſiua ſignificatione dixit. Sic Oui. Phylli ſequendus eram. *Illa prius c. m. h. c. n.*] Priſci fuit moris quæ bona & commendatione digna erant, creta alba notare. quæ vero mala ſignare carbone. vnde Horat. in ſatyris ſuis. Sanis creta an carbone notandi. *Illa.*) ſ. quæ ſequenda & bona ſunt.

Mox hac.) ſ. quæ uitanda ſunt. *Es Modicus voti.*) Modici deſiderij quod ſapientis & liberi eſt hominis. *Preſſo lare.*) Humili domo, & non in luxum magnifice extructa. *Iam nunc a. i. n. g.*) id eſt, noſti quando parſimonia, & quando munificentia & liberalitate vtendum ſit. ironia eſt vt diximus. *Iam nunc.*) id eſt, modo. *Granaria.*) Loca proprie dicuntur, vbi frumenta reponuntur, vt pomaria vbi poma, carnaria vbi carnes. *In quam luto fixum. p. t. m.*) Hic oſtendit animi liberi eſſe auaritia non laborare, imitatio eſt Hora. Quo melior ſeruo, quo liberior ſit auarus, In triuiis fixum cum ſe dimittit ob aſſem. *Fixum.*) A pueris ſcilicet qui tranſeuntes riſus captandi gratia decipiunt ære humi defixo. *Nec glu. ſor. ſ. m.*] Tractum eſt ab iis qui viſis delicatis cibis ſaliuam glutiunt. *Gluto.*) A glutiendo.

Mercurialem.) Mercurius lucri deus putatur, & à mercibus denominatus, vt alibi. Rem ſtruere exoptas cæſo boue Mercuriumque Acceſſis fibra, da fortunare penates. Horatius. Mercarier vnus Cum lucro noram. vnde frequentia mercuriale Impoſuere mihi cognomen compita. *Hæc mea ſunt t. c. v. di.*) Cum huius moderationis & ſapientiæ fueris quam deſcripſi, tunc te liberum & ſapientem eſſe dixero. Quæ enim dicta ſunt quandam animi ſapientiam & libertatem arguunt, Ordo eſt. Eſto liber & ſapiens cum dixeris hæc mea ſunt teneo. *Hæc ſunt mea.*) Quæ dicta ſunt & quæ ſapiens ſequi debet. *Teneo.*) Subaudi, &c. vt ſic intelligas: hæc ſunt mea, & teneo. i. poſſideo. *Prætoribus, ac. i. d.*) Tunc inquit & animi & corporis ſeruitute ſolutus eris. Nam cum ait prætoribus ad eam libertatē

reſpicit quæ ſeruitutis conditione vacat. Ioue vero ad libertatem animi. i. ſapientiam. *Sin tu c.f.*) Senſus eſt. Si autem vitiis & cupiditatibus ex quibus pendet hominis ſeruitus, detineris, de quibus paulo antedix imus, te nullo modo liberum nec ſapientem dixero. Ordo eſt, repeto quæ ſupra dederam, funemque reduco ſi retines veterem pelliculam, & politus fronte ſeruas aſtutam vulpem ſub vapido pectore, cũ fueris farinæ paulo ante noſtræ. *Noſtræ farinæ.*).i. vitæ vitiis inuolutæ. Apte farinam vitiis cõparauit. ita enim vitiis hominum vita, vt farina reliqua conſpergi dicuntur. *Pelliculam v. r. & f. p.*] Multi cum intus vitiis laborent ſummã tamen præ ſe ferunt bonitatem, ac ideo liberi putari volunt & ſapientes, cum omnino vitiorum ſerui ſint & ſtulti. *Pelliculam veterem.*] Antiquum vitium quod exteriore parte occultas. Sumptum ab iis qui corporis vitia veſtium pulchro tegunt velamento. *Fronte.*) Per ea quæ extrinſecus conſpiciuntur. *Aſtutam vulpem.*] Fraudem & fallacias, quales vulpi attribuuntur. *Pectore v.*) Vapidum appellamus multi vaporis. Vapido igitur pectore. i. veterũ vitiorum pleno, & fraudes redolente. *Quæ dederam ſ. r.*) Hoc ad illud refertur. Eſto liberq. ac ſapiens prætorib. ac Ioue dextro. Senſus ergo eſt, cum omnino vitiis labores, repeto à te libertatem quã tibi conceſſeram, ac per hoc te ſeruũ dico. *Funemque reduco.*). i. habenis iterum te coerceo, quem antea amiſeram. Sumptum eſt ab equis qui remiſſis habenis liberius vagantur. *Nil tibi. c. r.*) Hoc illud ſpectat quod dictũ eſt ſuperius: Stat contra ratio. Sẽſus eſt enim homines ita inſanos eſſe vt ratione nihil omnino faciant ne minimũ quidem. Ergo ſerui, qui ſtulti ſunt. *Nil tibi conceſſit ratio.*).i. nihil ſui tibi ſapientia permiſit habere. *Digitum exere.*] id eſt extende, oſtende. q. d. nullam rem tam paruam ab eo fieri poſſe quin peccet. vnde ſequitur in ſtultis ne ſemũciam quidem rationis habitare. Compoſitum eſt autem exero, ab ex & ſero à quo frequentatiuum exerto. *Et quid tam paruum eſt*) Cum interrogatione pronuncia, i. nonne parua res eſt etiam digiti exertatione peccare? *Sed nullo ture litabis. Hæ. in ſtult.*] Nullo vnquã ſacrificij genere à diis impetrari poterit, vt qui ſtultus ſit, aliquid recte & ſapiẽter gerat. Qui ergo ſapienter & cũ ratione res nõ gerit, ſeruus eſt. *Breuis ſe re.*) Hoc ſignificat ne ſemunciam quidem rationis apud ſtultos eſſe, vt ſit ſenſus nihil prorſus eſſe. Breuis nominatiuus erit, vt ſit breuis ſemuncia. Semuncia dicitur quòd dimidia pars vnciæ: ſemis & ſe, valet dimidiũ, vt in ſe libra & ſemodio *Recti.*] Rationis. ea enim recte fieri dicuntur quæ cum ratione fiunt. *Hæc miſcere ne.*) Licitũ quidem non eſt homini ſtulto cũ ratione & ſapientia quicquã gerere. Vt ſit ſenſus fieri non poſſe, quodãmodo fas eſſe, vt ſapientia ſtultitiæ commiſceatur, & ſimul habitent. quod ſequentibus confirmat, ſumma indignatione, exemplum afferens cum dicit,

Nec cum ſis cætera foſſor, Tris tantum ad numeros ſatyri moueare Bathylli.] Hæc per indignationē inferuntur. & ita concitate legenda ſunt vt poeta omnino videatur velle probare hominem ſtultum penitus ratione carere, nec quicquam ſapienter adminiſtrare poſſe. ergo ſeruus eſt qui ſapiens non eſt. concludit denique ſtulto non concedi, vt ſapientiam ſequatur. Senſus eſt enim. Nunquam efficies, vt cum ſis rudis & agreſtis, diſcas ſaltare ad ſonos ac cantus Bathylli pantomimi. *Cætera foſſor.*) Aut cætera vacat, aut deeſt per, vt ſit, cum ſis foſſor per cætera. id eſt, per reliquas res rudis & imperitus. Teren. in Ecyra. Coniicito cætera. i. per cætera C.

Cum ſis cætera foſſor.] Cætera, præterea, in cæteris. Cic. de N. D. Non ſolum enim poeta ſuauis, verumetiam cætera doctus ſapienſque traditur. Mart. Viſceribus bonus eſt, cætera vile ſapit. Helleniſmos eſt S. Foſſor is dicitur, qui agros fodit, hic autem ponitur pro homine rudi, imperito & ſtulto: *Ad numeros.*) ad rithmos carminum.

Satyri Bathylli.] Pantominus & mollis ſaltator fuit. Iuuena. Chyronomon Ledam molli ſaltante Bathyllo. Bathyllus item puer fuit ab Anacreonte poeta dilectus. vt ſcri. Apuleius. Horat. Non aliter Samio dicunt arſiſſe Bathyllo Anacreonta Teium. Bathylli item populi ſeptentrionales auctore Ptolomæo. bathyllus item inſtrumentum ferreum quo vtimur ad vſum ignis. Horat. Prætexta & latum clauum prunæque bathyllum. *Satyri.*) id eſt ſaltatoris. vt diximus in prin. operis. Satyri dij ſylueſtres laſciui & ſaltatores introducebantur in antiqua comœdia, ad quorum laſciuiæ imitationem mimi appellātur ſatyri. vnde Virg. Saltantes ſatyros imitabitur Alpheſibœus.

Liber ego.) Verba probantis ſe liberum. *Vnde datum hoc ſumis tot ſubdite rebus.* Verba Perſij, id eſt, vnde habes, vnde colligis te liberum eſſe? ſumis enim verbum eſt. *Tot rebus.*) Tot vitiis & cupiditatibus.

An dominum ignoras.] Putaſne alium dominum non eſſe niſi eum qui ſeruum manumittit? Sicque docet hominem pluribus modis ſeruum eſſe cum vitiis ſubiectus ſit. *Vindicta relaxat.*) Segregat à te.

I PVER *& ſtrigiles Criſpini ad balnea defer.*) Probaturus homines omnino ſeruos eſſe, nec ſui iuris pulchra vtitur argumentatione. Senſus eſt enim. Si illud acre ſeruitium eſſe cenſes, cum à domino acerbe & contumelioſe increparis, vt aliquid facias, quod tantum eſt corporis: quanto grauior illa ſeruitus exiſtimanda eſt qua animus obſidetur? Sicque oſtendit eos magis ſeruos eſſe qui vitiis obnoxii ſunt, quam qui ſub imperio ſunt hominis. Ordo eſt. ſeruitium acre nihil te impellit ſi increpuit, I puer & defer ſtrigiles ad balnea Cripini. ceſſās nugator? *Strigiles.*] Stringere eſt radere, vt ait Marcellus. vnde ſtrigilis inſtrumentum eſt ferreum quo ſudantes radebantur in balneis ad detergendum ſudorem. Plinius iunior in

epiſtolis de balneis loquens, ſcribit ſic de auunculo. Dum diſtringitur tergitúrque, audiebat aliquid aut dictabat. Tranquillus tradit Auguſtum læſiſſe cutem nimio ſtrigilis vſu. Strigiles Græci ſtlengides dixere, & quæ è corpore raduntur ſtrigmenta. Pergamus ex Aſia has miſit. Mart. Pergamus has curuo docuit diſtringere ferro.

Increpuit.) Subaudi dominus. *Criſpini balnea.*] Temporibus Neronis duos inuenio fuiſſe Criſpinos, quorum alter eques Romanus dignitate ſenatoria, & quondam Claudio imperante præfectus prætorij, & conſularibus inſignibus donatus, Neroni inuiſus, quod Popeam quondam matrimonio tenuerat, ab eo crimine coniurationis in Sardiniam exactus eſt, qui accepto iuſſæ mortis nuncio ſemet interfecit. De hoc poeta intelligere videtur. Alter vero Neronis priuignus Popea natus, quem impuberem adhuc, quia ferebatur (vt ſcribit Tranquillus) ducatus & imperia ludere, mergendum mari, dum piſcaretur ſeruis ipſius demandauit. *Ceſſas nugator.*] Ceſſat deſidioſus, requieſcit defeſſus. *Seruitium acre nihil te impellit?* Cum interrogatione legendum, quæ affirmationis vim habet. Impellit, vrget, angit. *Nequicquam extrinſecus intrat Quod neruos agitet.*] Senſus eſt. imperium domini quod extrinſecus eſt, etiam animis ſeruorum ſollicitudinem infligere, & cum interrogatione pronunciatur. Nequicquam aliquando pro non ponitur, vt hoc loco, aliquando pro fruſtra. Virgil. Arma diu ſenior deſueta trementibus æuo Circundat nequicquam humeris. Sed ſi intus & in iecore ægro naſcuntur domini. *Qui tu impunitior exis?*] Concluſio eſt eos non minori ſeruitio vrgeri qui vitiis ſubiecti ſunt quam qui imperio domini. *Iecore ægro.*] Vitiis corrupto. *Naſcuntur domini.*] Dominos intellige animi vitia. vt auaritiam, libidinem, ambitionem, & huiuſmodi. *Qui.*] Pro quo modo. Terent. Qui ſcis. *Impunitior.*] Non affectus pari ſeruitio. q. d. etiam maiori. *Atque.*] pro quam.

Scutica.] Flagellum. ſcytos enim Græce pellis Latine. vnde & ſcuta, quia non ſine pellibus ſunt. *Mane piger ſtertis.*] Oſtendit & eos qui auaritia laborant ſeruos eſſe. *En quid agam.*] Verba auari.

Rogitas.] Admirantis non rogantis. *Saperdam.*] Genus peſſimi piſcis, vt tradit Feſtus. *Caſtoreum.*] Fiber, auctore Plinio, animal eſt Ponticum, qui morſu teſticulos ſibi amputat periculo vrgente ob hoc ſe peti gnarus. vnde eſt illud Iuuen. Imitatus caſtora: qui ſe Eunuchum ipſe facit, cupiens euadere damno Teſticuli. Caſtoreum id vocant medici; aliàs animal horrendi morſus, arbores iuxta flumina, vt ferro cædit, hominis parte comprehenſa, non antequam fracta concrepuerint oſſa morſu reſoluit, cauda piſcis ei, cætera ſpecies lutræ, animal aquaticum. de caſtoreo ſic Virg. Viroſáque Pontus Caſtorea. *Hebenum.*] Arbor eſt quam Virg. peculiarius celebrans

nuſquam alibi naſci, quam in India profeſſus eſt. vt Diuiſæ arboribus patriæ, ſola India nigrum Fert hebenum. Herod. eam Æthiopiæ intelligere maluit, tributi vice regibus Perſidis è materie eius centenas phalangas tertio quoque anno penſitaſſe Æthiopas cum auro & ebore prodendo. Romæ vt auctor eſt Plin. eam magnus Pompeius in triumpho Mitridatico oſtendit. Accendi eam Fabianus negat, vritur tamen odore iocundo. Duo genera eius, rarum id quod melius arboreum trunco enodi, materie nigri ſplendoris ac vel ſine arte protinus iucundi. Alterum fruticoſum cytiſi modo, & tota India diſperſum eſt.

Lubrica coa.] Cos, inſula eſt in Caria denominata, teſte Iginio, à Coo filia Metropis cuiuſdam quæ ibi regnauit, tota fertilis eſt, & quẽadmodum Chius & Leſbus optimo vino abundans. auctor eſt Strabo. Vinum coum Cato apud nos quoque ex Italico faciendi rationem demonſtrauit, ſuper cætera in ſole triduo maturandum præcipiens. Vinum album oſtendit eſſe Horat. Si durabitur aluus, Mitylus & viles pellent obſtantia conchæ, Et lapathi breuis herba, ſed albo non ſine coo. *Lubrica.*] Quod vt ſentit Horat. ventrem molliant.

Tolle piper recens.] Ex India, vt diximus, mittitur piper.

E ſitiente Camelo.] Camelos inter armenta paſcit oriens, quorum duo genera Bactriæ & Arabiæ differunt, quod illi bina habent tubera in dorſo, hi ſingula & in pectore alterum cui incumbunt. auctor eſt Plin. *Sitiente.*] Sitim enim quatriduo eo auctore tolerant, implentur cum bibendi occaſio in præteritum, & in futurum, deturbata conculcatione prius aqua. aliter potu non gaudent. *Verte.*) Volue, negociare. *Iura.*] Hinc expreſſit nimia auaritia homines ad omne ſcelus induci. Virg. Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fames?

Sed Iuppiter audiet.] Illud reſpexit: homines metu deorum, non honeſtatis ratione plerunque non peccare. *Heu heu.*] Riſu & capitis concuſſione legenda ſunt. q. d. ſi ex deorum præceptis viuere volueris, inopia & rerum egeſtate premeris. *Perages.*] Deeſt vitam.

Vare.] Aliqui varo legunt. i. recuruo. ſed verſus non ſtat. vocatiuus eſt. vt ſit: O ſtulte qui non recte rem percipis. ſumptum eſt ab his qui cruribus varis oblique incedunt. Mart. Vara nec iniecto ceromate brachia tendis. *Cum Ioue.*] Ex deorum præceptis.

Iam pueris p.] Iam auaritiæ ſeruus eſt cum lucri ſtudio nauigationẽ paret. *Pueris.*) Seruis. ſic enim ſerui appellabantur. Terent. Etiam puerum inde abiens conueni Chremis. *Succinctus.*) Id eſt, iam expeditus. *Oenophorum.*) Vas vinarium. œnos enim Græce vinum Latine. & phoro porto. Iuuen. Tandem illa venit rubicundula totum Oenophorum ſitiens. *Nil obſtat.*) Id eſt, iam omnia parata ſunt ad nauigationem. *Trabe vaſta.*) Id eſt, naue. *Aegeum.*) Dictum ab inſulis vt Varroni placet, quod in eo mari ſcopuli vocantur à ſimili-

tudine caprarum æges. *Niſi ſolers l. a.*] Hinc oſtendit homines vario ſeruitutis genere teneri cum auaritiæ & luxuriæ ſeruiant.

Luxuria.] Luxa membra é ſuis locis mota & ſoluta dicuntur, à quo luxurioſus in re familiari ſolutus. auctor eſt Feſtus. Luxuria igitur eſt omnis morum ſolutio. *Seductum.*] Seorſum ductum, aliàs deceptũ, vt alibi. Quæ niſi ſeductis nequeas committere diuis. Terent. Etiam nunc me ſeducere his dictis poſtulas? *Quo deinde inſane ruis.*] Reprehendit eum luxuria qui ob auaritiam nauigaturus ſit.

Calido ſub pe. ma. bi. In.] Nimia auaritiæ & luxuriæ ſollicitatione fatigatus & incertus vtri pareat, more ſerui indignatur & intumeſcit.

Maſcula.] Magna, & qualis maſculo ſexui conuenit.

Bilis.] Cholera, vt dictum eſt, quæ in irato intumeſcit.

Calido.] Nimia indignatione accenſo. *Extinxerit vrna cicutæ.*] Cicutæ, vt diximus, tanta eſt vis refrigeratoria, vt pota ſtatim hominem extinguat. *Tun.*] Pro tu ne. *Fulto.*] Ornato & ſtrato.

Torta canabe.] Id eſt, tela & mantili craſſiore. Nam canabis eſt ferulacei generis. viliſſima funibus, optima alabandica plagarum præcipue vſibus. *Tranſtro.*] Tranſtra ſcamna ſunt nautarum remigantium. Virg. Conſidite tranſtris. *Veientanúmque rubellum.*] Dictum auctore Plinio à genere vitium, quas rubellas rubente materia appellauerunt. Vinum fuiſſe viliſſimum oſtendit Horat. ſcribens in auarum. Qui Veientanum feſtis potare diebus Campana ſolitus trulla. Mart. Et Veientani bibitur ſex craſſa rubelli. Veiis naſcebatur, oppidum eſt Latij non longe ab vrbe. *Exhalet.*] Effundat. *Vapida læſum pice.*] Muſta in primo feruore qui nouem diebus complurimum peragitur, aſperſu picis condiebantur, vt odor vino contingeret, & ſaporis quædam acumina. vehementius id fieri arbitrabantur crudo flore reſinæ, excitaríque lenitatem: e diuerſo crapulam compeſci & feritatem nimiam, frangíque vitus, aut vbi pigra lenitas torperet virus addi.

Pice vapida.] Quæ odorem & vaporem indat vino.

Obba.) Genus poculi lignei lati & depreſſi. auctor eſt Nonius.

Seſſilis.) Quia latum. omnia enim quæ in latitudinem diffunduntur, ſeſſilia appellabantur. vnde & lactucæ ſeſſiles dicuntur quæ per terram late diffunduntur. *Quid petis vt n.*) Vide vt luxuria hominem in ſeruitutem ſuam trahat. ſenſus eſt. Melius quidem eſſet hic ſecurum cum paruo lucro viuere quam ob magnum quæſtum periculis maris exponi. *Vt nummi p. ſ.*) Reddere, ſumptum ab iis qui nimio æſtu ſudorem emittunt.

Nutrieras.) Negotiando ſcilicet. *Quincunce.*) As libra erat, cuius partes erant vncia ab vno, ſextans ab eo quod ſexta pars aſſis, ſicut quadrans quod quarta, & triens tertia pars. Quincunx à numero

vnciarum, ſemis quod ſemis, id eſt, dimidium aſſis, ſeptunx à ſeptem & vncia concluſum. Reliqua obſcuriora ſunt, quod à diminutione, & ea quæ diminuuntur ita ſunt vt extremas ſyllabas habeant, vt à decem vna dempta vncia deunx. Dextans dempto ſextante. Dodrans dempto quadrante. Bes vt olim des dempto triente. tum as qui duodecim partes continebat. vnde apud Sueton. legitur ex aſſe reliquit hæredem. i. ex ſumma cenſus, & ſic ex deunce hæredem relictũ dicimus qui extra vnam vnciam totam hæreditatem adit. Iuuen. Vnciolam Proculeius habet, ſed Gillo deuncem. *Quincunce modeſto.*] Quincunx enim minor eſt numerus. nam quintam partem aſſis ſignificat, cum deunx totum aſſem, vt dictum eſt dempta duntaxat vna vncia. *Indulge g.*] Genialia, vt diximus curare dicitur, qui lautius viuit. Iuuen. Genialis agatur iſte dies. vnde & genialis lectus dicitur qui nuptiis ſternitur in honorem Genij quem deum appellabant, qui vim obtineret auctore Feſto rerum gignendarum. vt Feſtus inquit, Genius eſt deorum filius & parens hominum ex quo homines gignuntur. Et propterea Genius meus nominatur, quia me genuit. Alij Geniũ eſſe putauerunt vniuſcuiuſcunque loci deum. ergo qui indulgent genio ſuo, memores ſunt vitam humanam non eſſe diuturnam, & ideo non defraudandam, vnde Terent. Suum defraudans Genium.

Noſtrum eſt q. v.] Prudenter oſtendit auaritiam & ſordidam vitam fugiendam eſſe. *Quod viuis.*] Viuere dicuntur qui ocio mentis & animi relaxandi operam dant. Mart. Viue velut rapto fugitiuáque gaudia carpe: Perdiderit nullum vita reuerſa diem. *Cinis.*] Corpora enim mortuorum cremabantur, & cineres collecti condebantur vrnis. Horat. Ibi tu calentem Debita ſparges lachryma fauillam Vatis amici. *Manes & f. f.*] Horat. Iam te premet nox fabuláque & manes.

Viue memor leti.] Arguta ſuaſio, quis enim memor mortis non vacet ocio & voluptati? æmulatio eſt Horat. Quo bene circa, dum licet in rebus iucundis viue beatus: Viue memor, quam breuis ſis æui.

Lethi.) Mortis ab obliuione dictum quam Græci lethen vocant. Alij vero à leo deductum putant. vnde compoſitum eſt deleo quod omnia mors deleat. *Fugit hora.*) Columella: Tacito nam tempora greſſu Diffugiunt, nullóque ſono conuertitur annus. *Atque hoc quod l. in c.*) Tam cito quidem tempora diffugiunt, vt etiam hoc ipſum tempus quo tecum loquor iam fugiat. Horat. Dum loquimur fugit inuida ætas. Carpe diem quam minimum credula poſtero.

Hoc ſcilicet tempus inde eſt.) Id eſt, ex fuga pendet & celeri lapſu.

En quid agis.) Hac interrogatione oſtendit eum & auaritiæ & luxuriæ ſeruum eſſe. *Duplici hamo.*) Gemina ſeruitute. trãſlatio eſt à piſcibus qui hamo capiuntur. *Huccine.*) Cum interrogatione legendum eſt. *Subeas a. o.*) Senſus eſt. oportet te alternis vicibus modo auaritiæ modo

modo luxuriæ ſeruire. *Ancipiti obſequio.*] Ablatiuus eſt caſus.
Ancipiti.] Dubio cum dubitet vtri magis pareat. *Nec tu cum o. i.*] Senſus eſt. Nolito te liberum putare, te omni ſeruitutis vinculo exutum, quia aliquando dominatum luxuriæ & auaritiæ fugeris.
Rupi.) Præteritum eſt actiui. Ordo eſt. Nec tu dices rupi iam vincula.. *Nam luctata c.*] Bene hominem ſeruum comparauit cani, quæ licet ruptis vinculis aufugiat, magnam tamen catenæ partem ſecum trahit. *Trahitur pars.*] Prudenter oſtendit non ſtatim penitus ſeruitutem amitti.

DAVE *cito hoc cre.*] Proponit nunc exemplum, quàm non ſuæ poteſtatis ſit qui amat. hoc totum comicum eſt. Ordo eſt, Chæreſtratus abrodens crudũ vnguem ait hæc: Daue iubeo cito credas hoc.
Iubeo.] Volo. Virgilius. Infandum regina iubes renouare dolorem. *Finire dolores.*] æmulatio eſt Horatiana. An ne prius mediter finire dolores. *Præteritos.*] Quos ante hac perpeſſus fuerat.
Chæreſtratus.] Nomen fictum. *Siccis cognatis.*] Sobriis. Horatius. Forum putealque Libonis Mandabo ſiccis. *Limen ad obſcœnum.*] In domo meretrica. *Ad.*] Ad & apud accuſatiuæ ſunt præpoſitiones. Sed apud ſemper in loco ſignificat. ad & in loco, vt ſum ad ignem, & ad locum. vt ad vrbem propero. *Obſcœnum.*] Deductum eſt (vt Varroni placet) à ſcæna, quod ibi omnia turpia fierent & dicerentur. vt Pompeius vero ſcribit ab oſcis quibus frequentiſſimus fuit vſus libidinum ſpurcarum. vnde & verba impudentia appellantur obſcœna, quæ dictio b tamen recepit euphoniæ cauſa.
Limen.] Dicitur quod ingredientibus & exeuntibus tranſuerſum ſit. nam limus obliquum & tranſuerſum ſignat. *Frangam.*] Abſumam, dilapidem. *Chryſidis.*] Nomen meretricis.
Vdis.] Meretricis ſordibus. *Extincta cum face.*] Horat. Ebrius & magnum quod dedecus ambulat ante Noctem cum facibus.
Extincta face.] Sine aliquo lumine. ne à tranſeuntibus cognoſcatur.
Euge.) Interiectio eſt oſtendentis lætitiam. lætatur enim dominum ſuum conſilium capere de meretrice relinquenda. *Puer.*] Obſeruandum eſt ſeruos ab antiquis pueros eſſe appellatos. Eſt igitur ſenſus, Lætare puer: i. qui modo ſeruus eras. *Sapias.*) Sapiens quidem eris & ideo liber. nam vt Stoicorum eſt ſententia nemo præter ſapientem liber eſt. *Sed cen ſem.*) Morem amantiũ expreſſit, qui quod modo dãnarunt, idem rurſus laudant. ex quo innuit amantem ſeruitute non carere. *Nugaris.*] Nunc domino ſeruus eſt ſapientior, quia nõ amat. Nugaris ideo dixit, quia eum à propoſito declinare videt. *Solea puer obiurgabere.*) Æmulatio eſt Terentiana. Eludet vbi te victum eſſe ſenſerit, ſic Iuue. Et ſolea pulſare nates. *Obiurgabere.*) Pulſabere. ſed proprie obiurgari eſt poſt factũ turpe caſtigari: moneri vero eſt ante

commiſſum. auctor eſt Feſtus. Solea hoc loco ea dicitur quæ pedibus ſubiicitur. genus eſt piſcis. Item materia robuſta, ſuper quam paries craticius extruitur. *Ne trepidare velis.*] Irridet ſeruus eum qui tanta animi alacritate pollicetur ſe relicturum meretricem, cum amor res ſit, quæ ratione regi non poteſt. *Ne tre. ve.*] Noli tanta animi concuſſione moueri in amittendo ſcorto. *Trepidare.*) Feſtinare. Virg. Dum trepidant alæ. *Arctos caſ.*] Satis apte amorem retibus comparauit, ſumptum eſt à feris, quæ irretitæ dentibus caſſes rodunt. *Quidnam igitur.*) Hoc totum comicum eſt. ſumptum ex Eunucho Tere. Imitatio eſt Horatij in Satyris. *Igitur.*] Pro deinde. expreſſio enim eſt amãtis qui ſecum multa diſputat. *Ne nunc cum accerſor.*] Aliqui legunt nunc nunc cum interrogatione, vt videatur dubitare an redeat. Aliqui vero ne nunc. quod ſi ita accipias, ſermo erit affirmatiuus. & ne pro non intelliges, vt ſit imitatio Horat. Nec nũc cum me vocet vltro Accedam. *Si totus & integer illinc Exieris.*) i. ſi te ex amore penitus ſubtraxeris, tunc te ſapientem liberumque fatebor. non autem eum qui manumiſſione libertatem accepit à domino. *Quærimus.*] Ideo dixit, quia à Stoicis diu quæſitum eſt quem ſuæ poteſtatis poſſent dicere.

Non in feſtuca.] .i. hic quidem liber eſt qui huiuſcemodi cupiditates fugit, non autẽ is qui feſtuca. i. vindicta liberatur à prætore. cum prætoris non ſit vt dictum eſt, animi libertatẽ hominib. dare. *Lictor ineptus.*) Epitheton eſt lictorum. *Iactat.*] Oſtendit populo in manumiſſione tactu virgæ, ita iubente prætore.

Ivs *habet ille ſui.*] Eos etiam qui honorum cupiditate aguntur, ſeruos eſſe oſtendit. Vnde exit illud Horat. Hæc eſt vita ſolutorum miſera ambitione, grauique. Cum interrogatione legendum eſt. vt ſit. Ille quidem poteſtatem ſui non habet. Hi etiam cum interrogatione quadam incipiunt qui nimis iraſcuntur, vt eſt illud Teren. Hoccine eſt humanum factum? & illud. Hoccine eſt credibile aut memorabile? Nam Perſius in vitia mira fertur excandeſcentia & indignatione. *Ille pal.*] Emphaſim habet cum contemptu dictum. Nam qui dignitates & imperium quærunt, honoris cupiditate populo blandiuntur. Palpones igitur dicuntur adulatores à palpando, id eſt, blandiendo, Lucil. Hic vbi me videt ſubblanditur, palpatur, caput ſcabit. Horat. Cui male ſi palpere, recalcitrat vndique tutus. *Ducit.*) Trahit. *Hiantem.*] Honoris cupidum, anxium, & ſollicitum facile ſeruum dicas. Ambitio in animo eſt, ambitus in actu. Nam qui præter modum cupit aut honores aut laudem ambitione peccat. Qui vero dilargitur pecuniam ſuam, aut populo muneribus laudibuſque blanditur, aut cæteris artibus quæ legitimæ non ſunt ad publicos honores tendit, ambitum committit. Ambitus ab ambio venit, ſiue quod is qui non ſuæ virtuti confidit,

non recte granditur, ſed per circuitum: ſiue quod Ro. qui honores peterent ſingulos circuibant, prehenſantes roganteſque vt ſe in ſuffragiis iuuarēt: ſiue quod pro adipiſcendis honorib. ſolliciti ſunt, cū rogant exordio quodam longiore qui verborū circuitu vtuntur. hæc omnia quæ ambitus facit ambitio facere compellit, à qua ambitioſi dicuntur, non ab ambitu. *Cretata.*)Candida. Iuue. Duc in capitolia magnum Cretatumque bouem. i. candidum. Mar. Cretatam prætor cum vellet mittere mappam. Dignitatum enim petitores in campum martium comitiis candidati deſcendebant. Quare autem candidati in veſte hoc facerēnt ſine toga, ſic tradit rationem Cato. An forte ne ciues largiendo corrumpant, argentum ſuum ferentes. an illud magis quod imperio dignos non genere, non diuitiis, non gloria, ſed vulneribus & cicatricibus iudicabant, quæ vt ab iis quos ambiendo prehenſabant conſpicerentur ſine toga ad petendum deſcendebant. an quemadmodum in accipiendo, rogando, ſe omnibus ſubmittendo, ſic corpus nudando ac ſeipſos abiiciendo populum captabant.

Vigila.] Verba ambitioſi rogantis amicos vti pro ſe in adipiſcenda dignitate vigilent. Ex quo oſtenditur qui ambitioſus ſit ſeruum eſſe. *Cicer ingere large.*] Æmulatio eſt Horatiana. In cicere atque fama bona perdas atque lupinis, Lætus vt in circo ſpacieris & æneus vt ſtes Nudus agris. Nam in ludis Floralibus miſſio quædam fiebat leguminum in ipſum populum ab his qui honores peterent ad plebis fauorem promendum. Hæc autem fieri videbantur in memoriam deæ Floræ, cuius nomine legumina & cæteræ fruges floreſcerent. Vnde Suetonius in Domitiano. Omne genus rerum miſſilia ſpargit: & quia pars maior intra popularia deciderat, quinquagenas teſſeras in ſingulos cuneos equeſtris ac ſenatorij ordinis pronunciauit. *Rixanti.*) Studio colligendorum miſſilium.

Noſtra vt Floralia poſcint.] Attende quàm ſeruus ſit, qui gloriæ cupiditate mouetur. Horat. Scilicet vt plauſus quos fert Agrippa feras tu. Eadam dicuntur popularia ſacra à Martiale. Et populare ſacrum bis millia dena tuliſſet. Sacrum autem populare ideo appellatum eſſe putatur, quod populus per eos dies maiori licentia laſciueret. Nam Flora cum opes immenſas arte meretricia comparaſſet, populum Ro. moriens hæredem reliquit cum magna pecunia, ex cuius annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant (auctore Lactantio) Floralia. ſed cum ſenatui flagitioſum videretur ab ipſo nomine argumentum ſumi, placuit vt pudendæ roi quædam dignitas adderetur. Deamque finxerunt eſſe quæ floribus præſit, eamque oportere placari vt fruges cum arboribus aut vitibus bene proſpereque floreſcerent. Eum colorem ſecutus in Faſtis Ouid. non ignobilem nympham fuiſſe

narrauit, quæ ſit Cloris vocitata: eamque Zephyro nuptam quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito, vt haberet omnium florum poteſtatem. Celebrabantur ergo illi ludi cum omni laſciuia conuenientes memoriæ meretricis: nam præter verborum licentiam, quibus obſcœnitas omnis effunditur, exuuntur etiam veſtibus populo flagitante meretrices. *Aprici ſenes.*] id eſt, locis apricis gaudentes. ſane apricus locus dicitur ſole calens, quod eſt opaco & abdito contrarium. Virgil. Duceret apricis in collibus vua colorem. Et apricos dicimus locis apricis gaudentes, apricum autem à Græco aphrici, id eſt, ſine horrore videlicet frigoris, vnde etiam putatur Aphrica appellari, inde eſt apricor & apricatio. *Quid pulchrius.*] Ironia eſt. q. d. quid turpius quàm ita per ambitionem in ſeruitutem trahi? *At cum Herodis venere dies.*) Iudæos captis Hieroſolymis profugos, aſſidue Romæ tumultuantes nouæ religionis cultu impulſore Chriſto vrbe expulit Claudius. Nero etiam ſuppliciis affecit, ab iis etiam Domitianus tributum acerbe exegit. Multi tamen erant qui eorum ritus ſequerentur, vt dicit Tranquillus, veluti profeſſi iudaicam intra vrbem viuerent vitam. Hos inſectatur poeta docens eorum vitam liberam non eſſe cum ſuperſtitionibus teneantur Iudæorum. *At cum He. v. d.*] id eſt, cum ſabbata & & alia Iudæorum feſta celebrantur. *Herodis.*) Eius ideo meminit, quia vt ſcri. Strabo, cum Pompeius ſacerdotio Iudæorum præfecit, qui poſtea tantum ſuperiores omnes ciuilitate & Roman. conſuetudine præſtitit, vt rex fuerit conſtitutus Antonio primum, poſtea Cæſare Aug. poteſtatem ei cōcedente. Antipatri autem Aſcalonitæ filius fuit, & matris Cypridis Arabicæ, cuius filij regnauerunt vſque ad nouiſſimam Hieroſol. captiuitatē. licet vt Euſeb. tradit, Hircanū olim qui Iudæorum ſacerdos fuerat de captiuitate Parthica regreſſum, & filiū qui ſacerdotio patris ſucceſſerat interfecit. Sororē quoque eius vxorē ſuam cum duobus propriis filiis iam adoleſcentib. & matrem vxoris occiſæ ſocrum ſuam crudeliſſime necauit, ad quod ſcelus etiā hoc addidit, virum ſororis ſuæ Solomæ interemit. Et cum eam alij tradidiſſet vxorem, etiam hunc necat. Scribas quoque & interpretes diuinæ legis ſimili ſcelere, & cum Chriſti natiuitatem Magorum indicio cognouiſſet vniuerſos Bethleem paruulos iuſſit interfici. morbo deinde intercutis, & ſcatentibus toto corpore vermibus miſerabiliter, ſed digne moritur. *Pingues lucernæ.*] Quibus in ſacris vtuntur. *Vncta feneſtra.*] Irridet eorum ritum in ſacris. *Portantes violas.*] Quibus ornabantur. *Cauda natat thynni.*] Senſus eſt, vbi ſabbata venere, qui dies ieiunio à Moſe in omne æuum, vt ſcribit Trogus lib. xxxvij. ſancitus eſt, & appoſitum eſt prandium, ſtatim adhuc ieiunus preces ad deos effundis.

Cauda natat thynni.] Hoc dicit in contemptum dapum eorum. nam cauda thynni, vt ſcribit Plinius, viliſſima eſt, quia caret pingui. Thynni partus cordilla appellatur, qui fœtas redeuntes in mare autumno comitatur, cùm è mari verno tempore pontum intrent. Limoſæ vero aut è luto pelamides incipiunt vocari. Et cum annuum exceſſere tempus thynni. Cybis vero conceſſa pelamis vocatur.

Labra moues.] Preces emittis. *Recutita.*] Recutiti dicuntur, quibus noua cutis reſtituta eſt. Mart. Nec ruptæ recutita colla mulæ. Recutiti itaque appellantur Iudæi qui circuncisi ſunt. Mart. Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum. Eos Horat. Apellas vocat, quaſi ſine pelle. vt Credat Iudæus Appella. *Sabbata.*] Lingua Iudæorum ſabbatum requiem ſignificat. *Tunc nigri lemures.*] Alio ſuperſtitionis genere quoſdam ita vexari oſtendit, vt ſuæ poteſtatis eſſe non poſſint. Hæc autem cum ſuperioribus non coniunguntur. Eſt enim ſenſus. Te tunc dæmonibus & aliis numinibus infeſtari putabis, vbi ex ſacerdotum præcepto teipſum allio guſtato mane non luſtraueris. ſicque docet ſuperſtitioſos ſuæ poteſtatis non eſſe cum ſemper timoris ſint ſerui. Et ordo eſt. Tunc nigri lemures, & pericula rupto ouo. Et tunc grandes galli incuſſere deos inflantes corpora. Tunc. ſ. vbi præterieris per contumaciam quod à ſacerdotibus fuerit prædictum. Perſuadebant enim allij deguſtatione morbos & alia mala inhiberi.

Lemures.] Scribit Apuleius in lib. de dæmonio Socratis, manes animas dici melioris meriti, quæ in corpore noſtro genij dicuntur. Corpori renunciantes lemures cum domos incurſionibus infeſtarent laruas appellari, contra ſi bonæ fuerint lares familiares.

Ouóque pericula rupto.] Credidit ſtulta antiquitas ouum igni impoſitum ſi rupto putamine effluxiſſet, periculum portendere ei pro quo ea obſeruatio facta fuiſſet à ſacerdotibus. Adhibita autem fuiſſe oua in expiationibus docet Ouid. in Arte. Et veniat quæ luſtret anus lectúmque locúmque, Præferat & tremula ſulphur & oua manu. Apuleius item ſcribit in vltimo Metamorphoſeos, ſacerdotes Iſidis in luſtrationibus teda, ouis & ſulphure vti ſolitos. Vnde Lucianus in dialogo qui inſcribitur Tyrannus, oua appellauit luſtralia. Iuuen. Metuíque iubet Decembris & auſtri Aduentum, niſi ſe centum luſtrauerit ouis. *Tunc grandes galli.*] Sacerdotes matris deûm ſcribunt Plin. & Feſtus appellatos eſſe Gallos, à Gallo fluuio Phrygiæ, quem accolunt. Hi autem molles ſunt & caſtrati, vt diximus ſuperius. Nam vt Plin. eſt auctor, Samia teſta virilitatem ſibi amputant. De his ita ſcribit Liuius. M. Fuluius conſul Sangarium amnem tranſgreſſus ponte perfecto: præter ripam euntibus galli matris magnæ à Peſinunte occurrere cum inſignibus ſuis vaticinantes phanatico carmine, deam Romanis viam belli & victoriam dare, imperiúmque eius regionis.

Eoſdem ſcribit Scepſius eſſe curetes Corybantes qui in matris deorum ſacrificiis armati ſaltantes, caſti & pueri ſunt aſſumpti: ideo autem corybantes appellati, quia inter ſaltandum capita iactent, quod coryptin dicitur, quos betarmonas vocat Homer. Euge age Phæacum betarmones egregij adſunt. Hinc qui capita ſaltando iactant, & numine aſpirantur & furiis agitantur Corybantiare dicimus. Sunt qui dicant Idæos dactilos eos appellari primos ſub Idæ radice habitatores. De iis multi multa fabulantur, dubia dubiis accumulantes, variis ac differentibus nominibus vtentes. hoc tamen vniuerſi tradunt, quoſdam ſpiritibus afflatos & bacchicos, inque armorum agitatione tumultuoſa & cum crepitu ac fragore cymbaliſque ac tympanis; & armis item, etiam tibiis, vociferationibus inter ſacrificandum ſtupefacientes, inque miniſtrorum habitu publica modo quodam ſacra factitantes. *Grandes.*] Primi & cæteris ſacerdotibus honoratiores: nam vt auctor eſt Strab. cæteros ſacerdotes ob deæ reuerentiam præcedebant. Iuuen. Et ingens Semiuir obſcœno facies reuerenda minori, Mollia qui rapta ſecuit genitalia teſta. *Et cum ſiſtro luſca ſacerdos.*] Sacerdotem Iſidis intelligit, cuius ſacra ex Ægypto tranſlata Romæ colebantur. *Luſca.*] Solent enim mulieres deformes, & aliqua corporis parte mancæ ad deorum miniſteria ſe conferre.

Cum ſiſtro.] Siſtrum Iſis dicitur dextra geſtare, cuius motus Nili acceſſus, receſſúſque ſignificat. Situla vero quam ſiniſtra retinet affluẽtiam oſtendit lachrymarum omnium. Auctor eſt Seruius. id autem erat neque tuba, neque quod ſpiritu ſonum ederet, ſed agitatione concuſſum reſonabat multis crepitaculis dependentibus. Vnde Ouid. Tinnula ſiſtra appellauit. Papinius in Syluis. Ecce & multiſono puppem mareotida ſiſtro. Et irata dicitur ſiſtro ferire peierantes, & imprimis oculos lædere. Vnde Iuuen. Decernat quodcunque volet de corpore noſtro Iſis, & irato feriat mea lumina ſiſtro: Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego nummos. Eius ſacerdotes ſiſtrum gerebant, veſte linea amicti, & raſo capite. Vnde Ouid. Nunc dea linigera colitur celeberrima turba: Linigeri fugiunt calui, ſiſtratáque turba. De ſacris Iſidis & ſacerdotibus ſcribunt Diodo. Apuleius, Lactãt. & Herod. *Incuſſere deos.*] Miro horrore perſuaſere deos eſſe inflantes corpora, hydropiſim immittentes hominibus.

Guſtaueris alli.] Diocles allium hydropicis cum centaurea, aut in fico duplici ad euacuandam aluum dandum cenſuit.

Dixeris hæc inter v. c.] Oſtenſum eſt eos qui aliquo vitio laborant ex Stoicorum ſententia ſeruos eſſe, quod imperitis & rudibus incredibile videtur, & præter communem vulgi opinionem: ideo dicit. Si hæc dixeris inter rudes & ſtultos milites, illico tanquam falſa & ridicula ducentes, riſu concutientur contemnéntque philoſophos

Stoicos, qui hæc ſentiunt. *Varicoſos.*] In homine venæ tumeſcentes in varices conuertuntur, nec in cruribus ſolum, vt quidam noſtri temporis putauere, ſed in toto corpore conſpiciuntur. Vnde ita ſcribit Celſus. Præter hæc euenit vt in quorundam ventribus varices ſint, quarum quia nulla alia curatio eſt quam quæ in cruribus eſſe conſueuit. Et idem alibi. Cum quid innatum eſt, vt in veſica calculus, cum quid increuit vt vena quæ intumeſcens in varicem conuertitur, nimio labore id euenire putatur: ſcribit Plin. nonnunquã in iis qui diu ſteterunt. Vnde illud eſt Vatinij in Cicer. varicoſum cum gloriaretur humeris Italiæ ſe reportatum eſſe ab exilio, Vnde ergo inquit tibi varices. Quo circa perſuaſit ſibi Plinius auctore Fabio, Ciceronem toga demiſſã ad calceos vti ſolitum velandorum varicum gratia. Quod Fabius non probat, cum hoc amictus genus in ſtatuis eorum quoque qui poſt Cicer. fuerunt appareat.

Centuriones.] Milites abſolute appellauit. Sic & alibi. Hic aliquis de gente hircoſa centurionum. Centuriæ, vt dictum eſt ſupra, dicuntur quæ ſub vno centurione ſunt, quorum centenarius iuſtus eſt numerus. *Craſſum.*] Nomen pro aduerbio, id eſt craſſe, ſtulte ridentis morem expreſſit. *Vulpkernius.*] Nomen fictum à poeta.

Centum Græcos.] Id eſt philoſophos Stoicos. *Curto centuſſe.*] Vix centum aſſibus integris. q. d. ne ſingulis quidem aſſibus ſingulos philoſophos æſtimat. Hunc ergo locum animaduerti ſimpliciter accipiendum non eſſe. Nam hoc ſignificat. Pluris inquit faciunt vnum bouem quam centum philoſophos. Nam vt ſcribunt Feſtus & Gellius, Bos æſtimatur centuſſibus, ouis vero decuſſibus. Sicque poeta oſtendit ab imperitis virtutem floccipendi.

Curto.] Non penitus integro. *Centuſſe.*] Multa Plin. & Varrone auctoribus pecuniæ ſignatæ ſunt vocabula æris & argenti, hæc videlicet. As ab ære. Dipondius à duobus ponderibus. Aſſipondius ab vno pondo dicebatur. Id ideo quod as erat libra, pondus dein ab numero reliquum dictum vſque ad centuſſis, vt as ſingulari numero. Ab tribus aſſibus treſſis, & ſic proportio eſt vſque ad nonuſſis. In denario numero hoc mutat, quod primum eſt ab decem aſſibus decuſſis. Secundum à duobus decuſſibus biceſſis quod dicitur ſolum à duobus biceſſis, reliqua conueniunt quod eſt vt triceſſis proportione vſque ad centuſſis quo maius æris vocabulum non eſt. *Licetur.*] Æſtimat, tanti facit. Inueniuntur liceor & licitor, quorum vtriuſque verbi ſignificatio eſt precium deferre in auctione facienda, hoc eſt in venditione quæ publice fit. Vnde eſt quod Cicero in Officiorum lib. 2. Non licitorem venditor, nec contra ſe qui liceatur emptor apponet. Hinc vnum compoſitũ fit.

polliceor, non multum à primitiua ſignificatione diſſidens. Eſt enim polliceri aliquid vltro promittere, Ita qui licentur aut licitantur, vltro pro re emenda precium alius alio maius pollicetur, vt ſibi potius quàm alteri vænalia addicantur. Nam tali modo vendere addicere eſt. Inde & addicti apud veteres dicebantur qui prætoris permutatione ac iuſſu cum ſoluendo non eſſent creditoribus vendebantur.

IN SATYRAM VI.

ADmonuit iam bruma foco te Baſſe Sabino?] Quattuor Baſſos eodem fere tempore fuiſſe comperio, quorum vnus fuit Saleius Baſſus quingentis ſeſtertiis à Veſpaſiano donatus. De quo ita meminit Tacitus Quis Saleium noſtrum egregium poetam, vel ſi hoc honorificentius eſt, præclariſſimum vatem deducit aut ſalutat, aut proſequitur. Et paulo inferius. Laudamus & nuper inquit, & miram & eximiam Veſpaſiani liberalitatem, quod quingenta ſeſtertia Baſſo donaſſet. Eiuſdem meminit Quintilianus. Vehemens inquit & poeticum ingenium & Salei Baſſi fuit, nec ipſum ſenectus maturauit. De hoc intellexit Iuuenalis. Et Sarrano tenuique Saleio gloria quantalibet. Alter Baſſus tragœdiarum ſcriptor temporibus Domitiani, quem vt malum poetam irridet Martialis. Colchida quid ſcribis, quid ſcribis amice Thyeſten. Quid tibi cum Niobe Baſſe vel Andromache. Materia eſt, mihi crede tuis aptiſſima chartis Deucalion, vel ſi non placet hic, Phaëton. Tertius fuit Iulius Baſſus, qui ſub Veſpaſiano accuſatus, tandem abſolutus vindicatúſque eſt, à Domitiano deinde relegatus, à Nerua reuocatus eſt. Bithyniámque ſortitus rediit reus. Nam quia fuerat in prouincia eadem quæſtor, quædam à prouincialibus, vt amicus acceperat, hæc accuſatores furta & rapinas, ipſe munera vocabat. tandem abſolutus fuit. Quartus Cæſius Baſſus poeta lyricus, de quo ita ſcribit Fabius. At lyricorum idem Horat. fere ſolus legi dignus. nam & inſurgit aliquando, & plenus iocunditatis & gratiæ, & variis verbis & figuris feliciſſime audax. Si quem adiicere velis, is Cæſius Baſſus erit, quem nuper vidimus. De hoc intelligere poetam illud declarat quod ſequitur. iam ne lyra & Tetrico viuunt tibi pectine chordæ. Hunc igitur vt amicum & in Sabynis hyemantem alloquitur poeta, interrogans num in Sabinis hyemet, & aliquid ad lyram moduletur & ſcribat: docétque ſe portum Lunæ petiiſſe, vt per quietem muſis operam daret: mox ciuium auaritiam notat & eorum amentiam, qui vt multa hæredibus ſuis relinquant, parce ac duriter viuunt, inedia propemodum ſe conficientes.

Admonuit

Admonuit iam bruma.) Cum interrogatione legenda ſunt. rogat enim eum num in Samnium iam venerit, & iam aliquid ſcribat.

Bruma.) Menſi decembri aſſignatur, in quo dies ſunt breuiores. Brachys enim breuis interpretatur, & himera dies. *Foco Sabino.*] Poetæ vt per quietem poſſent ſcribere ſolitudines petebant, quod Cornelius oſtendit. Adiice inquit, quod poetis ſi modo dignum aliquid elaborare & efficere velint, relinquenda conuerſatio amicorum & iucunditas vrbis deſerenda, & cætera officia, vtque ipſi dicunt in nemora & lucos, id eſt, in ſolitudinem recedendum eſt. Horatius. Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit vrbem. *Sabino.*] Sabini populi ſunt inter Latinos & Vmbros, gens quædam antiquiſſima, Ager eorum egregie oliuetis & vinetis præditus eſt. auctor eſt Strabo. *Iamne lyra & tritico viuunt tibi pectine chordæ.*) Lyra inſtrumētum eſt muſicum, quod Eratoſtheni poetæ Græco Mercurius primus ex teſtudine fecit, quod poſtea Orpheo fertur tradidiſſe. de quo apud Higinium multa leguntur. A lyra lyrici dicti ſunt poetæ, qui verſus ad lyram decantandos componebant. vnde auctore Strabone, poetica ad demonſtrationes vſa eſt cantibus. hoc enim erat oda, ſermo ſcilicet modulatus. Vnde & Rapſodiam & Tragœdiam & comœdiam veteres dictarunt. Lyricorum duo tantum apud Latinos (auctore Fabio) vt diximus claruere, Horatius & Cæſius Baſſus. Apud Græcos vero nouem. Steſichorus, Bacchilides, Ibicus, Anacreon, Pindarus, Simonides, Alcman, Alcæus, Sapho. Addunt quidam decimo loco Corynnam mulierem. de qua Papinius in Siluis epicedio in patrem ſuum ſic ait. Tu pandere doctus Carmina Bacchilidæ, latebraſque Lycophronis atri, Sophronaque implicitum, tenuiſque arcana Corynnæ. Senſus eſt igitur. Ad lyram ne carmina ſcribis?

Tetrico.] Graui & ſeuero, ſiue potius Sabino à monte Tetrico Sabinorum. *Mire opifex numeris.*] Ordo eſt. Mire opifex intendiſſe numeris. *Numeris.*] Rhythmis verſibus. vt alibi. Scribimus incluſi, numeros ille, hic pede liber. & erit datiuus caſus.

Intendiſſe.] Intentione neruorum inſeruiſſe. Virgilius in nono. Cui carmina ſemper, Et citharæ cordi, numeroſque intendere neruis.

Veterum primordia vocum.) Carmina quæ ante orationem ſolutam fuiſſe & Latini & Græci teſtantur. vnde Strabo geographus ſic refert. Primum ante omnia apparitio ipſa poetica proceſſit in medium & approbata complacuit. Dehinc illam imitati, cum metrum ſoluiſſent reliquis poeticæ ſeruatis partibus rem ſcriptis commendarunt, Cadmus videlicet & Pherecides & Hecateus. Nam Cadmus auctore Plinio primus proſaicam orationē cōdere inſtituit. Cornelius quoque Tac. de claris oratorib. hoc ita confirmat. Hæc inquit eloquentiæ primordia, hæc penetralia hæc primum habitu cultuque cōmoda mor-

talibus in illa caſta, & nullis contacta vitiis pectora influxit. ſic oracula loquebantur. *Veterum vocum.*] Quibus primum apud mortales carmina, vt dictum eſt cantabantur. vnde Cornelius Tacitus. cæterum felix illud, & (vt more noſtro loquar) aureum ſeculum & oratorum & criminũ impos, poetis & vatibus abundabat, qui benefacta canerent, non qui male admiſſa defenderent. *Atque.*] Expoſitiue poſitum eſt atque. pro id eſt. *Marem ſtrepitum.*] Expreſſit materiam lyricorum, à quibus & pugiles & certamina equorum cantari ſolent. Virgilius. Cui carmina ſemper, Et citharæ cordi numeroſque intendere neruis: Semper equos atque arma virum pugnaſque canebat. Horatius: Muſa dedit fidibus diuos pueroſque deorum, Et pugilem victorem & equum certamine primum, Et iuuenum curas, & libera vina referre. Marem igitur ſtrepitum. i. ſonum maſculum & non muliebrem, quo certamina pugilum & equorum canis. Maiori enim ſtrepitu hæc à poetis cantantur. *Fidis.*] Eius nominatiuus eſt fides nõ fidis, vt credit Priſcia. hac re deceptus, quod ſi fides faceret in nominatiuo, fidicula nõ diceretur, ſed fidecula, nõ intelligens rationẽ analogiæ fidicula dicendũ eſſe à fides, ſicut ædicula ab ędes, ſedicula à ſedes, cædicula à cædes. non cędecula, ſedecula, ædecula. Ergo fides dicendũ eſt. cuius diminitiuũ eſt fidicula, vel parua cythara, vel chordula. Nam fides (auctore Feſto) genus eſt citharæ, dictæ quod tantum inter ſe chordæ eius, quantum inter homines fides concordet. In plurali vero tortorium inſtrumentum ex duobus (vt nonnulli putauere) obliquatis lignis compactum, vel ab extorquenda fide ac veritate, vel à neruis funibus, vinculiſque, quibus homines torquendi alligabãtur. *Mox.*] Pro deinde ponitur. quã mox vero quã cito ſignificat. *Latinæ.*] Bene Latinæ, ne Græcus putaretur. Nam à Græcis carmen lyricum ſumpſit initium, & vt diximus in eo plures claruere Græci. *Iuuenes agitare iocos.*] id eſt, iuuenum amores ſcribere, quod proprium eſt lyricorum, vt ſupra. Et iuuenum curas, & libera vina referre. *Agitare.*] Amantium ſollicitudinem expreſſit.

Egregios luſiſſe ſenes.] id eſt, facta ſenum egregia. *Luſiſſe.*] Scripſiſſe. Virg. Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti. *Mihi nunc Ligus intepet.*] Locum deſcribit, quo vt per quietem aliquid ſcriberet, ſeceſſerat, eumque dicit eſſe portum Lunæ. *Ora ligus.*] Ligures populi ſunt inter amnes Varum & Macram Hetruſcis inhærentes, ab iis Macra ſeparati. *Intepet hibernatque meum mare.*] Hoc dicit, ſe ab vrbe per hyemem ſeceſſiſſe inter confines Liguriæ & Hetruriæ, qua parte eſt Luna oppidum Hetruriæ. *Intepet.*) Hyemali tempore temperatum aerem mihi præbet. Ouid. Cum tamen aura tepet medio defendimur Hiſtro. *Hibernatque meum mare.*] Duo ſignificat, tempus eſſe hyemale, & ibi omnia temperata eſſe aeris clementia.

Meum mare.] Hetruſcum. Nam in Hetruria patriam ſuam, vt diximus, habuit Volaterras. *Qua latus ingens dant ſcopuli.*] Luna primum eſt oppidum Hetruriæ, venientibus ex Liguria, cum portu nobili eiuſdem nominis. Græci enim & portum & vrbem Selenes, id eſt, lunæ appellant. Vrbs quidem haud ſane magna, maximus vero & pulcherrimus portus eſt, multos intra ſe portus amplectens magnæ profunditatis vniuerſos, vſqueadeo, vt omnium, qui maris teneant imperium, facile fieret receptaculum. Celſis vero montibus portus ipſe circuncluditur, qui proſpectum longe pelagi præbeant. Nam & Sardiniæ & magna vtriuſque litoris pars cernitur, auctor eſt Strabo.

Latus ingens.] Quia vt dictum eſt, multos intra ſe portus complectitur. *Dant ſcopuli.*] id eſt, montes celſi, quibus portus circuncluditur. *Multa valle.*) Propter portus magnitudinem. *Receptat.*] Recuruatur. *Lunai portum eſt, &c.*) Hic verſus Ennianus eſt, vt ille apud Virgilium: Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem. Senſus eſt. iucundum quidem eſt ó ciues portum lunæ inſpicere. Declarauit poeta portum lunæ Ennij teſtimonio pulcherrimum eſſe. *Eſt operæ.*] Deeſt precium. ſumptum à mercenariis, quibus poſt laborem ſuaue eſt capere mercedem ſuam. *Cor iubet hoc Enni.*] Illud enim carmen in Annalibus ſuis ſcripſit Ennius de portu Lunæ. *Enni.*] Quintus Ennius poeta natus eſt Tarenti, vt tradit Euſeb. vt vero ſcribit Mela, Rudiis quod oppidum Appuliæ eſt. Sic enim ſcribit. Ennio ciue nobiles Rudiæ, qui à Catone quæſtore Romam tranſlatus habitauit in monte Auentino, parco admodum ſumptu contentus & vnius ancillæ miniſterio. Septuagenario maior, vt ſcribit Cicero articulari morbo periit, ſepultuſque in Scipionis prioris monumento, via appia intra primum ab vrbe miliarium. cuius ſtatuam Scipio, vt ſcribit Plinius & Solinus, imponi ſepulchro ſuo iuſſit. *Poſtquam deſtertuit eſſe Mæonides.*) Scribit Ennius in principio Annalium ſuorum (vt auctor eſt Porphyrio) ſomnio ſe admonitum quod ſecundum Pythagoræ dogma, anima Homeri in ſuum corpus veniſſet. quod reſpexit Perſius illic. Nec in bicipiti ſomniaſſe Parnaſo memini.

Quintus pauone ex Pythagoreo.] Varias opiniones ſequuntur poetæ alij enim dicunt ſcripſiſſe Pythagoram ſe pauonem fuiſſe, deinde ex pauone animam ſuam in Euphorbum tranſiſſe, tum in Homerum, eademque ab Homero fertur in ipſum tranſlata, tum demum in Ennium perueniſſe. vt ſic accipias Ennium quintum fuiſſe à pauóne in cuius corpore habitauit anima Pythagoræ. Heraclides vero ponticus auctore Plutar. refert hunc de ſe dicere ſolitum, quod fuiſſet aliquando Ethalides, Mercuriique filiũ putatum eſſe. Mercuriũque monuiſſe illum vt peteret præter immortalitatem quod vellet. petiiſſe

igitur vt viuens & vita functus omnium quæ contingerent memoriam haberet. Itaque in vita meminiſſe omnium eandemque memoriam & poſt mortem reſeruaſſe, longoque poſt tempore in Euphorbum veniſſe atque à Menelao fuiſſe vulneratum. vnde Oui. Panthoides Euphorbus eram, cui pectore quandam Hæſit in aduerſo grauis haſta minoris Atridæ. Euphorbus autem dixit ſe Ethalidem fuiſſe, atque à Mercurio pro munere hoc accepiſſe, vt anima illius iugi circuitione vagaretur, & in quas velit arbores vel animantes commigraret. Poſtea vero quam Euphorbus diem obiit, ingreſſa in Hermotimum ipſius anima: qui & ipſe cum fidem vellet facere, Branchidas petiit, ingreſſuſque Apollinis phanum oſtendit clipeum quẽ illic Menelaus affixerat. Ait enim illum cum ex Troia remeaſſet, Apollini ſacraſſe ſcutum iam putrefactum, ſolamque perdurare eburneam faciem. Vbi autem & Hermotimus vita functus eſt, rurſus in Pyrrhum Deliũ piſcatorem migraſſe, illumque omnia memoraſſe, vt. ſ. primum Ethalides fuerit poſtea Euphorbus, deinde Hermotimus, ac poſtmodum Pyrrhus effectus ſit, ac deinceps poſt Pyrrhum factum eſſe Pythagoram, omniumque meminiſſe quæ prædiximus. *Poſtquam deſtertuit eſſe M.*] Poſtquã excitatus è ſomno cœpit eſſe Homerus. hæc enim particula de in cõpoſitione plerumque contrarium ſignificat. vt dediſco, deſueſco. cõtraria enim ſunt his vocibus diſco & aſſueſco. Deſtertere igitur eſt ceſſare à ſomno. *Mæonides.*) Homerus. patronymicum eſt à Mœone patre, non autem vt multi putauere à Mœonia regione. Nã Ariſt. in iij. De poetica lib. dicit. In Ionia inſula quo tempore Heleus Codri filius Coloniam in Ioniam deduxit, puellam quandam indigenam, à deo qui cum muſarum conſuetudine vtebatur, fuiſſe compreſſam. quæ cũ grauida facta eſſet, infamiam verita in locum abiit quæ Ægina dicebatur: ibi à latronibus capta, ac Smyrnam quæ tunc Lydorum tenebatur imperio abducta, Mœoni Lydorum regi amico ab iis dono data eſt. ille vero puellæ venuſtate captus eam duxit vxorem: quæ cum poſtea iuxta Meletem forte ſpaciaretur, partus ſubitis occupata doloribus Homerum apud flumen enixa eſt, quem ſuſcipiens Mœon pro ſuo educauit, matre ſtatim poſt partum mortua. Vel à Mœone qui auctore Euphorbo, Criteida filiam Apellis grauidam fecit, ex qua natus eſt Homerus, vt latius à nobis dictum eſt in commentariis Sta. Mœonidem igitur intelliges dictum ſiue à vitrico ſiue à patre. *Hic ego ſecurus vulgi.*) Satyrico more iam flectitur ad auaritiam ſuorum temporum carpendam. Senſus eſt. ego inquit huc concedens, & vulgi ſtrepitum fugi, & auſtrum inimicum pecori non timeo, nec inuidia moueor felicitate vicini. vt ſic oſtendat ab omni animi effectu ſe remotum eſſe.

Securus vulgi.] Subaudi ſum. i. à ſtrepitu vulgi remotus. i. non anxius, non ſollicitus de iudicio vulgi. ideo ſecurus.

Et quid præparet.] Remotum ſe eſſe oſtendit ab omni animi ſollicitudine, quæ inimica ſolet eſſe ſcribentibus. Vnde Sapho. vacuæ carmina mentis opus. *Præparet.*] Virg. Georg. primo cogitet dixit. Quid cogitet humidus auſter. Infelix autem, noxius, letifer. ſic enim etiam à Virgilio vocatur, letifer auſter. Eſt enim is ventus calidus & humidus, idcirco ad ſoluenda corpora morbóſque inducendos aptus. Græce νότος dicitur. *Auſter.*] Ventus eſt Meridionalis, qui alio nomine Notus dicitur. eo flante decidunt imbres pecori maxime noxij. Virgil. Arboribúſque ſatíſque notus, pecoríque ſiniſter. Horat. plumbeum auſtrum appellauit. Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus auſter. *Infelix.*] Inimicus & non propitius, vnde contra felix propitium. Virg. Sis felix noſtrúmque leues, quæcunq. laborẽ.

Securus & angulus ille vicini noſtro quia pinguior.] Ordo eſt. Et ſum ſecurus, quia ille angulus vicini ſit pinguior noſtro. Inuidia ſe non moueri felicitate aliena oſtendit, quod eſt auari & improbiſſimi hominis. Iuuen. Maiórque videtur, Et melior vicina ſeges.

Et ſi adeo o. diteſcant orti p. v. r. c. o. i. m. ſ.] Nunquam inquit dolore ſeneſcam quod humili loco nati præcedant me opibus.

Adeo.] Valde. Terent. Adoleſcentem adeo nobilem.

Diteſcant.] Locupletentur. *Orti p.*] Humilioribus nati.

Vſque.] Particula hæc abſolute poſita continuationem ſignat, id eſt, ſemper. *Recuſem.*] Recuſauero. *Cœnare ſ. v.*] Sine deliciis, niſi adſint cibaria lauta & opipara. Magnum enim eſt inuidiæ ſignum, ita felicitatem alienam ægre ferre, vt lautioribus cibis abſtineas. vt ſit ſenſus. Ego tanto dolore alienæ felicitatis non conficiar, vt nolim mihi parari lauta obſonia. i. non ita rumpar vt genium meum defraudẽ.

Et ſignum in vapida naſo tetigiſſe lagœna.] Id eſt, recuſabo inquit bibere niſi pocula adſint capaciſſima, vt non facile vno hauſtu ſiccentur: nã naſo tetigiſſe ſignum in poculo dum bibis, ſignum eſt vas paruum eſſe vt facile totum bibas, idque eſt auaritiæ indicium.

Signum.] Fundum poculi deſignat vbi imagines ſculpi ſolent.

Vapida.] Nimij vaporis vt alibi. Exhalet vapida læſũ pice ſeſſilis obba.

DISCREPET *his alius.*] Satis lepide deſcendit ad reprehendendos auaros. *Diſcrepet.*] Pro diſcrepabit. *His.*] Deeſt ab, vt ſit ab his quæ dixi. q. d. alius contra felicitate aliena mirum in modum augetur. *Geminos horoſcope varo producis genio.*] Mirandum oſtendit non eſſe, ſi in tanta hominum multitudine ſint diuerſæ voluntates & ſtudia, cum ſæpe gemini diſſimillimi ſtudij generentur.

Horoſcope.) Aſtrologiæ dediti id temporis momentum quo quiſque naſcitur. horoſcopum appellauere: quaſi horæ notationem & inſpe-

ctionem. ea enim hora à Mathematicis conſideratur, ab hora & ſcopos, quod eſt conſideratio ſiue notatio & inſpectio. hoc autem Perſius dicit contra Poſidonium Stoicum multum Aſtrologiæ deditum qui putauit eadem conſtitutione aſtrorum natos, eadémque conceptos omnibus in rebus ſimiles eſſe, quod à Diuo Auguſt. multis rationibus & facile confutatur. *Varo genio.*] Varia & diſſimili natura. Genium naturam appellat, quia nobis naſcentibus putauit antiquitas deum dari ad noſtri cuſtodiam qui Genius nominatur.

Solis natalibus eſt qui Tingat h. ſ.] Sui temporis auaritiam notat. Æmulatio eſt Horatiana. Natales alioſve deorum Feſtus & albatus celebret, cornu ipſe bilibri Caulibus inſtillet. *Muria.*] Erant tria genera liquaminis, quod ex piſcibus fiebat. ſed illud in primis laudatiſſimum habebatur, quod ex ſcombris fiebat, garúmque appellabatur: eo Clazomenæ laudantur. Alterum erat Muria, quæ ex thynno conficiebatur. Tertium, quod alec dicebatur, vitium gari habebatur, nec aliud quam colata fex. Ait igitur Perſius auarum non garo ſed muria cibaria condire. Garum autem precioſius fuiſſe muria docet Mart. Antipolitani fateor ſum filia Thynni, Eſſem ſi Scombri non tibi miſſa forem. Et idem alibi. Expirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo, Accipe faſtorum munera cara garum. Muriam tamen Cato docet fieri hoc modo. Amphoram defracto collo puram impleto aquæ puræ, in ſole ponito, ibi fiſcellam ſale populari ſuſpendito & quaſſato ſuppletóque identidem. Id aliquotiens in die facito vſque adeo donec ſol deſierit tabeſcere. biduum id ſigni erit: mænam aridã vel ouum demittito, ſi natabit muries erit, vel carnem vel caſeos, vel ſalſamenta quo condas. Porro muriam in labella vel in patina in ſole ponito, vſque adeo in ſole habeto donec concreuerit. Inde flos ſalis fiet. *Ipſe.*] Emphaſim habet. i. non alius quiſquam.

Irrorans.] more roris infundens. *Sacrum piper.*] Ironice dictum. q. d. Tali geſtu piper infundit, vt res ſacras pertractare videatur. Horat. de auaro inquit. Congeſtis vndique ſaccis Indormis inhians, & tanquam parcere ſacris Cogeris. *Patina.*] Vas eſt menſarium à patulo nomen accipiens. vnde & patella per diminutionem.

Hic bona dente grandia m. p. p.] Hoc ait quoſdam contra eſſe, qui per prodigalitatem omnia prima iuuentute bona conſumant.

Hic.] i. alius. *Puer.*] i. prima iuuentute, adhuc pueritiam non egreſſus. *Peragit.*] Abſumit laute viuendo. *Vtar ego v.*] Cum alij, inquit, auare, alij prodige viuant, ego vero mediocritatem colam.

Vtar ego vtar.] Abſolute dictum. i. non abutar, ſed moderate viuam. verbi conduplicatione ſiue iteratione rem auget.

Nec rhombos.] Tacitæ obiectioni occurrit. quaſi quis dixerit, nunquid rhombos & turdos libertis tuis appones? & ipſe negat, monétq.

ita vitandam eſſe auaritiam, vt in prodigalitatem non incurratur. Æmulatio eſt Horatiana. Nec ſic vt ſimplex Næuius vnctam Conuiuis præbebit aquam. vitium hoc quoque magnum.

Nec ideo lautus.] Nec tamen ob eam rem. i. quia auarus nolim eſſe, ero ita ſplendidus vt ponam rhombos libertis. *Rhombos.*] Piſces ſunt peculiares maris plani, vt ſolea & paſſeres qui à rhombis ſitu tantum corporum differunt. Dexter reſupinatus eſt illis, paſſeri læuus. Lautæ gulæ oſtendit eſſe Horat. Num eſuriens faſtidis omnia præter Pauonem & rhombum. *Tenuem ſalinam.*] Tenuem & optimum ſaporem, qui in deglutienda ſaliua ſentitur. nam luxurioſæ gulæ & artis coquinariæ habetur rerum ſapores cognoſcere. Vnde Horat. ex Catij ſententia. Nec ſibi cœnarũ quiuis temere arroget artẽ, Ni prius exacta tenui ratione ſaporũ. *Turdorum.*] Turdos primi ſaporis inter aues iudicauit Mart. Inter aues turdus, ſi quis me iudice certet: Inter quadrupedes gloria prima lepus. Horat. Cum ſit obeſo nil melius turdo. *Meſſe tenus propria viue.*] Satyrica reprehenſione inſurgit in auarũ, monens vt pro qualitate rerum ſuarũ viuat. *Tenus.*] Cũ pluratiuo adiũgitur numero, genitiuum requirit, vt crurum tenus. cum ſingulari, ablatiuum, vt Capulo tenus abdidit enſem: ſempérque contra naturam præpoſitionis poſtponitur. ſignificatio autem eſt. vſque ad. vt mento tenus vſque ad mentum. Nilo tenus vſque ad Nilum. Aliquando etiam pro non vltra, vt geſſit conſulatum titulo tenus. i. non vltra quam ad titulum. *Meſſe tenus propria viue.*] i. pro qualitate & conditione prouentus tui. *Fas eſt.*) Licitum quidem eſt quæ terra producit conſumere. *Occa.*) Frange, conſume & vtere. Sumpta metaphora ab agricolis, qui glebas frangunt, & bene ab agricolis. Nam de re agreſti loquitur cum ait. Meſſe tenus propria viue. Occare & occator ab occidendo vt tradit Varro, dicitur quod grandes terræ cædat globos.

En ſeges altera in herba eſt.) Suadet auaro futura metui non debere, cum iam altera frumenta reſurgant in agris. *Aſt vocat officium.*) Non ſatis erat oſtendiſſe auaritiam fugiendam eſſe in victu, niſi & in alios conferendam eſſe liberalitatem ſubdidiſſet. Senſus igitur eſt. Inopi & egenti ſi quem videris ſubuenito. Vocat officium pietatis humanitatis liberalitatis exercendæ. *Trabe rupta.*) Naui. Iuuen. Nocte cadet fractis trabibus *Brutia ſaxa.*) Scopulos. Brutij contermini ſunt Lucanorum infero mari appoſiti. *Surdáque vota.*) Diis non exaudita. Dicimus enim ſurdum qui non audit & qui non auditur. Iuuenal. Et ſurdo verbere cædit, id eſt, quod non auditur. Conſtat namque in auctoribus multa inueniri per contrarium ſignificantia. Vnde eſt illud Virgil. Memorem Iunonis ob iram, id eſt, non quæ meminit, ſed quæ eſt in memoria. Terent. Exprobratio eſt immemoris beneficij. i. cuius nemo meminit.

Sic dicimus hominem cæcum qui non videt, & locum cæcum in quo quid occultatur. Virg. Includunt cæco lateri.

Ionio.] Ionia Græcorum regio atque colonia in extremitate Aſiæ minoris, media (vt Plin. ſcribit) inter Cariam & Lydiam, quam à Caria, vt ait Solinus Meander fluuius diuidit. Accepítque nomen auctore Victruuio à duce Ionio, quem Athenienſes cum ex Apollinis Delphici oraculo in Aſiam tredecim colonias vno tempore miſiſſent, iis ſingulos duces conſtituerunt, quos ſummam imperij habere iuſſerunt. Hinc appellati ſunt Iones populi, & inde mare Ionium. Alij vero ab Ione Inachi filia denominatam volunt. Aliam etiam Ioniam ſcribit Solinus eſſe in extremis Italiæ ab Ione Naulochi filia, quam procaciter inſidentem viis Hercules interemit.

Ingentes de puppe dei.] Simulacra numinum quæ in nauibus geſtari ſolent à nautis. Virg. Arma deóſque parant comites.

Mergis.] Mergus auis eſt aquatica, in arborib. nidificat incipiente vere.

Nunc & de ceſpite viuo frange al.] Satyrica indignatione monet pauperi ſubueniendum. Sic Horat. ad diuitem auarum. Cur eget indignus quiſquam te diuite: quare Templa ruunt antiqua deum, cur improbe caræ Non aliquid patriæ tanto emetiris aceruo?

Ceſpite.] Ceſpes proprie eſt herba cum terra euulſa, ſed hic metaphoricos pro cenſu domeſtico poſuit. *Ne pictus oberret carulea in tabula.*] Solebant naufragi, vt dictum eſt à tabella pendente à collo naufragiũ pictum ferre mendicantes. Iuuen. Merſa rate Naufragus aſſem Dum rogat, & picta ſe tempeſtate tuetur. *Cærulea.*] Quod in ea mare ſit pictum, quod coloris eſt cærulei. *Sed cœnam funeris hæres.*] Irriſio eſt poetæ excuſantis auarum q. d. ei ignoſcẽdum eſſe, quia ab hærede cœna feralis non poneretur ſi piis officiis rem imminuiſſet. Nam in mortuorum ſolatium diis manibus infertur cœna quæ ſilicernium appellatur, quod eam ſilentes cernant vmbræ, hoc eſt poſſideant. auctor eſt Donatus. Iuuen. Ponitur exigua feralis cœna patella. Eiuſdem cœnæ meminit Plin. cum ait de miluis. Notatum in iis rapaciſſimam & famelicam ſemper alitem nihil eſculenti rapere vnquam ex funerum ferculis. Feſta autem diis manibus ſacrata feralia à ferendis epulis, vel à feriendis pecudibus ſunt appellata.

Curtaueris.] Minueris. *Oſſa inodora dabit.*] Hoc inuidioſe & ſatyrice. Corpora enim mortuorum vngebantur. Iuuen. Et matutino ſudans Criſpinus amomo, Quantum vix redolent duo funera. Plin. in huius moris inuidiam de vnguentis. hæc ſcribit. Beatam Arabiam fecit hominum etiam in morte luxuria, quæ diis intellexerat genita adhibens vrendis defunctis. Et paulo inferius hoc adiicit. Æſtimentur poſtea toto orbe ſingulis annis tot funera aceruari, in quæ congeſta honori cadauerum, quæ diis per ſingulas micas dantur.

Spirent.

Spirent.) Fragrent. *Cinnama.*) Vnguenta ex cinnamo facta. Cinnamum, & cinnamomum, idem eſt, naſcitur in Æthiopia Troglodytis connubio permixta. produntur mercatores qui illud per maria vaſta vehunt, vix quinto anno reuerti, & multos interire. Qua de cauſa in precio maximo habetur. *Surdum.*) Senſus eſt. Hæres offenſus imminuta hæreditate, quam expectabat, paruifaciet vnguenta bona ne ſint an vitiata. *Caſia.*) Caſia, vt cinnamomum frutex eſt iuxta cinnami campos naſcens. Fabuloſa tamen antiquitas princepsve Herodotus, auctore Plin. narrauit caſiam vt ſupra diximus circa paludes Arabiæ colligi, propugnante vnguibus diro veſpertilionum genere, aligeriſque ſerpentibus, quibus commentis augentur rerum precia. *Peccent ceraſo.*) Adulteratæ ſint. Multis enim modis vt ſcribit Pli. vnguenta vitiabantur. *Tu ne bona incolumis m.*) Verba hæredis. *Sed Beſtius vrget Doctores Graios.*) Hæres vt Beſtius in philoſophos Græcos culpam reijcit quaſi improbos, qui homines ad auaritiam fugiendam & liberalitatem exercendam inſtruant. nam temporibus poëtæ inuiſi erant philoſophi & in contemptu, expellebanturque ſæpe ex vrbe. Vnde ita ſcribit Seneca ad Albinam matrem. Apicius noſtra memoria vixit ea in vrbe ex qua philoſophi velut corruptores iuuentutis abire iuſſi ſunt. Beſtius, imitatio eſt Hora. Diceret vrendos correptus Beſtius idem, *Vrget.*) Accuſat, damnat. *Doctores graios.*) Philoſophos. *Ita ſit.*) Ordo eſt. Ita fit, fœniſecæ vitiarunt pultes craſſo vnguine, poſtquam hoc noſtrum ſapere expers maris cum pipere & palmis venit vrbi. *Ita ſit.*) Cum indignatione leguntur, & in contemptum diſciplinæ Græcorum, qui ita liberalitatem hominib. exercendam perſuaſere, vt non tantum diues, ſed & viliſſimus quiſque laute & luxurioſe viuat. Sicque poëta luxum epularum ſui temporis notat. *Sapere.*] Sapientia, verbum pro nomine poſuit alibi. Noſtrum iſtud viuere triſte. *Hoc noſtrum.*) Cum contemptu philoſophiæ dictum quaſi quæ male doceat, nouoſque mores in vrbem introduxerit.
Expers maris.) Hoc in inuidiam dicit Græcorum philoſophorum. oſtendit enim mores vrbis ita delicijs corruptos eſſe, vt ſponte ſua Romani non peragrata Græcia, mores Græcorum didicerint. *Ergo expers m.*] id eſt, quamuis in Græciam non nauigauimus ad capeſſenda philoſophorum præcepta, tamen hic ex philoſophorum ſententia viuimus, qui nos docent ſordidam vitam fugiendam. Vnde illud. Indulge Genio, carpamus dulcia, noſtrum eſt Quod viuis, cinis & manes & fabula fies. *Venit vrbi.*] Pro in vrbem. *Cum pipere & palmis.*) Hic locutus non ſimpliciter accipiendus eſt. Nam illos auctore Lactātio notat qui ſapientiam à principio fuiſſe voluerunt, ſed nuper à philoſophis inuentam, vt Lucretius. Denique natura hæc rerum ratioq; reperta eſt Nuper, & hanc primum cum primis ipſe repertus Nunc

ego ſum in patrias qui poſſum vertere voces. Et Seneca Nondum ſunt inquit, mille anni ex quo initia ſapientiæ nata ſunt. Quod Perſius irridet tanquam ſapientia cum ſaporis mercibus ſit inuenta. *Cum p. & p.*) Hæc ad luxum epularum pertinent. Pipere cibaria condire Catium primum inueniſſe ſcribit Horat. Primus & inueni piper album cum ſale nigro Incretum puris circum poſuiſſe catillis. *Palmis.*) Duplex eſt palma vt teſtatur Stra Cariota & reliqua Thebaica durior, ſuauior guſtu, dicta cariota à cara quod ſignificat caput, nam ex ea fiebant vina iniqua capiti. Ea dono mittebatur calendis Ianuarij. Mar. Aurea porrigitur Iani cariota calendis. Oui. in Faſtis. Quid vult palma ſibi rugoſaque carica dixi. *Fæniſecæ.*] Exaggeratio eſt ſatyrica. q.d. Lautioribus epulis ne pauper quidem abſtinet, ita Romanorum luxus increuit. Vnde Iuue. Ipſe focis breuibus ponebat holuſcula, quæ nunc Squalidus in magna faſtidit compede foſſor: Qui meminit calidæ ſapiat quid vulua popinæ. *Fæniſeca.*] Compoſitum à fœno & ſeco. *Vitiarunt.*] Condiuerunt. *Pultes*] Cibaria. Pultem inconditum panem fuiſſe ſcribit Plinius, qua Romani ante vſum panis diu vixerunt Pultes præterea excogitatæ ſunt multis condimentis. Cato punicam pultem condiri docet caſeo ouo vno. *Craſſo vnguine.*] Hoc eſt lautis condimentis.

Hæc cinere vlterior metuas. Reprehendit eum qui ideo inopi largiri non audet, quia veretur ne ea ſibi poſt mortem non fiant ab hærede quę alijs mortuis fieri ſolent. *Cinere vlterior.*] id eſt, vltra & poſt mortem, quod contrarium eſt citra mortem, id eſt, viuens.

At tu meus hæres.] Mira vrbanitate dum oſtendit quod ipſe ſit facturus, alijs viam & modum præſcribit viuendi.

Miſſa eſt à Cæſare laurus.] Senſus eſt. O tu qui hæres meus eris, nunciatum quidem eſt à Cæſare ſuperatos eſſe Germanos, quamobrē ſacrificium paro ducentorum boum in tantæ victoriæ gratulationem nunquid hoc audes vetare? *Miſſa laurus.*] Romani imperatores ſuperatis hoſtibus Romam laurum vt victoriæ nunciam mittebant, in cuius rei fidem ita ſcribit Plin. Laurus eſt pacifera, vt quam prætendi etiam inter armatos hoſtes quietis ſit indicium. Romanis præcipue lætitiæ victoriarum nuncia, additur literis & militum lanceis piliſque, faceſque imperatorum decorat. *A Cæſare.*] Dubitari poſſet de quo Cęſare diceret, niſi de Cæſonia mentionem feciſſet. A Cæſare igitur intellige Caligula, qui vt ſcribit Tranquil. expeditionis Germanicæ impetum cepit, neque diſtulit, ſed legionibus & auxilijs vndique excitis delectibus vndique acerrime actis confecit tam feſtinanter & rapide, vt prætorianæ cohortes contra morem ſigna iumentis imponere & ita ſubſequi cogerentur. Qua de re ſcripſit

procuratoribus. triumphum apparent quam minima ſumma ſed quantus nunquam fuiſſet, quando in omnium bona ius haberent. quo tamen triumpho omiſſo vel dilato ouans vrbem natali ſuo ingreſſus eſt, de ſenatu prius conqueſtus inter cætera fraudatum ſe dicens iuſto triumpho, quum ipſe paulo ante ne quid de honoribus ſuis ageretur etiam ſub mortis pœna denunciaſſet. *Ac iam po. ar. Iam chlamydes regum, iam lutea gauſapa captis.*] Hæc cum diſtinctione legenda ſunt, vt arma & chlamydes regum poſtibus adiungas, gauſapa vero captis. *Poſtibus.*] Scilicet templi, vbi hoſtium ſpolia ſuſpendi ſolent. Virg. Captiui pendent currus curuæque ſecures. *Lutea gauſapa.*] Genus ſtramenti villoſi diximus eſſe quo in caſtris vterentur. vilem autem fuiſſe veſtem oſtendit etiam Ouid. Gauſapa ſi ſumpſit, gauſapa ſumpta proba. *Lutea.*] Crocea, ſic enim captiui in pompa triumphi ducebantur. *Captis.*] In bello videlicet, id eſt, captiuis.

Eſſedáque.) Vehicula ex hoſtib. capta, quæ in triumphi magnificentia vehebantur, inde eſſedarius, id eſt, auriga. *Ingentes rhenos.*) Germanos & Gallos, quos à Rheno fluuio denominauit. Fluuius enim eſt qui ortum habens ex Lepontijs alpium incolis, Galliam diuidens à Germanis in oceanum Britannicum defluit. *Ingentes.*) Ex hiſtoria pendet. Nam Caligula conuerſus ad curam triumphi præter captiuos ac transfugas barbaros, Galliarum quoque proceriſſimum quemque, ac nonnullos ex principibus legit, ac ſepoſuit ad pompam. coëgitque non tantum rutilare & ſummittere comam, ſed & ſermonem Germanicum addiſcere, & nomina barbarica ferre. *Cæſonia.*) Satyrice Cæſoniam dicit triumphi pompam parare, tanquam talium rerum peritam. Nam vt ſcri. Tranquil. eam quamvis luxuriæ & laſciuiæ perditæ ita ardenter & conſtanter amauit Caligula, vt ſępe chlamyde peltaque & galea ornatam & iuxta adequitantem militibus oſtenderit. Cæſonia. Cæſones & Cæſares à cæſo corpore matris ſunt nominati. *Locat.*) Diſponit & parat. *Diis igitur genioque ducis.*) Sacrificium ducentarum victimarum promittit in honorem deorum, & principis adulationem ob victoriam reportatatam ex hoſtibus. ſic enim in principum gratiam multa fiebant.

Genioque ducis.) Hoc in inuidiam magis quam in principis laudem dictum eſt. Is enim vt tradit Tranquil. multos honeſti ordinis deformatos prius ſtigmatum notis ad metalla & munitiones viarum, aut ad beſtias condemnauit, aut beſtiarum more quadrupedes cauea coërcuit, aut medios ſerra diſſecuit. Nec omnes grauibus ex cauſis, verum male de munere ſuo opinatos, vel quod nunquam per genium ſuum deieraſſent. Perſius igitur veluti principis genium veneraturus in eius honorem ſacrificium ſe facturum dicit.

Centum paria.) Duplicem hecatomben.

Induco.] Ad ſacrificandum. ſ. *Quis vetat.*] Minæ Perſij ad hæredem niſi aſſenſerit. *Aude.*] Superbe enuntia. id eſt, audeto vetare ne hæc faciam. *Artocreas.*] Genus cibi ex pane & carne, vt compoſitio docet ab artos quod eſt panis, & creas quod eſt caro. *Non audeo inquis.* Verba hæredis quem ſecum inducit Perſius loquentem, & hoc dicit, non audeo prohibere quo minus ex ſententia tu viuas, Vt innuat ſe ægre ferre. Quo dicto Perſius indignatus ſubijcit. *Exoſſatus ager.)* q.d. cum iam te videam nolle me viuere meo modo, & iam mihi ager ſit optimus & proximus vrbi, alium mihi hæredem inueniam cui ipſe ager detur. *Exoſſatus ager.)* Elapidatus, nam lapides oſſa terræ dicuntur. Exoſſare enim eſt oſſa eximere & purgare. vnde Teren. de piſce ait. Cum rediero exoſſabitur. *Iuxta eſt.*) Vicinus vrbi. *Age ſi mihi nulla iam r. ex amitis.*) Oſtendit autem eos ſtulte facere, qui hæredem metu timent arbitrio ſuo viuere, cum liceat aliunde hęredes inuenire. Senſus eſt igitur. Si mihi hæres meus obſtiterit, quo minus mihi liceat ex voluntate mea viuere: eo certe ſpreto alium qui nullo generis vinculo, aut longinquo mihi coniunctus ſit, rerum mearum hæredem relinquam. *Ex amitis.*) Amita patris mei ſoror, quia ſimiliter tertia à me ſit, atque auia videri poteſt, dicta ex eo quod ab antiquioribus auita ſit vocitata. ſiue amita dicta eſt, quia à patre amata eſt. Nam plus ſorores à fratribus quàm fratres diligi ſolent. videlicet propter diſſimilitudinem perſonarum, quæ eo minus habent diſſenſionis, quo minus æmulationis. *Patruelis nulla.*) Patrueles filij dicuntur patrui mei. Proneptis, filia nepotis. Patrui genitiuus eſt caſus, vt ſit nulla patruelis & nulla proneptis patrui mei. patruus dicitur quod fratris filiorum ſit tanquam pater; Matertera, mater matuta, mane, matrimonium, mater familiæ, matertera, matrices, materiæ dictæ videntur (auctore Verrio) quia ſunt bona qualia. ſ. ſunt quæ ſunt matura: vel potius à mater quæ eſt originis Græcæ meter. Eſt igitur matertera ſoror matris meæ quaſi mater altera. *Accedo bouillas.*) Bouillæ vicus inter vrbem Romam & Ariciam in via appia, Clodij cæde nobilitatus. Cæci & mutilato corpore illic mendicabant. Mart. Debet aricino conuiua recumbere cliuo. Iuue. Dignus aricinos qui mendicaret ad axes. *Cliuumque ad virbi.*) Cliuus virbius proximus eſt in vrbe Cyprio vico vbi Dianium fuit. illic vt Liuius eſt auctor cum Tullia interfecto Seruio patre Tarquinium maritum prima regem ſalutaſſet, domumque ſe reciperet, viſo patris corpore mulionem euitantem ſuper ipſum corpus carpentum agere præcepit. Illic mendici ſedebant.

Preſto eſt. m. M. h.) Senſus eſt. Manius qui quidem progenies terræ dicitur à me vt maior auunculus hæres meus ſcribetur. Satis lepide oſtendit poëta iure originis omnes homines cognatos eſſe.

Manius.) Alluſio eſt ad illum Manium, quem Germani, vt ſcribit

Tacitus, antiquis carminibus celebrant (quod vnum apud illos memoriæ & annalium genus eſt) filium fuiſſe Tuiſtionis dei terra editi, eumque originem gentis & conditorem. Alterius Mannij equitis Romani meminit Varro, quem duorum tantum cubitorum fuiſſe tradit. Manius aũt prænomen dictum eſt ab eo quod mane quis natus ſit, vt Lucius qui Luce. *Præſto eſt.*) Adeſt. nam præſto ſum. id eſt, quod adſum, nec alteri fere verbo cohæret. Ciceron. pro Murena. Ius ciuile didicit. multum vigilauit laborauit, præſto multis fuit. *Quare ex me quis m. q. ſit p.*) Tacitæ obiectioni reſpondet poëta. poſſet enim dicere hæres, per legem fieri non poſſe, aut æquum non eſſe vt alium quam iure conſanguinitatis coniunctum hæredem relinquas. ait igitur Perſius & Manium ire conſanguinitatis & originis hæredem ſuum ſcribi poſſe: quando & ſui maiores originem habeant à terra quemadmodum & Manius. *Quare ex me quis mihi quartus ſit pater, haud prompte dicam.*) Oſtendit Perſius mira vrbanitate ſexto generis gradu ſe quoque à terra originem ducere. & ideo ſe Manij iure generis & originis cognatum eſſe. Eſt enim ſenſus. Si voles inquit quærere ex me quis ſit mihi proauus non facile tibi dicam, neque enim nomina maiorum meorum poſſum recordari. illud tamen certo ſcio, etiam ſi ad proauum duos etiam addideris eum originem à terra ducere, vt intelligas Perſium ſexto gradu genus ſuum ducere à terra. nam vult illos duos priores à terra natos, ab his quartum patrem genitum, id eſt, proauum ſuum *Haud prompte d.*) Quaſi difficile ſit longo temporis interuallo genus ſuum reminiſci. *Tamen adde etiam vnum, v. e.*) Si duos addideris. Ita hæc intulit vt quamuis non teneat nomina maiorum ſuorum, tamen certo ſciat originem ſuam ſexto gradu duci à terra. *Terræ etiam filius.*) Subaudi pater quartus. *Exit.*) Bene exit quaſi ex terra oritur. *Et mihi ritu Manius hic generis prope maior auunculus exit.*) Ordo eſt. Et hic Manius exit mihi prope maior auunculus ritu generis. Hic Manius quem dixi progeniem terræ. *Prope maior a. e.* Eſt mihi habita ratione generis veluti maior auunculus, nam auctore Feſto maior auunculus dicitur aui & auiæ auunculus. *Qui prior es, cur me in decurſu lampada poſcis.*) Inſultat auaro hæredi, quem curſoribus palæſtræ comparat. nam in palæſtra exhibebantur qui ad extremam vſque laſſationem currerent cum facibus ardentibus, qui primus fuiſſet, vt defatigatus curſor integro facem dabat. hoc ſic Cicero in rhetoricis nouis ſcripſit. Non enim quemadmodum in palæſtra qui tedas ardentes accipit, celerior eſt in curſu continuo, quam ille qui tradit: ita melior imperator nouus qui accipit exercitum quam ille qui decedit: propterea quod defatigatus curſor dat integro facem. Senſus eſt igitur. Cum tu auare & ætate & diuitijs me antecedas cur eſt quod à me hæreditatem expectes, cum æquius ſit me à te hæredi-

tatem expectes, cum æquius ſit me à te hæreditatem accipere vt minus ætate grauatum, quem admodum curſor integer, id eſt, non fatigatus in curſu à priore facem accepit vt laſſo.

SVM *tibi Mercurius.*) Satyrice dictum in profundam hominum auaritiam, qui ad rem adeo anxij ſunt vt hæreditatis quam expectant nihil minui omnino velint cum contenti eſſe deberent, quantacunque parte relicta.

Sum tibi Mer.) Offero moriens tibi lucrum quantuncunque fuerit. nam Mercurium vt diximus ſupra, lucri deum fabulata eſt antiquitas. Huic idibus Majs ſacrificabant mercatores, vt ſcribit Macrob. nam eo die natus dicitur. Martia. Maiæ Mercurium creaſtis idus.

Vt ille pingitur.) Nam & lucri & mercatorum deus pingebatur. De hoc lege Diodo. & Macrobium. *Deeſt aliquid ſummæ.*) Conqueſtio eſt hæredis quod imminuta ſit hæreditas. *Minui mihi.*) Verba Perſij.

Vbi ſit fuge quærere quod mihi quondam Legarat Stadius.) Immoderatam hæredis libidinem habendi reprehendit, qui etiam de alienis legatis & hæreditatibus rationem ſibi reddi poſtulat. *Neu dicta repone paterna.*) Noli inquit more paterno à me rei adminiſtratæ rationem poſcere. Nam reponere cum in varias accipiatur ſignificationes, hic pro reparare & veluti renouare ponitur. vt ſit, noli in me ijſdem verbis vti quibus ſolet pater in filium, cum adminiſtratæ pecuniæ rationem exigit. ſic enim reparantur verba paterna. vnde Mart. qui amiſſum ſomnum in vrbe in prouincia reparabat. Ingenti fruor improbóque ſomno. Et totum mihi nunc repono, quicquid Terdenos vigilaueram per annos. Surgentem focus excipit. *Fœnoris accedat merces.*) Verba hæc hæredis qui rationem ſibi poſtulat reddi fœnoris.

Merces fœnoris.) Fœnus proprie (auctore Feſto) appellatur naturalis terræ fœtus. ob quam cauſam & nummorum fœtus fœnus eſt vocatum, & de ea re leges fœnebres. *Quid reliquum eſt?*] Cum interrogatione legendum & ſuperbe. Reliquum non interrogantis, ſed indignantis & iraſcentis. naturale enim eſt vt cum iraſcimur, vltima aduerſarij verba repetamus.

Nunc nunc impenſius vnge.] Indignatus & offenſus auiditate hæredis computantis quod reliquum eſſet, exclamat minans ſe lautius & ſumptuoſius victurum. per quod monet poëta neminem dum ſtudet poſteros hæreditate iuuare, ſordide viuere debere. *Vnge puer caules.*] Æmulatio eſt Horatiana, Vngere ſi caules oleo meliore caputque Cœperis impexa fœdum prurigine.

Mihi feſta luce coquatur vrtica.] Senſus eſt autem. Ego inquit parce & ſordide viuam vt multa relinquam filio tuo nequiſſimo, qui omnia ad omnem libidinem profundat. cum indignatione legenda ſunt.

Vrtica.] Vrticam poſuit pro viliſſima quaque herba.

Sinciput.] Pars eſt capitis. Iuue. Comedam inquit flebile nati Sinciput elixi. Sincipitia autem verrina lautæ gulæ ſcribit Plinius fuiſſe. *Fumoſum.*] Ad fumum ſeruatum. *Fiſſa aure.*] Qua ſuſpenſum fuit. *Vt tuus iſte nepos.*] id eſt, filius tuus nequiſſimus. nam nepotes luxurioſæ homines vitæ appellantur, quod non magis ijs rei ſuæ familiaris cura eſt, quam ijs quibus pater auuſque viuunt. æmulatio eſt Horatiana. Filius aut etiam hæc libertus vt ebibat hæres Dijs inimice ſenex cuſtodis.

Anſeris extis.] id eſt, anſerino iecore. quod inter delicatas dapes habebatur. vnde ita ſcribit Plinius. Noſtri ſapientiores qui anſeris iecoris bonitatem nouere. fartilibus in magnam amplitudinem creſcit, exemptum quoque lacte mulſo augetur. nec ſine cauſa in quæſtione eſt, quis primus tantum donum inuenerit, Scipio, an Metellus vir conſularis, an M. Seius eadem ætate eques Romanus. *Cum moroſa*] Cum modo aduerbium eſt temporis, non autem præpoſitio.

Singultiet.] Rem pudendam expreſſit. à ſingultiente ſumptum eſt, qui dum ſingultit toto corpore mouetur.

Patritiæ immeiat vuluæ.] Horatius. ne Ditior aut formæ melioris. meiat eodem. C. Immeiere dicuntur, qui vrinam continere nequeunt, quod Græci dicunt ἐνουρεῖν. Vlpianus Iuriſc. facere vrinam dixit. Sed ad rem obſcœnam ſignificandam tranſlatum eſt, idque è propinquo. S. Mihi trama figuræ· *Sit r.*] Lepida tranſlatio ſumpta à tela, cuius filum quod intra ſtamen currit trama appellatur à trameando. Terentius ſubtegmen dixit. Anus ſubtegmen nebat. erit igitur ſenſus. Ego eius macilentiæ fuero vt coſtæ & reliqua oſſa quæ corporis tantum texturam præbent mihi relinquantur, & is obeſiſſimo ſit ventre?

Figura.] Formæ & ſpeciei corporis. *Aſt illi tremat omento popa venter.*] Popa à Perſio accipitur pro pingui, à quo deducti ſunt popinones, id eſt, ij quos nunc dicimus tabernarios vel luxurioſos, qui ſe popinis dedunt. Nam popinæ dicuntur tabernæ vbi publica parantur obſonia. Tranquillus in Nerone. Interdictum ne quid in popinis cocti præter legumina aut olera veniret, cum antea nullum non obſonij genus proponeretur. Horatius. Quin omnia malit, Quæcunque immundis feruent allata popinis. *Omento.*] De omento diximus ſuperius in ſecũda ſatyra. *Vende animam lucro.*] Nimia & immoderata hæredis concupiſcentia offenſus, vt pote quem videat auaritiæ ſuæ finem nullum facere, exclamat, excandeſcit, iraſcitur. *Mundi.*) Quem coſmon Græci nomine ornamenti appellauere, eum & nos à perfecta abſolutaq; elegantia mundum. *Ne ſit præſtantior alter.*) Horatius. Ne ſi te ditior alter. *Cappadocas rigidæ pingues pauiſſe cataſtæ.*) Diuites Rom. auctore Plin. tot ſeruos alebãt vt eorũ iuſtos & integros prope exercitus domi haberẽt. Et quo plures alebãt eo potẽtiores habebãtur: vnde

Iuuenalis. Protinus ad cenſum, de moribus vltima fiet Quæſtio, quot paſcit ſeruos, quot poſſidet agri Iugera. *Cappadocas.*) Cappadocia finitima eſt Armeniæ; vnde ſerui mittebantur vt è Syria. Martialis. Ciuis non Syriæ ve Parthiæ ve, Nec de Cappadocis eques cataſtis. *Cataſta*) Cataſtæ loca ſunt vbi ſerui venales exponebãtur. à καθιστάω, quod eſt expono. Martialis. Inſpexit molles pueros, oculiſq; comedit: Non quos patritiæ proſtituere caſæ: Sed quos arcanę ſeruant tabulata cataſtæ. Tibullus. Regnum ipſe tenet quem ſæpe coëgit Barbara gypſatos ferre cataſta pedes. Illic ſeruorum garritu ingens erat ſtrepitus. Martialis. heu quæ lingua ſilet, non illam mille cataſtæ Vincebant. *Pauiſſe.*) Aluiſſe. *Rem duplica.*) Satyrice iterum exclamat in auarum. *Feci. Iam triplex iam mihi quarto: Iam redit in rugas decies.*) Improbitas auari oſtenditur, qui coaceruandæ rei finem non inuenit. Iuxta illud Iuuenalis: Creſcit amor nummi quantum ipſa pecunia creſcit. Hoc enim dicit auarus. rem decies conduplicaui, nec tamen adhuc cupiditati modum inueni meæ. *Iam redit in rugam decies.*) Reſpexit ad illud opus Chryſippi quod ſcripſit de conduplicato vel connexo. nam ſequitur. *Depinge Chryſippe vbi ſiſtam.*) Satis enim lepide ipſum auarum inducit, vt neſcientem auaritiæ ſuæ terminũ imponere, à Chryſippo petere vt ſibi modum quærendæ rei præfiniat. *Cryſippe tui finitor aceruí.*) Chryſippus Solenſis, vel vt alij ſcribunt Tarſenſis fuit: Apollonij filius Zenonis ſiue Cleantis diſcupulus. vt Valerius vero tradit, Cleantis præceptor, vir ingenioſus & acutiſſimus, in omni genere orationis & ſubtilitate diſputandi adeo acer, vt non illepide quidam dicerent, ſi apud deos vſus eſſet dialecticæ, non temere aliam futuram quàm Chryſippeam. hunc ſcribit Valerius octogeſimo anno, volumen cœptum quadrageſimo, exactiſſimæ ſubtilitatis abſoluiſſe. Conſtat enim ſeptuaginta & quinque volumina ſcripſiſſe, adeo vt Valerius tradat ad ea quę ſcripſit cognoſcenda longa vita opus eſſe. Eum tradit Hermippus à diſcipulis ad ſacrificiũ vocatũ dulce merũ hauſiſſe, ex quo quinta die defunctus eſt, cũ ſeptuaginta & tres vixiſſet annos. In quo miror ab hoc Valerium maximum diſſentire de ætate, cum ſcribat octogeſimo anno volumen perfeciſſe. Et ille ſeptuageſimo tertio anno mortem obijſſe. Sunt qui dicant riſu comprehenſum expiraſſe. Nam teſtatur Laërtius, cum aſinus manducaret ficus, aniculæ dixiſſe, vinum aſino ſorbendum daret, nimioque riſu detentum exhalaſſe animam. vnde auarus ita eum alloquitur, vt dicat, *O Chryſippe finitor tui aceruí.*) Hoc eſt tui libri in quo tanta cumulaſti. *Depinge vbi ſiſtam inuentus.*) Oſtende & deſigna mihi vbi, id eſt, in quo diuitiarum loco inuentus ſiſtam. hoc eſt pedem figam. ac ſi dicat tantam eſſe ſuam cupiditatem, vt nullo pacto ei finem ex ſe reperire queat. ſicque poëta cupiditatem auari inſatiabilem eſſe oſtendit.

FINIS.

PHILIPPI BEROALDI ORATIO
HABITA IN ENARRATIONE Perſij poëtæ Satyrici.

MVltæ ſunt parui corporis, viri clariſſimi, quæ rebus magnis proculdubio anteponuntur: & multo preciosiores eſſe iudicantur: hoc in primis gẽmæ lapillique teſtantur. Quid enim eſt minutius carbunculis: quid breuius adamante, quid hiacyntho magis puſillum? & nihil tamen his preciosius nobiliuſve reperitur. Scribit eloquentiæ parens Homerus Tideum paruo fuiſſe corpuſculo decoratum: in quo tamen anima eſſet maxima & vires ingentiſſimæ. Vnde decenter in Priapeis à poëta ſcriptum eſt.

Vtilior Tideus: qui ſi quid credis Homero
Ingenio pugnax corpore paruus erat.

Et à Papinio non minus vere quam diſerte dictum,

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

Et xantyppus Lacædemonius, qui breui ſtatura erat, ita laudatur à Sylio.

Exiguis vigor admirabile membris,
Viuidus & magnos niſu qui vinceret artus.

Enimvero mihi curioſiſſime circum ſpectanti & diligentiſſimè penſitanti videtur res fere omnes virtute magiſquam magnitudine æſtimandas eſſe ac metiendas, neque quærendum quantus ſit quiſque ſed qualis: neque quam procerus, ſed quam probus ac eruditus. Quis vnquam librum laudauit ob id tantummodo quod magnus foret ac copioſus? quis orationem duxit eſſe luculentam propterea quod verboſa eſſet & enormis? quis poma ob magnitudinem vbertatemque celebrauit vnquam: nemo mediusfidius vel modicè eruditus id aſſeruit. Immo contra laudamus libellos qui ſunt diſerti, eruditi & doctiſſimè concinnati, eoſque haud dubie anteponimus maximis voluminibus, in quibus nulla ſit eruditio minimaque facundia. huiuſce autem rei nobis locupletiſſimum quotidie teſtimonium exhibet Perſius poëta Satyricus, qui quanto minor eſt, tanto eſt elegantior: quanto minus habet ponderis, tanto plus habet auctoritatis. Vnde luculentè cecinit epigrãmatices poëta Martial. Sæpius in libro memoratur Perſius vno.

Sæpius in libro memoratur Perſius vno,
Quam leuis in tota Marſus Amazonide.

Et de eodem Quintilianus, *multum & veræ gloriæ, quamuis vno libro, Perſius meruit.* Et à diuo Hieronymo ſatyricus diſertiſſimus nuncupatur. nec immeritò. nam & ſanctitate ſcribendi & ſententiarum grauitate & verborum pondere & ſatyrica vrbanitate nulli poſtponendus eſſe videtur. Inſectatur vitia, Sontes carpit, præceptis legentium animos ſanctiſſimis format & imbuit, aliquando ſubobſcurus eſſe creditur: propter hominum temporumque inſcitiam & rerum ignorationem: ſed ſi quis curioſus poema luculentum introſpexerit, proculdubio cognoſcet id eſſe terſiſſimum atque elegantiſſimũ: quod vt opinor, vbi à nobis enarratum fuerit, facile omnes iudicabitis veriſſima eſſe quæ dicimus: & profectò poſt enarrationem Iuuenal. nullus nobis ſcriptor magis idoneus ipſo occurrere potuiſſet, vterque ſatyricus, vterque in eodem ſcribendi genere verſatur: vterque vitæ mortalium formandæ accommodatiſſimus eſt. Enarrabimus itaque diis bene iuuantibus Perſium ſatyricum poetam, Cuius opuſculum non minus nobis iucunditatis dabit quam vtilitatis: qui non minus gratus erit vobis audientibus, quam nobis enarrantibus. Sed ne moroſior ſit prologus quam poema, jam interpretationem ipſam inceptabimus, Vos quæſo diligenter attendite. Dixi.

ANGELI POLITIANI VIRI Eruditiſsimi in Perſium Prælectio.

AESOPI illius Phrygis notiſſimi fabulatoris atque in numero ſapientium virorum meritò habiti, lepidiſſimus inter primos apologus celebratur, In quo tradit homines duas manticas habere vnã ante pectus, alteram à ſcapulis, tergoque propendentem. Sed in priorem inquit aliena vitia immittimus, ideo & videmus facile, in poſteriorem noſtraque abſcondimus, & videre negligimus. Eſt enim cuique à natura ipſa ingenitus inſitusque cęcus amor ſui, quem Græci vno vocabulo philautian vocitarunt: atque ei quidem vitio facile omnes (vt inquit Plato) veniam damus, cum interim nulla humano generi peſtis capitalior incubuerit, vt quæ neminem ſui ipſius iudicem eſſe integrum aut incorruptum patiatur, quippe amatorem cæcum (vt Horatius inquit) Amice turpia vitia decipiunt. aut etiam ipſa hæc delectant.

Quocirca danda præcipuè opera eſt, non tam, vt quæ proxima nobis cognataque ſunt, quam quæ ſuapte natura honeſta, ac laudabilia videntur, conſectemur: ſimuſque ſui quiſque acerrimi cenſores. nedum noſmet nobis ignoſcimus, atque aſſentamur veritatem deſeramus, quæ (vt idem inquit Plato) diis pariter & hominibus, omnium fons eſt, & origo bonorum. Recte itaque in Apollinis Bythii foribus illa è celo delapſa ſententia inſcripta fuit γνῶθι σαυτὸν, qua ſcilicet præciperetur ſe quiſque vti noſſet. hoc eſt vt manticam illam, quæ ſit in tergo reuocatam quandoque ad pectus inſpiceremus, tam varium profecto, tamque multiplicem malorum omnium theſaurum in tantam morborum vitiorumque omnium copiam offenſuri: vt ſit quaſi aduerſus leonem, & hydram, gorgonas, harpiaſque, non quidem Hercules Perſeus aut Aquilonis filij, ſed ipſa omnino Pallas: hoc eſt philoſophia cælitus aduocanda, vt in hæc tam tetra, dira, horribiliaque monſtra, ipſa Iouis rapidum iaculetur nubibus ignem: ipſa noſtris medeatur affectibus, ſpergatque ſalubres Ambroſiæ ſuccos: & odoriferam panaceam. Ceterum medicinæ hanc opem plerique ideo haud imploramus: quod tam graui animi morbo laboramus, vt ne ægrotare quidem noſmet intelligamus: ſimiles illis, qui torpentia atque obſtupefacta mẽbra, vel ob idipſum ſana eſſe arbitrantur: quod præmortua ſint, ſenſuſque omnis, doloriſque expertia, quapropter vt medici ſæpe eiuſmodi corporis partibus ferrum adhibent, aut cauterium: quo ſcilicet vires ipſarum, vel conſopitæ excitentur, vel fugatæ reuocentur: ita nos profecto his potiſſimum hominibus, noſtros curandos animos tradere debemus: qui labem, peſtemque illorum omnem cunctaque perturbationum ſemina, ſeu ferro, & flammis radicitus extirpant. quales ſcilicet ei potiſſimum poetæ cenſentur, qui aut Romanam hanc ſatyram: aut Athenienſem illam veterem comœdiam ſcriptitarunt: itaque Socratem dicere ſolitum ferunt, Oportere vnumquemque etiam de induſtria eiuſcemodi ſeſe ſcriptoribus offerre, nam ſi noſtra, inquit, vitia exprobrabunt, corrigemus: ſi aliena, nihil ad nos. quod ſi hoc durius cuipiam videatur: at certe ſumere ex aliis licebit exemplum nobis, quod ex vſu fiet: atque in hoc potiſſimum ſcriptores tamquam in ſpeculum diligenter inſpicere, qui ſoli normam vitæ rectam, prauamque ſeu digito indicantes, quæque ſequenda forent, quæque euitanda viciſſim: illa prius creta, mox hæc carbone notarint. vt cum nos ipſi nouerimus, hoc eſt animi temperantes (vt Plato in Charmide exponit) euaſerimus: in ipſa demum philoſophię adyta, atque penetralia accipiamur. Veriſſimũ quippe eſt, quod Pythagor. Lyſias in capitula ad Hyparcũ ſcribit, qui corruptis obſceniſq. morib. ſpeculationes, ſermoneſq. diuinos immiſceat, nihil

quam Cratinus ætate fuit primę ā philoſopho Menedemo ſicut Acheo ſecundæ deferebantur. Scripſit & Pratinas quidam & Lycophron & Demetrius Tarſicus & Xenocrates & Phliaſius Timō & alij apud græcos permulti. Sed & Romanis gentilis fuit atque vernacula iocularis & ſatyrica mordacitas, quod cum feſcennini indicant verſus, qui rudes atque incompoſiti nuptialibus ſacris iaciebantur alternis. Cuius rei exemplum etiam apud Catullum habemus, tum licentiora illa carmina quæ in triumphantes vulgo canebantur à militibus qualia ſcilicet illa ſunt apud Suetonium. *Ecce Cæſar nunc triumphat, qui ſubegit gallias: Nicomedes non triumphat qui ſubegit cæſaream*: item *Vrbani ſeruate vxores machum caluum adducimus*. Vnde Martialis.

Conſueuere iocos veſtri quoque ferre triumphi:
Materiam dictis nec pudet eſſe ducem.

Factum deinde vt cum Romani, quemadmodum apud Liuium eſt, peſtilentia laborarēt, inter alia cæleſtis iræ placamina ſcenici quoque ludi inſtituerentur. Ac primo quidem ſine carmine vllo, ſine imitandorum carminum actu ludiones acciti ex Hetruria ad tibicinis modos ſaltantes: aut indecoros motus more Tuſco dabant. Imitari deinde eos iuuentus ſimili inconditis inter ſe iocularia fundentes verſibus cepere. Paulatim deinde proceſſit artificium: cepereque hiſtriones non iam ſicut antea feſcennino ſimilem incompoſitum ac rudem verſum alternis iacere, ſed impletas modis ſatyras deſcripto iam ad tibicinem: cantu motuque congruenti peragere: quibus hic & ſatyriſtarum interueniebant chori, Silenique tunicis villoſis ac florum varietate amicti: ſatyrique perizomata & hircorum pelles induti, qui etiam vituli marini pilum erectiorē pro cæſarie habentes: qui grauiores quoque motus ludicra geſticulatione imitantes: ſalſa quoque dicacitate riſum prouocabant. Poſt hoc Liuius Andronicus primus ſatyris eſt auſus argumento fabulam ſerere, iamque ad legem fabularum ab irriſu & ioco res auocabatur & luſus paulatim in artem verterant. Itaque iuuentus hiſtrionibus fabellarum actu relicto ipſa inter ſe more antiquo ridicula intexta verſibus iactare cœpit, à quo exodia emanarunt, quæ conſerta dein fabellis potiſſimum Atellanis ſunt. vnde Iuuen. *Vrbicus exodio riſum mouet Attellanæ Geſtibus Auctonoes*. Attellanas aūt ab Oſcis acceptas iuuentus tenuit: nec ab hiſtrionibus pollui paſſa eſt. eo inſtituto manſit vt auctores Attellanarum nec tribu mouerentur & ſtipendia tanquam expertes artis ludicræ facerent. Differunt aūt ſatyrica & Attellana: quod in illa aut ſatyrorum perſonæ vt ſatyrus canus: ſatyrus imberbis: ſatyrus barbatus: aut ſi quæ ſunt ridiculæ Silenes ſatyris inducebantur: vt Autolicus etiam buris; vt ſileni omnes quidem ſed is quoque inter alios qui pappos à græcis hoc eſt auus appellabatur: cuius facies torua atque aſpectus truculentior quam cæterorum

& ferino ſimulā affingebatur. In Attellana autem obſcenæ erant perſonæ vt mœchus. Hæc in ciuitate Oſcorum Attella primum agi cœpta, à quo eſſe putant obſceni vocabulum denominatum: atque hoc videlicet Cicero in epiſtola ad Marium ſignificat, non enim te puto, inquiens Græcos ad Oſcos ludos deſideraſſe, præſertim cum Oſcos ludos vel in ſenatu noſtro ſpectare poſſis. Ita in vrbe ſcilicet Attellanarum licentia immigrauit: ita à Latinis ſatyra quoque fabula recepta eſt. Sed cũ nominatim homines à principio carperentur: luſúſque etiam libertas in licentiam iam contumeliámque verteretur: cúmque honeſtæ etiam perſonæ fœdius notarentur: lata Romæ lex eſt vt ſi quis malum carmen in quenquam ſcripſiſſet eius rei ius iudiciúmque eſſet. Ita metu pœnæ ſcenici poetæ à maledicendo deſtiterunt. Qua de re ad hunc modum ſcribit Horat. epiſt. 1. lib. 2.

Agricolæ priſci, fortes, paruóque beati:
Condita poſt frumenta, leuantes tempore feſto
Corpus: & ipſum animum ſpe finis dura ferentem,
Cum ſociis operum, pueris: & coniuge fida
Tellurem porco, Syluanum lacte piabant,
Floribus & vino genium memorem breuis æui.
Feſcenina per hunc inuecta licentia morem
Verſibus alternis opprobria ruſtica fudit.
Libertáſque recurrentes accepta per annos
Luſit amabiliter: donec iam ſæuus apertam
In rabiem cœpit verti iocus, & per honeſtas
Ire domos impune minax. doluere cruento
Dente laceſſiti, fuit intactis quoque cura
Conditione ſuper communi, quin etiam lex
Pœnáque dicta, malo quæ nollet carmine quenquam
Deſcribi: vertere modum formidine fuſtis
Ad benedicendum, delectandúmque redacti.

Sed extitit deinde Scipionis ac Lelij ætate acerrimi poeta ingenij miræque eruditionis atque vrbanitatis Lucilius ex Arunca vrbe, homo haud quidem tenui cenſu, libertate autem tanta, vt cum primus ipſe nouiſſimam hanc ſatyram excogitaſſet, non modo ſummates viros Lupum Albutium. Q. Metellum, præterea Scæuolam: permultóſque item nominatim ſciderit, ſed vniuerſum quoque populum Romanum probroſis carminibus lacerauerit: ac ne mortuis quidem poetis Euripidi, Ennio, Accio, Pacuuio, cæteríſque item illuſtribus pepercerit. ſed ſcripta vniuſcuiuſque ſingulari acerbitate obtrectauerit. itaque dictus eſt primus condidiſſe ſtili naſum, quod naſo videlicet & ſumma irriſio atque vituperatio ſignificetur, quem tametſi fluere lutulentum dicit Hor. & eſſe aliquid quod tollere poſſis: tamen

inſignem gloriam multorum iudicio reportauit, adeo etiam à nonnullis probatus, vt non Horatio tantum & Perſio, ſed plane omnibus poetis anteferretur. Ab hoc igitur vetus illa dicacitas quam fuiſſe Græcis Latiniſque vernaculam ſupra oſtendimus, tranſlata in ſatyram eſt, quæ ſic arbitror dicta ab antiquæ illius fabulæ argumento, quod in hac quoque ridiculæ res pudendæq. dicuntur, quæ velut à ſatyris proferuntur & fiunt. Sunt autem ſatyri Liberi patris comites corniculis inſigniti atque capripedes: qui tris præcipuas ſaltationum ſpecies quæ in theatris vſurparentur, cordacha, ſicinum atque emmeliam inuenerunt, ſingulas ab inuentorum nominibus appellatas. vnde Ouid.

Quid non & ſatyri ſaltãtibus acta iuuentus, fecere? & Catullus, *Cum thyaſo,* inquit, *ſatyrorum.* Atqui & Siculus Diodorus ſatyros in Ethiopia Dionyſio ſcribit oblatos, comas vmbilico tenus habentes. Et Diuus Hieronymus talem quendam ab heremita Antonio viſum affirmat, qui ipſe ex eorum numero ſe eſſe affirmauerit, quos vano inquit errore deluſa gentilitas, Faunos Satyróſque appellet. Feruntur & in ſubſolaris Indorum montibus Catardulorum regione ſatyri eſſe peruiciſſimum animal tam quadrupedes quam recte currentes humana effigie, qui propter velocitatem niſi ſenes aut ægri non capiantur. Ab his igitur ſatyrica fabula primum apud Græcos appellata ab ea quæ ſatyra altera antiquior quam hæc de qua agimus, quæ vario poematum genere conſtaret qualem ſcripſiſſe Ennius diuerſo carminum numero, Pacuuiuſque dicuntur. quales & Marcus Varro Romanorum eruditiſſimus compoſuit, quas alij Cynicas ipſe Menippeas appellauit. vt quæ inſcribitur, *neſcis quid veſper vehat.* Et de officio Mart. Et teſtamentum & illæ quæ Græcos habent titulos. vt *περὶ ἐδεσμάτων ὄνος λύρας. γεροντοδιδάσκαλος.* aliæque permultæ. Quas omnis vir ille doctiſſimus iocunditate quadam atque hilaritate conſperſit. multaque ex intima philoſophia admiſcuit. multa dialecticè dixit, omninóque autem varium & elegans (vt Cicero affirmat) omni fere numero poema compoſuit: Menippum imitatus Cynicum philoſophum qui fuiſſe phœnix dicitur, ſeruus Catonis Pontici, libróſque multo riſu refetſiſſe: vt quos inſcripſit teſtamenta, vt compoſitas epiſtolas ex deorum perſona ad phyſicos mathematicos grammaticos. vt Epicuri fœtus, vt imagines, aliáque huiuſmodi quæ tamen nonnulli Dionyſio & Zopiro colophoniis aſcripſerunt. Atque hic ille eſt Menippus cuius perſonã: Lucianus Cyrus ſuis quoque dialogis idẽtidem inſeruit. Hinc itaque ſatyra quoque hæc nouiſſima veriſimilius appellata videri poteſt: quam aut à lance: quæ referta variis primitiis ſacris inferretur aut genere farciminis multis rebus referto, cuius Varro in Plautinis quæſtionibus meminerit: aut à lege Satyra, de qua

Lucilius & Saluſtius faciunt mentionem. Tentauit aút poſt Lucilium genus hoc ſcribendi Varro Citarinus, ſed ſucceſſu caruit. Hunc inſecutus Hora. eſt, maxime terſus ac purus mireque in deridendo vafer. Dein Perſius hic noſter, quem ſuſcepimus enarrandum, multum & veræ gloriæ, quamvis vno libro meruit vt affirmat Quinti. Hic aút non ligur, vt quidam ſomniant, ſed Hetruſus Volaterriſque natus, Neronis ætate floruit: magiſtro vſus Cornuto annumque vndetrigeſimum agés exceſſi tè vita: nam propterea de illius vita quod antiquis aliquid incertæ, ac friuolæ auctoritatis commentarijs circunferuntur, ea neque adducere in medium neque aut affirmare, neque aut refellere id animo hoc ipſum deinde pelagus & Iuue. ingreſſus veliſque vſus maioribus, longiuſque aliquànto quam cæteri progreſſus à portu eſt. Hac igitur quadriga Romana inuecta ſatyra ad ignotam græcis hominibus palmam decurrit. Charactere vſi ſunt ſatyrici eodem ferme quo veteres comici. Summa illis inæqualitas: modo exiles, ac tenues: modo exultantes & velut ampuloſi, nunc ſtricti, & caſtigati, nunc vagi atque effuſi, plerunque aút obſcuri, operoſi, implicati, cultuque quodam florentes acquiſito, atque affectato. idiotiſmum præcipue adamant rem quæ inter oratorias ac poëticas virtutes raro procedit, magnoque indiget temperamento: nuda ſunt verba illis propria ſignificatio, energiæ plena: non græca tamen, non alioquin peregrina, non trita quoque vulgo & exculcata, non ſordida, non obſcæna & ſcurrilia reformidant. Multa aſperè, multa ſeuerè, multà blandè: multa item ambiguè dicunt & ſubdolè. Toti vrbanitate & ſalibus: toti ſcatent ſenſiculis: atque acuminibus, nunc omnia oblinunt felle: nunc aceto conſpergunt: nunc iocis & laſciuia condiunt: nunc mundi, nitidi, candidi, nunc horridi, agreſtes, ſqualidi, nunc leniculi, improbi petulantes: nunc vehementes incitati: minaces. Reprehendunt acriter, inſultant impetenter, vafre cauillantur, aſtutè obrepunt, effluunt lubricè: tergiuerſantur, illudunt, diſſimulant, ardent, verſant: ſuſpendunt, feriunt, pungunt, prouocant, titilant, ſtomachantur, attonant ceu fulmine omnia concutiunt: ac de ſatyra quidem hactenus.

VA1
1552651

110
7
27